


Norris



JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ,


Ordine Scientifico dispositæ.

Tom. III.



EDITIO III.

TIGURI,
APUD HEIDEGGERUM ET SOCIOS.
MDCCLVII.


BODLEIAN LIBRARY
25
JAN
1928
OXFORD

VIRO

ADMODUM VENERANDO,

DOCTISSIMO

JACOBO STAPFERO,

Ecclesiæ Metensis Pastori Vigilantissimo, Dignissimo

Doctrinæ Veritatis



Quæ secundum Pietatem est

Adsertori,

Religione, Doctrina, Humanitate


conspicuo,

PATRUO SUO

ætatem colendo

JOH. FRID. STAPFER.

Patrue Venerande!



Onnulli hodie reperiuntur, qui ita Philoſophiam depereunt, ut propterea non Theologos modo, ſed ipſam etiam Theologiam contemtui habeant, eamque quavis data Occaſione profanorum riſui exponant.

Qui hoc fiat mihi ſatis compertum non eſt. Forſan ejusmodi Philoſophi ipſimet nec Theologiam, nec ipſam etiam Philoſophiam recte intelligunt. Non Philoſophiam, quæ ſine Theologia ipſamet imperfecta. Non Theologiam, quæ Philoſophiæ nihil plane detrahit, ſed præcipuas ejus veritates fundamenti loco aſſumit, eas exornat ac perficit. Forſan nonnulli ex ipſis Theologis in cauſſa ſunt, qui ſubinde ita in Philoſophiam debacchantur, quaſi maximus illa omnis Religionis ac Theologicæ veritatis hoſtis eſſet; quæ omne ejus fundamentum ſubrueret; quæ omnem in Deum pietatem opprimeret; quæ omnia denique ſanctioris hujus Diſciplinæ dogmata dubia redderet.

At longe mihi hac in re alia

mens

mens est; unde per integrum hunc Librum Philosophiam cum Theologia conjungere studui, ut pateat quam amice ambæ hæ Scientiæ inter se conspirent. Novi Deum ipsummet omnis Veritatis, sive Theologicæ sive Philosophicæ, primum fontem ac Auctorem esse; quæ adeo veritates sibimet contradicere minime possunt. Novi ipsummet Deum summum esse Philosophum & Theologum summum. Est Philosophus absolute summus, omni enim cognitione philosophica instructus, quæcunque dari vel concipi potest; Omnium ipse rationem reddere potest, quæcunque vel sunt, vel fiunt; vel cur ea sint vel fieri possint clarissime & distinctissime perspicit. Deus pariter Theologus absolute summus est. Ipse enim omnes Essentiæ ac Naturæ

ſuæ Abyſſos modo diſtinctiſſimo ſolus novit; Omnia ſua opera intime perſpecta habet; Omnia ad finem optimum dirigit.

Si ambæ hæ Scientiæ Deo gradu abſolute ſummo competunt, quid quæſo hominem magis decere poteſt, quam ut omnem operam in eo collocet, ut ſimul ſit Theologus & Philoſophus.

Ea vero demum vera Philoſophia eſt, quæ hominem in Univerſi hujus contemplatione docet, non modo quænam ſint rerum hujus Univerſi naturæ, quænam earum cauſſæ ac ordines? Sed quænam præcipue ſit cauſſarum Cauſſa? Quisnam omnium rerum uſus? Quis finis ſummus atque optimus ſit? Quæ ipſum ſolida inanibus, æterna caducis, divina humanis præferre edocet.

Ea

Ea ſola vera ac perfectiſſima Theologia eſt, quæ Rationis lumen, corruptione carnis miſere obfuſcatum, luce ſua colluſtrat, illi ſuam claritatem ac vim reſtituit; per ipſius rationis arma revelationi fidem conciliat; quæ naturam non deſtruit ſed perficit; quæ adeoque rationalis eſt.

Quantus itaque inter Theologiam & Philoſophiam conſenſus! altera alterius ope indiget. Nec enim Theologiæ ſua ſine Philoſophia auctoritas, nec Philoſophiæ ſua ſine Theologia integritas ſalva eſſe poteſt. Quodnam ergo ſtudium homine Chriſtiano dignius eſſe poteſt, quam Theologum ſimul eſſe & Philoſophum? Nec quisquam, ut omnia nunc complectar, verus poteſt eſſe Theologus, niſi ſimul ſit verus Philoſophus; nec

mini non nota, non recusaret id modo, sed detestaretur potius. Et arctissimum, quod inter nos intercedit, necessitudinis vinculum, ab encomiis abhorrere videtur.

Nihil nunc superest, quam ut TIBI Charissimisque TUIS, cuncta fausta ac salutaria adprecer; Deum supplex orans, ut Te Tuosque diu adhuc omnigena felicitate fruentes, salvos ac incolumes in hac Terra conservare velit, donec in æternum vobis felicibus ac beatis esse licebit. Dabam Bernæ Helv. XI. Kal. Aprilis MDCCXLV.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CUm Tomus hic eadem qua præcedentes methodo scriptis sit, non habeo cur Lectores longa præfatione morer. Nonnisi hoc nunc monere volui, quod legens *vigesimam sextam* Relationis publicæ Librorum Theologicorum quæ Jenæ editur, *Sectionem* (Das XXVI. Stück der Nachrichten von den neuesten theologischen Büchern und Schriften), statim ab initio bene adornatam ac compositam Tomi I. operis mei polemici relationem sive recensionem deprehenderim.

Doctissimus harum *Relationum litterariarum* Auctor, quisquis ille sit, Vi perspicacissimi judicii, ita, ut verum fatear, men-

mentem meam assecutus est; ac ita clare & distincte Lectoribus Systematis mei schema ob oculos posuit, ut non modo in *Relatione* hac nihil desiderem, sed ipsemet eam clariorem exhibere non potuissem; Ex quibus satis perspexi, Clar. Auctorem, quod ipsemet profitetur, hunc Librum meum maxima cum attentione legere dignatum esse.

Judicium Viri Cel. quod attinet, duplex illud est, *generale* nimirum ac *speciale*. *Prius* nimis honorificum. *Posterius* ita comparatum, ut modestia Cl. Censoris ubique eluceat. Respicit autem illud *vel* Articulos illos in quibus Reformati ab Ecclesiæ Aug. Conf. Doctoribus dissentiunt, *vel* pauca quædam, quæ Cl. Censor in Opere meo desideravit.

Quoad Articulos illos inter Protestantes controversos sequentia hic monuisse sufficiet. α. In exponendis articulis hisce Capite III. Syst. mei brevis fui; non modo quia brevissimum tantum Theologiæ dogmaticæ compendium exhibere volui, sed nec instituti ratio postulat, ut cum Fratribus Augustanæ Confessionis in Systemate polemico litem incipiam. β. Demum autem Cap. XX Tomi V. veram *consensus & dissensus Ecclesiæ*

Prote-

Protestantis rationem exposui Jam paratum est caput illud cum omnibus reliquis, & nonnisi Venerandæ Facultatis Theologicæ nostræ Censuram exspectat, postea prælo statim subjiciendum. Ita vero ibi à partium studio abesse studui, ut non sperem fore ut Augustanæ Confessionis Fratres quidquam deprehendant, quo me iniquitatis arguere possint; si non moderatum me in omnibus exhibui, contra voluntatem meam id factum est. γ. Cæterum Systema Ecclesiæ Reformatæ, & Censuræ publicæ Facult. Theol subjiciendum mihi exhibendum fuit, prolixior paullo alias in exponenda Decreti divini *ratione objectiva* fuissem.

Ea, quæ Clar. *Relationum Litterariarum* Auctor in reliquis desiderat, quod attinet, non est cur quidquam moneam, siquidem Ipsum hunc moderatissimum Virum ac Censorem Advocatum ac benignissimum Interpretem habeam. Quæ Clar. Vir. de probabilibus subinde certis immixtis perhibet, forsan non observavit, quod interdum nonnisi sola Dogmatis alicujus probabilitas sive etiam possibilitas ex Rationis principiis probanda fuerit, certitudo vero demum ex Litteris S. stabilienda; idque propter revelatæ veritatis hostes faciendum,

qui

qui eo inprimis nomine eam rejiciunt, quod principiis Rationis adversetur, unde magnum jam veritati pondus accedit, si, antecedenter etiam ad Revelationem, Veritatis alicujus possibilitas & probabilitas adstruitur, inde enim patet nihil contradictorii eam in se continere, uti ex. gr. Doctrina de peccato hæreditario, de Salvatoris Persona ejusque requisitis &c. Hæc nunc dixisse sufficit. Dabam Bernæ Helvet. XI. Kal. Apr. MDCCXLV.

SUMMA

SUMMA

Eorum, quæ *Tertio* hoc *Tomo* continentur.

CAPUT XI.

SECTIO I.

De

JUDAISMO

continet.

SECTIO II.

De

MUHAMMEDANISMO

continet

CAPUT XII.

De

SOCINIANISMO ET ANTITRINITARIIS.

continetur ibi

II. Occa-



INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ,

Ordine Scientifico dispositæ.

CAPUT XI.

Sectio I.

De Judaismo.

§. I.

PEr JUDÆOS eum intelligimus Populum, qui ab *Abrahamo*, *Isaaco* & *Jacobo* oriundus, a DEO olim electus, in Mosis disciplinam traditus, cærimoniis & typis ad Christum manuductus, de Messiæ Persona, Adventu, Officio &

Beneficiis edoctus, nunc vero à Deo rejectus, & in facie totius Orbis dispersus, ex Populo Dei, per vindicem Numinis manum, factus est Non-Populus.

JUDAISMI
Hypothesis primaria
&
Errores connexi.

§. II.

Judaicorum Errorum *primarius* sive πρῶτον ψεῦδος est, *Ignoratio Legis Justitiæ*, *sive*, *opinio propriæ justitiæ ex fœdere carnali erigendæ.*

Dum Errorum Judaicorum Systema hic exhibiturus sum, monendum censui, quod & Celeb. MAJUS facit in *Synopsi Theologiæ Judaicæ veteris & novæ.* pag. 1. seqq. Theologiam Judaicam distinguendam esse in *Veterem* & *Novam*. Vetus vel *vera* est, vel *falsa*; *Vera* fuit illa, quæ olim cum libris Veteris Testamenti, cum Mose & Prophetis convenit, & ab omnibus ex Gente Judaica fidelibus credita fuit, quæ dum cum Christi Apostolorumque Doctrina conformis Librisque N. Testamenti consentiens est, proprie à Christiana Religione nonnisi appellatione differt; Apostoli enim cum Christo semper ad Mosis Prophetarumque provocarunt Doctrinam. Per *falsam* eam intelligimus, quæ à veritate illa cœlesti, antiquitus per Mosen & Prophetas tradita discedit, eamque transgreditur διὰ τὴν παράδοσιν, διδασκαλίας καὶ ἐντάλματα ἀνθρώπων; quæ Legis corruptio paulatim irrepsit, licet Prophetæ vehementissime ei obsisterent, & maxime eo invaluit tempore, quo nulli amplius in Populo Judaico extiterunt vates, unde Jesu adventante ad ἀκμὴν pervenit. Per *novam* Judæorum *Theologiam* talem intelligimus, qualem eam post Christi in terra apparitionem adornant Judæorum

Magi-

Magiſtri; à Lege & Evangelio plane diſcedentem atque corruptam, in qua veteris ac veræ Doctrinæ pauciſſima ſuperſunt veſtigia. Dum igitur Judaismi hic exhibemus Syſtema, non integram eorum tam *Veterem* quam *Novam*, tam *Veram* quam *falſam* intelligimus Theologiam, ſed nonniſi Syſtema Errorum, per quos à nobis differunt, ſive veteres illi ſint, ſive novi, omnes ex primario illorum Errore deducti.

§. III.

Quoniam nimirum Judæi totam illam Fœderis Sinaitici & Oeconomiæ Legalis Rationem male intelligebant, propriæque velificantes juſtitiæ, integram ejus corrumpebant Doctrinam; inde hoc ipſorum πρῶτον ψεῦδος eſſe diximus, quod propriam juſtitiam ex fœdere carnali erigere ſtuduerint.

Ad huncce fontem penetravit PAULUS, cui, olim Phariſæo, venenum ejus optime erat notum; unde illum tam prolixe, tam varie, tam valide, corrigere, imo ceu immedicabilem ſanare contendit. Bene Celeb. VITRINGA hac de re loquitur Obſ. Sacr. Lib. IV. Cap. X. pag. 1010. ſeq. dicens: *Præcipua hypotheſis, cui Paulus ſuperſtruxit præcellentia Chriſtianæ Religionis dogmata Epiſtola ad Romanos ex ejusdem illius Epiſtolæ Cap. III. 20. producitur, & producta illuſtratur, & quidem ita ut Doctrina hæc Dogmatibus Judaicis è diametro opponatur. Problema in hac Epiſtola ventilatum, cujus priorem partem adſtruit & defendit, poſteriorem negat, his conſtat verbis: An homo à Deo juſtificetur ex fide, num vero ex operibus? Cum enim concluſio in legitima diſputatione nihil differat à quæſtione, ſive controverſiæ ſtatu, ut vocant: facile eſt ſtatum controverſiæ Paulinæ repetere ex concluſione, quam rationibus bene ſubductis plenam exhibet Cap. III. 28.*

Reputamus itaque Fide justificari hominem absque Operibus legis. Fontem Erroris Judaici etiam paucis sed efficacibus verbis Apostolus in eadem detexit Epistola dicens: *Eos Justitiam Dei ignorantes, propriam suam Justitiam studuisse exigere.* Rom. X. & Cap. IX. 32. *Justitiam quærunt* ουκ ἐκ πίστεως, ἀλλ᾽ ὡς ἐξ ἔργων νόμου, προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος. Et uti Apostolus ab una parte ostendit justitiam non dari ex Operibus, ita ab altera parte demonstrat: per totam ad hebræos Epistolam etiam Legem illam Cærimonialem & Cultum umbratilem totum abrogatum esse, ut neque per hunc homo in foro divino salvari possit, sed quod nonnisi per Justitiam & Sacerdotium Jesu Christi detur salus. Ex hisce patet, quomodo disputatio cum Judæis inchoanda & quomodo instituenda sit: Nempe monstrando ipsis hominis miseriam & carnis imbecillitatem, per quam impossibile sit ut homo per Legis observationem salvari queat; ipsisque ostendendo, quodnam sit verum Liberationis Medium, à Deo in Libris etiam Vet. Test. revelatum, ipsosque hac ratione ducendo ad Christum, Prophetam, Sacerdotem & Regem unicum.

§. IV.

Hinc est, quod posthabita Justitia Dei remissionem peccatorum, & quod eam comitatur & sequitur jus Vitæ æternæ, fundant: α. in *Servatione Legis moralis:* inde est, quod Populus ille carnalis, jam ad Montem Sinai, una voce respondit, constanter & repetitis vicibus, post datum etiam ante ratificationem noctis spatium: *Omnia Verba, quæ dixit Jehova, faciemus.* Quæ Responsio, à parte majore perverso corde & sensu prolata, opinionem eorum, de propria justitia, per obedientiam legis propositæ quærenda, satis indicat. Inde etiam Pharisaicus ille fastus Lucæ XVIII. 11. 12.

12. & propria juſtitia turgidi illius Juvenis quæſtio & reſponſio Matth. XIX. 16. & 20. & ex recentibus MENASSIS BEN ISRAEL verba, *de fragil. hum. Eſt regula inter noſtros Theologos, nullum bonum opus perdi, adeo ut licet quis multa commiſerit peccata, unum vero bonum Opus tantum egerit, propter illud poſt deliquiorum ſubſequentem afflictionem, à Deo recipiatur in Gratiam,* Et Judæi illius docti apud COCCEJUM Cap. VII. Qu. V. Opp. Tom. VII. coll. 44. *Spiritualis liberatio ſolummodo dependet ab obſervatione Legis, quam Deus in Monte Sinai promulgavit.*

§. V.

Liquet hinc ratio, cur Fœdus illud, quod Deus cum Iſraële ad montem Sinai pepigit, dando illis *Legem moralem* המצות, *Cærimonialem* החוקים, & *judicialem* המשפטים, non conſiſterent ut ſubſerviens fœderi Gratiæ, externe quidem legale, ſed interne ratione ſcopi & ſignificationis Evangelicum: ſed *ceu Fœdus operum, cujus obſervatione homo juſtificetur.*

§. VI.

Primarium autem quod ab homine, ad peccatorum remiſſionem impetrandam, requirunt, eſt *Pœnitentia* ſive lachrymæ, quæ faciunt ut Deus non recordetur peccatorum præcedentium, & acceptum habeat vere pœnitentem. Unde de Pœnitentia dicunt, *illam deducere hominem ad thronum Gloriæ: Magnam eſſe Pœnitentiam, nam ob unum pœnitentem & ipſi & toti Mundo remitti peccatum; Pœnitentiam eſſe fundamentum & columnam Mundi: Non enim conſiſtere Mundum niſi propter Pœnitentiam.*

Effectus Poenitentiæ quod attinet, habentur fere omnia in Compendio in *Pirke* ELIESER Cap. XLIII. quod ita incipit: *Resipiscentia & bona opera sunt tanquam clypei contra calamitates*, quod ex *Pirke abhot*, Cap. IV. §. 11. transsumtum. Plura ejusmodi loca vide in MAJI Synopsi Theol. Jud. Vet. & Nov. loco XV. §. 10. Requirunt autem ad Pœnitentiam, *agnitionem* peccatorum, eorum *confessionem* sive dolorem; in hominis vero naturalibus viribus positum esse ajunt, tristitiam super peccatis tantam facere, quantam velit.

§. VII.

Porro Justificationem quærunt in *Festo expiationis*, quod eum in finem institutum sit, ut expientur Peccata totius Anni; & in antecedente mactatione Galli Gallinacei, in locum Peccatoris substituti, qui illum offert.

§. VIII.

Speciatim vero ab homine poscunt *Eleemosynam*, preces, mutationem nominis, & operis. Unde in tractatu *Talmud Rosch haschana*, quatuor requiruntur, quæ Dei sententiam de hominibus puniendis mutent. צדקה *Eleemosyna.* צעקה, *Oratio.* שנוי השם *mutatio nominis*, ושנוי המעשה & *mutatio operis.*

§. IX.

Postea Peccatorum remissionem quærunt in divina *Bonitate* ac *Misericordia*, cui soli initi Peccatorem oporteat. His *denique* addunt *afflictiones* & *Mortem ipsam*, in qua omnium Peccatorum expiatio fiat, & quæ sit pro iis redemtionis pretium.

§. X.

Cum igitur Judæi non quærant Justitiam Dei (§. 3. 4.) non veram cum Deo reconciliationem

tionem per Sacrificium Justitiæ; non sanguinem testamenti: sed cum confidant in carne, & propriam statuere Justitiam quærant; hinc *alius Error*, scilicet hominem ex se & suis naturæ viribus valere bona quæque legis opera præstare; & per universalem corruptionem nequaquam sublatæ sint Liberi Arbitrii vires ad bonum spirituale operandum, sed ut homo Peccator cogitationum & actionum suarum Dominus sit, sufficientibus instructus viribus ad sui conversionem, ad Legis obedientiam, & ad illa omnia præstanda quæ ulteriorem promerentur Gratiam; ut adeo homo propriæ Salutis caussa sit.

§. XI.

Ad Errorem huncce tuendum necessum fuit ut statuant: possibile esse ut homo Legem divinam perfecte in hac vita implere possit, secundum exactissimam Legis ἀκρίβειαν, quo Moses intenderit Deut. XXX. 14.

§. XII.

Ut autem Errori huic velificent, observationem Legis non quærunt in mentis, voluntatis affectum & intimæ concupiscentiæ mutatione & correctione, sed Justitiam Dei convertentes in Justitiam hypocriticam, ad externa solum veram sanctificationem extendunt, non vero ad internos actus spirituales.

§. XIII.

Ut Liberi Arbitrii ad opus vere bonum præstandum vires tueantur (§. 10,), necessum fuit ut statuant, primi hominis peccatum in Paradiso

admiſſum non commune totius Generis humani fuiſſe, & non omnes homines naſci cum peccato originali, neque deſtitutos eſſe imagine divina, adeoque natura malos & miſeros minime eſſe.

In hoc Articulo Judæi ſibi contradicunt. Nonnulli fatentur in Adamo totum etiam Mundum peccaſſe, & omne illius ſemen mortis pœnam incurriſſe, ut *Autor Libri* עקדים Lib. IV. Cap. XIII. & *Targum Jonath.* in Ruth. Cap. IV. 18. & *Talmudiſta* ſubinde innuunt, Circumciſionem infringere vim labis per ſerpentem in homines transfuſæ. Recentiores autem præcipue ABARBENEL, LIPMANNUS aliique peccati primi imputationem & propagationem negant.

§. XIV.

Alterum, ex quo propriam quærunt Juſtitiam, eſt *Lex Cærimonialis*, quatenus nimirum id quod obſervationi Legis Moralis deſit, compenſari poſſit per obſervationem Legis Cærimonialis.

§. XV.

Hinc facile invenimus rationem, quare veram cultus illius cærimonialis ſub Vet. Teſt. rationem nec intellexerint nec intelligant; quare cærimonias illas non ut Typos & figuras futuri Meſſiæ conſiderent, ſed obſervationem illarum per ſe Deo placentem cultum putent.

§. XVI.

Hinc eſt, quod varias illas ſub veteri lege purificationes & luſtrationes non conſiderent ut figuras ſpiritualis purificationis animarum, per ſanguinem Teſtamenti æterni Spiritumque ſanctificationis; ſed ſi non vim aliquam phyſicam cineri illi & aquæ adſcripſerunt, ſaltem putarunt, illas divinas ordinationes ex præſcripto peractas

reve-

revera animam à peccatis purificare, virtuteque obedientiæ purum à peccatis animum reportari.

§. XVII.

Hinc porro eſt, quod pauciſſimi ſacrificantes, mentis acie ad Meſſiæ Sacrificium penetrarunt, verum cunctarum iſtarum umbrarum Corpus; Sed ſtupidiores ex fæce plebis opinabantur, Deum delectari mactatione Taurorum atque Arietum, effuſioneque & ſparſione ſanguinis animas ſuas mundari. Sapientiores vero exiſtimabant, Deum hoc elegiſſe medium ad Peccatorem iterum ſecum reconciliandum, illumque ex intuitu obedientiæ, quam præſtabant in obſervatione omnium illarum conſtitutionum, quæ eo pertinebant, placari, peccataque condonare; unde dicunt: *Hominem integrum obedientia cum Deo fuiſſe conjunctum: Sed lapſo Sacrificia ceu medicinam eſſe imperata, ut per ea reſtituantur conjunctioni cum Deo.*

§. XVIII.

Imo Sacrificia peccatoris loco ſubſtitui credebant, unde illum, qui Sacrificium offerre debeat, ſic cogitare oportuit: *Ego ob crimina mea reus ſum, ac mactari cremarique dignus; placuit autem Deo pro immenſa ſua Bonitate, hanc mihi pecudem vicariam dare, ut illius ſanguis loco mei ſanguinis ſit, illius anima loco meæ animæ.* Hinc eſt, quod Deus ſæpiſſime apud Prophetas proteſtatur, ſe non delectari Sacrificiis.

§. XIX.

Et cum per Circumciſionem ad totam illam Legem Cærimonialem ſeſe obligarent, ritui huic multum etiam valoris tribuunt, ut putent nullum circumciſum in Gehennam deſcendere.

§. XX.

Nulli autem rei majorem vim adſcribunt; quam Sacris magni diei Expiationis, unde R. ZACHARIA *in Pirke* R. ELIESER, Cap. XLVI. verſione Vorſtii p. 124. *Si non eſſet dies Expiationis, non poſſet ſubſiſtere mundus, dies iſte expiationem facit & huic & futuro ſæculo.*

§. XXI.

Quia vero in Placitis illis verum Dei cultum conſtituunt, hinc facile patet ratio, quare ſtatuant: Leges illas Cerimoniales conſiſtentes in Præceptis carnalibus & in ritibus externis eſſe obſervantiæ æternæ, juris perpetui & immutabilis, etiam in ipſis Diebus Meſſiæ, quæ ſit vis Phraſeos לעולם, imo Legem hanc illiusque obſervationem in eundem ſtatum, quo Salomonis fuerunt tempore, reſtituendam eſſe.

§. XXII.

Eandem etiam ob rationem ſtatuunt, Legem de Circumciſione omnis Maſculi Abrahamo latam, per Moſen repetitam, eſſe datam in perpetuum Fœderis ſignum, à profanis Gentibus diſtinctivum, nunquam mutandum, vel abolendum, ut Fœdus divinum per Circumciſionis neglectum irritum plane fiat.

§. XXIII.

Et cum rigidiſſima Sabbathi obſervatio non minimam Legis illius Cerimonialis partem conſtituat, non poſſunt non ſtatuere, Sabbathum Judaicum quoad omnes ſuas circumſtantias Cerimoniales & Moſaicas, tum quoad tempus, tum quoad Modum illud obſervandi, ut & reliqua Judæo-

dæorum Festa esse juris perpetui & immutabilis.

§. XXIV.

Ad eandem Præceptorum Cærimonialium Classem pertinent leges de Ciborum mundorum ab immundis distinctione: propterea ex Judæorum mente abstinentia à cibis immundis, quales describuntur Lev, XI. juris moralis & perpetui est.

§. XXV.

Et cum, observatione Legis illius Carnalis Deum placari, seque Peccatorum remissionem, jusque ad Vitam æternam impetrare posse, credebant: Hinc est, quod eam additamentis & traditionibus suis auxerint, quibus Ecclesia præcipue post captivitatem Babylonicam, antea Idololatria & superstitione Gentilium, corrupta fuit.

§. XXVI.

Ut autem Traditionibus hisce autoritatem conciliarent, & ne supra Deum sapere velle viderentur, dicunt, Mosen, cum esset in Monte Sinai, præter Legem scriptam accepisse quoque תורה שבעל פה *Legem oralem*, quæ alias sensu latiori vocatur קבלה *acceptio* & *δευτερώσεις*, sive scriptæ Legis plenior explicatio, atque totius Judaismi fundamentum.

§. XXVII.

De hac Lege perhibent, illam ad posteros nonnisi orali traditione fuisse propagandam serie nunquam interrupta à Mose ad Josuam, ab hoc ad Judices, deinde ad Prophetas, & ad Esdram Virosque Synagogæ magnæ, ab illis ad Scribas & Sapientes illis succedentes, Antigonum Socchæum,

chæum, Josuam Perachiæ, Schemajam, Hillelem & Schammai &c. usque ad R. Jehudam.

§. XXVIII.

Legem hancce tandem proprer temporum injuriam collectam asserunt & litteris consignatam in Thalmude Judaico, qui constat tum משניות *traditionibus*, collectus à R. JEHUDA SANCTO, circa A. Christi 150. tum גמרא *Gemara* seu Complemento, quæ efficit partem alteram Talmudis Babylonici, absoluta præter propter A. Christi 500. in quo Talmude contineatur tota Lex illa oralis ceu perfecta expositio & sepimentum Legis scriptæ; cui addunt *Talmud Hierosolymitanum* cum annotationibus suis auctore R. JUCHANAN A. C. 230. compilatum.

§. XXIX.

De lege hac orali scripta asserunt, eam divinæ certitudinis & autoritatis esse, & juxta, si non supra Scripturam, amplectendam.

§. XXX.

Et hanc ipsam Legem non considerant tanquam תוספות additamenta Legis, sed pro ipsa Lege, quam Moses ex ore Dei acceperit, eam habent; perhibentque Legem Mosis absque orali ista Expositione & traditionibus, neque intelligi neque observari posse: Hinc jam ESAJAS de iis conquestus est, quod sapientiæ suæ & humanæ prudentiæ sint innixi, Deique mandatis prætermissis, sibi novas doctrinas, leges & statuta constituerint, & ex legum potius quam ex Dei præscripto vixerint; nihilque recti amplius docuerint vel cognoverint, siquidem Verbum Dei repudiarint. Esajæ XXIX.

Cum

§. XXXI.

Cum ergo non quæsiverint, ambiverint justitiam Dei & Regnum illius, sed propriam tantum justitiam & quietam terræ Canaanis possessionem: Hinc est, quod de Mediatore, qui justitiam pararet, parum solliciti, Doctrinam de Messia, ejusque pro peccatis Satisfactione tantopere neglexerint, & tum demum maxime disputare, evolvere & concinnare dogma de illius Persona inceperint, cum appropinquare ejus adventus crederetur; tum quasi terminis suis circumscriptus & accuratius definitus est ille Articulus, quam antea factum erat.

§. XXXII.

Et cum eo tempore Romanorum Dominationem, quam longe omnium maxime abhorrebant, cervicibus suis imminentem viderent; capti præterea amore & Cultus illius Carnalis & terræ Canaan, hinc facile patet, quid illi in genere de Messia suo sperent & speraverint; scilicet Regnum terrestre, potentiam secularem, honores mundanos, otium pingue, dies bonos & obesos, talem Messiam, qui eos è Romanorum potestate sit liberaturus, & ferreo sceptro omnes Judæorum inimicos sit comminuturus.

§. XXXIII.

In hac certe sententia fuerunt ipsi Christi discipuli: Inde frequens eorum quæstio, quis in futuro Messiæ Regno primarius sit futurus? Et *Discipuli* illi Emauntem proficiscentes à Jesu rogati, respondent, se de Jesu Nazareno loqui, Viro Propheta, in mortem traditum illum, se autem

autem ſperaſſe ὅτι αὐτὸς ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ισραήλ. Luc. XXIV. 19. 20. 21. ſubindicantes mortem Jeſu pugnare cum redemtione, aliam ſomniantes λύτρωσιν quam adduxit Chriſtus, terreſtrem nimirum & temporalem.

§. XXXIV.

Eandem quoque ſententiam hodierni fovent Judæi: Audiamus de hac re *doctum* illum *Judæum* apud COCCEJUM Cap. VII. rogatum: *An liberatio, quæ per Meſſiam fiet, ſolum futura ſit corporalis ac temporaria?* Reſpondent: *Omnino corporalem futurum credimus, qualis per Moſen facta eſt, qui Populum liberavit à ſervitute Ægyptiaca;* putant ergo Regnum ad formam, qua fuit Davidis & Salomonis tempore, eſſe reſtituendum.

§. XXXV.

Plurimorum nempe Judæorum de diebus beneficiisque per Meſſiam adducendis hæc eſt ſententia: Quod talis per Meſſiam Iſraëlitis expectanda ſit reſtauratio, qua Judæi ex toto terrarum orbe colligendi, mortuis ſimul reſuſcitatis in Terram Canaan reducendi ſunt, quam reductionem tertiam appellant, prima à Joſua facta, ſecunda per Esdram. Inſtauranda etiam, inquiunt, Hieroſolyma, tertiumque Templum, juxta Ezechielis delineationem, exſtruendum, cultum Moſaicum reſtituendum. Judæisque totius orbis imperium tradendum.

§. XXXVI.

Hæc præcipua eorum de Meſſia ejusque Regno Doctrina eſt. Cum vero S. Scriptura, de duplici Meſſiæ ſtatu loquens, ipſum quandoque deſcri-

describit ceu hominem vilem, abjectum, pauperem, qui debeat durissima & acerbissima quævis, tandem ipsam violentam mortem pati; subinde vero tanquam præpotentem, excelsum atque magnificum; inde factum ut nonnulli posterioris ævi Judæi duplicem commenti sint Messiam, *Filium Josephi alterum*, vilem & pauperem, virtute tamen strenuum, reique bellicæ peritissimum. *Davidis alterum*, qui verus sit Messias, quique illos ab inimicis suis sit liberaturus, Israëlisque Rex futurus.

§. XXXVII.

De priori asserunt, quod posterioris Messiæ præcursor futurus sit, quod paucos ex captivitate reducturus, quod in prælio contra Gog & Magog occidendus sit, ab Armillo Duce Filiorum Edom. Eundem tamen à Successore suo é mortuis suscitandum, ac vicaria dignitate fruiturum. De altero vero dicunt: Ipsi non duodecim modo Tribus subjiciendas, sed omnes Terrarum Reges, quo speciatim respexerit ZACHARIAS Cap. IX. 9. 10. XII. 10.

§. XXXVIII.

Qui de duplici Messia Error forsan eo magis ipsis placuit, ut eo ipso Demonstrationes Christianorum pro vero Messia Christo, in quem solum; non in ipsorum Pseudo Messias, duplex ille status quadrare poterat, evitarent.

§. XXXIX.

De hujus Erroris ætate ita Clar. *van der Hardt* in Dissert. *de Fructu, quem ex Librorum Judaicorum lectione percipiunt Christiani: Primum de Messia Filio Josephi*

Josephi vestigium deprehenditur in Codice Talmudico, & quidem non illius antiquiore parte Mischna, sed recentiore Gemara, Masfechet Succa, Talmudicorum deinde legit vestigia Targumista ille Hagiographorum sequioris Saeculi in Cant. III. 5. VII. 3. nec aliorum autoritate videntur ducti scriptores Judaici Talmude posteriores, qualis R. Salomo, R. Aben Esra, R. Abarbenel, R. Juda in Nezach Israël, Autor Libri Abhkal Rochel & simliles; quorum aliqui tanquam pro aris & focis decertantes, acriter hoc suum cerebelli negotium urgent, adeo ut non solum Scripturæ dictis ad confirmandum illius Adventum abutantur, sed cupide quoque in invenienda qualicunque ratiuncula elaborent, qua se aliosque de hoc Messia certiores reddant.

§. XL.

Quia autem Persona benedicti Salvatoris nostri non respondit Ideæ, quam Judæi sibi de Messia formarunt; nec venit instar præpotentis alicujus Magnatis & Regis splendidi, quales fuere David & Salomon; nec ab imperio Romanorum, nec Herodis Tyrannide eos liberavit; hinc negant Messiam in S. Scriptura promissum, olim exspectatum, eo quo à Prophetis prædictum fuerat tempore venisse, & Jesum Christum, in quem Christiani credimus, esse verum Messiam; sed factus iis εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, *in signum cui contradicitur*, id est, in quem omnes contradictiones, mendacia, blasphemiæ ita irruunt & impetum faciunt, ut sagittæ in scopum & signum præfixum irruere & ingruere solent.

§. XLI.

Jesum quidem Nazarenum extitisse negare non possunt, quem Christiani ceu Messiam venerantur

natur atque adorant; at varia in illius contemtum fingunt; dum eum primo, demta littera ע, ישו vocant, qui discipulus fuerit Josuæ Perachiæ Filii, cum quo in Ægyptum auffugerit, ibi Magicis artibus imbutus, & inde redux Populum seduxerit Doctrina impura fictisque miraculis, aut virtute nominis המפורש patratis; Cui quinque fuerint Discipuli, & qui tandem in oppido *Lud* sive *Lydda* in vespera Paschatis ceu Populi Seductor fuerit suspensus; pro more vero inter Judæos recepto per quadraginta ante ejus mortem dies Præconem unumquemque ad ejus defensionem invitasse; post mortem vero illius Resurrectionem fuisse fictam.

§. XLII.

A mortis illius genere ipsum vocant תלוי *suspensum*; Matrem ipsius תלויה *suspensam*, זונה *meretricem*: Nec non blaspheme ipsum vocant כשפן & חרשא *Magum* & *Maleficum*: Crucem ejus תועבה *abominationem*: Evangelium ejus און גליון *iniquitatis revelationem*, ut alia taceam.

§. XLIII.

Negant ideo ipsum esse Jehovam Dei filium Psal. II. genitum ante Creationem Mundi Prov. VIII. Michæ V. Esaj. XLVIII. Deum fortem ac Patrem æternitatis Esaj. IX. Venturum illum in Carne, de quo Psal. XL. 7. nasciturum ex Virgine Esaj. VII. IX. ex Semine Davidis Esaj. XI. Jer. XXIII. & quidem Bethlehemi in Urbe Davidis Michæ V. mittendum illum ad Gentes Zach. II. Doloribus afficiendum Esaj. LIII. transfigendum, Zach. XII. sepeliendum ita, ut cor-

ruptionem non sit visurus, Psal. XVI. qui itaque sit Immanuel, Deus & homo, Dominus & Servus, æternus & natus, Princeps vitæ & Filius mortis.

§. XLIV.

Inde est quod etiam negant: Angelum illum, qui apparuit Patriarchis, qui ipsorum Ductor & Pastor fuit, & Liberator ab omni malo Gen. XLIIII. qui Mosi in Rubo ardente apparuit, qui Israëlis per desertum Dux & Legislator fuit; qui adoratus & invocatus fuit; Qui Dei facies nuncupatur, & in cujus medio Dei nomen esse dicitur; negant, inquam, hunc Angelum fuisse increatum, ipsum Jehovam, suo tempore in carne manifestandum, ut fieret Semen Abrahami, Davidis, Mulieris, ex Patribus secundum carnem.

§. XLV.

Negant Dominum nostrum Jesum Christum verum Mundi Salvatorem eo natum fuisse tempore atque loco, qui à Prophetis prædictus erat, Gen. XLIX. Dan. IX. Mich. V. Mal. III. IV. præcursore Elia mystico præmissa, Esaj. XL. 3. Mal. IV. 5. Luc. I. 17. Negant ipsum natum esse ex Maria Virgine & Davidis prosapia.

§. XLVI.

Negant ipsius Doctrinam quoad substantiam & scopum fuisse eandem cum Mosis & Prophetarum quoad credenda & facienda, quoad Dogmata, Præcepta & Promissa Vaticiniaque. Negant ipsum ratione vitæ fuisse inculpatum, nullius unquam convictum peccati, vel fraudis. Negant ipsum Miracula tum propria tum Patris coelestis virtute fecisse. Negant ipsum Passiones

&

& Mortem juxta Dei consilium propter peccata Mundi subiisse, tot Oraculis prædictam, tot figuris adumbratam.

§. XLVII.

Negant eandem ob caussam ipsum tertio post mortem die resurrexisse, tum Patris tum propria virtute, ipsumque testibus Apostolis in cœlum ascendisse, ad dextram Dei sedisse. Ps. CX.

§. XLVIII.

Negant, ut summatim omnia dicam, ipsum fuisse verum Prophetam Mosi similem & majorem Deut. XVIII. 15. Qui talem sese exhibuerit Persona, doctrina, liberatione, mediatione inter Deum hominesque, vaticiniis, miraculis, aliisque veri Prophetæ characteribus.

§. XLIX.

Negant ipsum fuisse verum Sacerdotem Aharone ejusque successoribus sublimiorem, juxta ordinem Melchisedeci, qui seipsum loco Mundi in victimam piacularem obtulerit, qui proprium fuderit sanguinem, & pro peccatis Populi intercessurus Sanctuarium cœleste ingressus sit.

§. L.

Negant denique ipsum verum esse Regem, spiritualem nempe, qui jus & potestatem regiam exerceat in Ecclesiam & universas Gentes.

§. LI.

Negant circumstantias mortis & passionis illius per Prophetas fuisse prædictas, & in historia Evangelica recte applicatas. Psal. XXII. XLI. Esaj. LIII. Zach. XI. 12. 13. XII. 10. Dan. IX.

 24.

24. 26. Agno Paschali, vacca rufa, serpente æneo, aliisque typis personalibus etiam præfiguratas.

§. LII.

Negantes Messiæ Adventum jamjam factum, verumque illius scopum; eumque in solorum Israelitarum bonum adventurum autumantes, mirum non est quod etiam inficiantur, post Messiam exhibitum Gentes etiam juxta Prophetarum Oracula in Populum Dei vocandas, ut evadant spirituales filii Abrahæ. Negant vocationem illam in Prophetarum Oraculis sæpissime prædictam jamjam ex parte fuisse adimpletam, Deumque propterea in spiritu & veritate omni in loco, omni tempore, ab omnibus Gentibus invocandum & adorandum esse.

§. LIII.

Cum Libri illi, quos Christiani ad Canonem Nov. Test. referunt, id unice contineant, ut ostendant Messiam jam advenisse in Persona benedicti Salvatoris Jesu Christi; illiusque adventum cum suis circumstantiis, Personam, Vitæ conditionem, Doctrinam, fata factaque Propheticis Oraculis esse conformia; Inde est, quod Judæi etiam negant: Libros illos ab Apostolis atque Evangelistis consignatos divinæ esse Originis, tam quoad materiam quam quoad formam, à Viris piis, sinceris, fide dignis conscriptos, cum Libris Vet. Test. per omnia consentientes, normam propterea credendorum & faciendorum constituentes.

§. LIV.

Quoniam Judæi propriam erigentes justitiam nonnisi temporalia à Messia sperant, Jesumque

que propterea rejecerunt, mirum non est, si Satisfactionem ipsius per Passionem & Mortem, impetrationemque æternæ salutis per ipsum procurandam repudiant, nos per illius justitiam coram Deo justificari negant, adeoque Messiam in universo salutis æternæ negotio prætereunt, fidemque in ipsum necessariam esse negant.

Unde *Judæus* ille, cujus responsiones B. COCCEJUS consideravit Cap. IV. rogatus, an fides in Christum sit necessaria? respondit: „Vocabulum fidei de quo „hic quæritur distinctione opus habet: Nam si per „hoc intelligitur fides, quam in Deum habere oportet; hanc Judæi neque collocaverunt, neque collocabunt unquam in Messiam, fides enim hujusmodi „soli Deo debetur, non homini futuro Messiæ. Si „vero intelligitur de fide & certa spe, qua credi debet venturus ad liberandum Populum Israëliticum, „Judæi semper obligantur & obligati fuerunt, hanc „fidem habere & censere pro articulo fidei & legis „suæ: Adeo ut eum qui non credit, Deum missurum „Messiam, ad liberandum Populum Judaicum è servitute, eosque in Terram suam colligendum, statuamus alienum à Republica Israëlis, & à spe salutis exclusum.

§. LV.

Quia ergo in negotio salutis Deum non considerant tanquam eum, qui in Christo Jesu factus sit Deus Peccatoris, quique Christi meritum per Spiritum Sanctum homini applicet, mirum non est, si de Mysterio Trinitatis parum solliciti, negent in uno Deo esse tres personas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

§. LVI.

Hi sunt illi Judæorum Errores, qui ad Systema Religionis illorum pertinent, illosque à vera

Ecclesia arcent, qui certe non sunt de Aselli umbra, ut impie CELSUS apud ORIGENEM loquitur, sed Summam atque Centrum sanctissimæ Religionis nostræ feriunt; derelinquunt enim Deum factorem suum, & flocci faciunt Petram salutis suæ. Nunc breviter adhuc Errores nonnullos exhibebimus, qui aut sunt particulares aut fabulam redolent, aut non tanti sunt momenti quanti illi, quos modo exhibuimus.

§. LVII.

Statuunt nimirum, præter ea quæ hactenus diximus & quæ Systema Religionis illorum efficiunt, divinæ originis atque auctoritatis etiam esse *Artem Cabbalisticam*, cujus eadem quæ Legis oralis sit origo, & quam Moses ab ipso Deo acceperit, & quæ in Libro זהר comprehensa sit, cujus autor fingitur R. SIMEON filius JOCHAI; qui sapientiam hanc Cabbalisticam, antea oretenus traditam, collegerit & scripto mandaverit; Liber tamen hic mille demum post Simeonem annis lucem aspexit.

§. LVIII.

Hic autem Artis hujus cabbalisticæ debet esse usus, ut alter legis sensus, arcanus nimirum sive mysticus, litterali contradistinctus, illa erui possit. Quem sensum מדרש sive *inquisitionem* vocant, opposite ad sensum משמע ex litterarum auditu natum; miro vero artificio sensum hunc eruunt; vel per litterarum singularum unius vocis *transpositionem*, variamque *combinationem*; vel per *gematriam* sive arithmeticam *supputationem*; vel per *notarieon* sive ex singulis litteris totidem

vocum

vocum formationem, vel per ſingularem quandam myſticam legendi & ſcribendi rationem.

§. LIX.

De Nomine יהוה, quod ipſi המפורש *expoſitum* vocant, aſſerunt nefas eſſe illud pronuntiare, ſed aliis nominibus exponi debere, ut illo אדני; neque ulli hominum notum fuiſſe, quomodo à Sacerdotibus fuerit pronuntiatum; neque ullibi illud fuiſſe enunciatum quam in Sanctuario ſtante Templo, & quidem nonniſi à ſolo ſummo Sacerdote benedicente populo. Num. VI. 23. 24.

§. LX.

Singularem autem virtutem ſive vim phyſicam, vel potius hyperphyſicam, huic Nomini tribuunt, ad Miracula patranda, ad morbos ſanandos & omnem dolorem abſtergendum; Quem in uſum à Moſe, ab Eliſæo, ab ipſo denique Jeſu Chriſto adhibitum fuerit; qui ultimus nomen hoc è Sanctuario ſurripuerit, membranæ inſcripſerit, atque ita tenuerit.

§. LXI.

De ſpiritibus malis variæ poſteriorum Judæorum ſunt fictiones, illos nempe tales ſecundo Creationis die creatos fuiſſe aſſerunt cum ipſo Inferno; eosdemque eſſe ſpiritus ſublunares, ſubſtantias corporeas, aëreas ſcilicet & igneas, qui cibis utantur, generent, hominumque ad inſtar moriantur; Ex quorum cum filiabus hominum congreſſu Gen. VI. nati fuerint Gigantes illi homines flagitioſiſſimi; Uti ex Adami cum Lilith ſive ſpiritu nocturno & fœminino, ante concubitum cum Eva conjuge, geniti fuerint Dæmones, Lamiæ nocturnæ & Lemures.

§. LXII.

De animabus humanis asserunt, illas non modo primo Creationis die omnes simul cum luce fuisse creatas; & quidem pares illas fuisse, ut anima masculi & fœminæ simul fuerit creata; quæ si eadem postea in conjugibus jungantur felicia esse faustaque conjugia; alterum vero si eveniret, ut animæ conjungerentur, quæ ab initio non conjuges fuerint, connubia esse infausta.

§. LXIII.

PYTHAGORÆ porro de μετεμψυχώσει assumserunt opinionem, quod scilicet animæ è corpore egressæ vere in alia corpora migrent, justorum quidem in alia humana corpora, ut ex meliori alterius corporis temperamento perfectiores fierent; sive ut propter delicta in priori corpore patrata castigentur & sic in hac vita perfecte purgentur; Injustorum vero, uti nonnulli arbitrantur, in corpora Brutorum, pro variis nimirum affectibus aut in hoc aut in illud animal.

§. LXIV.

De futura Corporum Resurrectione multorum mens est; eam α. non futuram universalem omnium & singulorum hominum; sed beneficium hoc ad solos justos ex Judæis restringunt, quibus annumerandi etiam Proselyti justitiæ. β. Resurrectionem vero fieri dicunt vi & ope ossiculi cujusdam in spina dorsi; quod לוז שדרלא *lus Vertebrarum* appellant, quod nec corrumpatur, nec atteratur, nec emolliri nec comburi queat, cujus ceu fermenti ope Deus corpora humana restau-

restauratus sit. γ. De corporibus vero Israëlitarum extra Terram Cananæam sepultis perhibent, illa per mysterium revolutionis per meatus subterraneos in terram usque sanctam devolvi, in qua omnes denique Israëlitæ resurrecturi sint.

§. LXV.

Futuram vero Judæorum, quam exspectant, felicitatem quod attinet, illam in bonis corporalibus consistere putant, in omnis generis deliciis ac voluptatibus; ut talis in sæculo futuro sub finem sexti millenarii Israëlitis per Messiam expectanda instauratio sit, qua mortuis resuscitatis, & Israëlitis omnibus in toto orbe dispersis in Terram Cananæam reductis, uti Josuæ & Esdræ temporibus factum sit, Hierosolyma sint restauranda, Templum reædificandum, quale ab *Ezechiele* descriptum sit Cap. XL. seqq. Cultum Mosaicum restituendum, Israëlitisque totius orbis imperium tradendum; iisque diebus solemne à Messia convivium celebrandum esse, quo omnes Israëlitas lautissime excepturus sit.

Judaismi Caussæ.

§. LXVI.

CAUSSAS incredulitatis Judæorum quod attinet, distinguendi sunt Judæi illi qui Christi Apostolorumque temporibus vixerunt, ab iis qui temporibus ea insequentibus & nostris vivunt.

Scripsit de hac re Episcopus KIDDERUS: Vide collectionem illam Concionum cui titulus est: *Defense de la Religion tant Naturelle que Revelée contre les*

les infideles & les incredules, extraite des ecrits publiés pour la fondation de Mr BOYLE, par les plus habiles Gens d'Angleterre Tom. I. pag. 166. seqq. II. *Partie qui contient les diverses sources de l'Incredulité opiniatre des Juifs.*

§. LXVII.

Illos quod attinet qui Christo Apostolisque contemporanei fuere; caussa incredulitatis illorum aut in animi illorum dispositione, aut in illorum præjudiciis quærenda est.

§. LXVIII.

Ad priorem Classem pertinet 1.) quod Populus hicce, rebus sensualibus plane deditus, atque amore rerum temporalium sive corporalium plane captus fuerit. Ipsa nimirum Lex Mosaica nonnisi litteraliter intellecta huic illorum affectui atque opinioni favere ipsis videbatur; dum promissiones sibi à Mose factas non ultra Bona terrestria extendendas esse censebant. Loquitur nimirum Propheta hicce de longæva vita in terra ipsis promissa, de terra fluente melle & lacte, de tranquilla in Palæstina habitatione, de victoriis ab inimicis reportandis.

§. LXIX.

Conjiciebant inde Judæi, eodem etiam sensu intelligenda esse Vaticinia de diebus Messiæ facta; unde nonnisi honores ac divitias terrestres, pacemque temporalem à Messia adducendam expectabant. Cumque ipsis Christus nonnisi de Cruce portanda, de sui ipsius abnegatione, aliisque rebus carni admodum ingratis atque opinioni ipsorum parum respondentibus, imo è diame-

diametro oppositis, loqueretur, palamque Regnum suum non esse mundanum profiteretur, fieri vix potuit, quominus personam ejus humilem contemtui haberent, ipsiusque doctrinam rejicerent.

§. LXX.

2.) Accedit huic caussae *alia:* Nempe maxima animi corruptio, quae summum attigerat gradum, ut cor suum plane obdurarent, veritatique malitiose resisterent.

§. LXXI.

Quo factum, ut, non obstante maximo miraculorum à J. C. patratorum numero, quae evidentissima veritatis doctrinae illius fuere Argumenta & Documenta, quorum veritatem inficias ire minime poterant, non modo veritatem fugerent, sed ex obstinatissima malitia dicerent, Cacodaemonis ope illa à Christo fuisse patrata. Imo post ipsius mortem Resurrectionis illius veritatem dubiam reddere conabantur, nec non effectus effusionis Spiritus S. ebrietati adscribendos esse dicebant.

§. LXXII.

3.) *Tertia caussa* est fastus intolerabilis inde natus, quod Populus hic ab omnibus reliquis distinctus, solus à Deo adoptatus fuerat, ipsi concredita erant eloquia Dei, ipsius erat adoptio filiorum, & gloria & testamenta, & Legislatio, & Cultus, & promissa, Rom. IX. 4. Factum hinc, ut Messiae Doctrina ipsis minime placeret, quae huc tendebat, ut ostenderet, nunc omne plane inter omnes plane nationes discrimen sublatum esse, ut Judaei in posterum non majores ceteris Popu-

Populis habituri essent prærogativas, nihilque magis quam humilitatem ipsis commendabat.

§. LXXIII.

Ad *alteram caussarum* incredulitatis *classem* pertinet 1.) Nimius externorum Rituum atque totius Cultus cærimonialis, etiam ultra divinum præceptum, Amor. In observatione enim Rituum illorum ipsum divinum Cultum consistere opinabantur, & non modo in illorum observatione justitiam & peccatorum remissionem quærebant, sed æternæ etiam durationis Cultum illum esse nulli plane dubitabant.

§. LXXIV.

Christus vero contrarium docuit, illorumque animos à minutiarum illarum amore avocare, illosque ad verum Dei Cultum, qui in spiritu & veritate consistit, adducere studuit. Tempusque adesse docuit, quo omnis Cultus cærimonialis atque externus abrogandus esset, & nonnisi spiritualis obtineret.

§. LXXV.

2.) Autoritatem porro fere divinam ii qui in Mosis Cathedra sedebant, in decidendis & præscribendis rebus Exercitium Religionis sive Cultum illum carnalem spectantibus habebant; quæ caussa est quod in scriptis Vet. Test. Deorum nomine veniebant, unde cœca quasi fide & obedientia Populus omnia ea amplectebatur, quæ ipsi pronuntiabant.

§. LXXVI.

Cum vero non è re Procerum illorum Judaicorum ea essent, quæ Christus docebat; Neque

que populus, propter summam quam iis debebat reverentiam, facile ab illorum præscriptis abduci posset, mirum non est quod maxima Populi hujus pars statutis Mosis ejusque Vicariorum affixa manebat, Christique Doctrinam illis è diametro oppositam respuebat.

§. LXXVII.

3.) Patrum Traditiones maximo ab illis in pretio habebantur, ut ejusdem, si non majoris, autoritatis cum Verbo scripto censerentur; Cum vero Traditiones illæ nihil tantopere inculcarent ac ritus externos levissimi etiam momenti, Christus autem nonnisi ad Verbum scriptum provocaret, Traditionibusque sæpissime contradiceret; fiebat ut plurima Judæorum pars Christi Doctrinam ceu falsissimam rejiceret, dum præconceptis atque altissime radicatis opinionibus illa minime consentiret.

§. LXXVIII.

Judæos vero, qui sequentibus sæculis ad nostra usque tempora vixerunt, quod attinet, *aliæ* adhuc *incredulitatis caussæ* accesserunt, quæ vel Christianorum neglectui tribuendæ, vel propriæ Judæorum culpæ adscribendæ sunt.

§. LXXIX.

Prioris generis sunt 1.) quod Christiani Populum hunc plane neglectui habuerunt, neque ad infelicem hancce nationem convertendam debitam adhibuerunt diligentiam. Ab initiis Christianismi Apostoli maximam gerebant curam, ut Populum huncce ad fidem Christianam converterent; neglectius deinceps à Christianis fuit habita Gens hæc, ut conversio illius paucissimis curæ cordique fuerit.

2.) Mul-

§. LXXX.

2.) Multa etiam in Christiana Ecclesia deprehenduntur, quæ Judæis, aliisque etiam nationibus infidelibus, non possunt non offendiculo esse; quæque obstacula sunt, quominus ad Christianismum se converti sinant. *Primo* enim non minus in media Christiana Ecclesia atrocissima etiam scelera grassantur, ac in medio Ethnicismo aut Turcismo; unde concludunt: quod si Doctrina, quam Christiani profitentur, tam sancta esset; si hæc sola ad perennem ac solidam felicitatem viam monstraret, fieri non posset quin cum vita sanctiore Disciplina hæc conjuncta esset, ut ad veram Pietatem vitam & facta sua Christianæ Religionis Confessores componerent; quod cum non fiat, manifestissimo id esse indicio, non tutiorem in disciplina Christiana ad felicitatem inveniri viam, quam in alia quacunque Religione.

§. LXXXI.

Secundo in maxima etiam Christianæ Ecclesiæ parte talia obtinent statuta, leges, cultusque, qui illi, quem Moses atque Prophetæ præscripserunt, est adversus; inprimis enim ab imaginum Cultu abhorrentibus, illarum adoratio ac fabricatio non potest non maximæ ipsis detestationi esse.

§. LXXXII.

Tertio. Hisce accedit deploranda Christianorum in varias Sectas divisio, infensissimaque Theologorum jurgia ac dissidia; unde non potest non iis, qui extra Ecclesiam vivunt, maximum de veritate Religionis nostræ oriri dubium; præcipue cum major Doctrinæ Judaicæ sit conformitas, ut

non

non in tot tantasque discissa sit illorum Ecclesia sectas.

§. LXXXIII.

3.) Augetur Judæorum erga Christianos odium, per contemtum ac ludibrium quo communiter à Christianis habentur; per scommata quibus excipiuntur; unde magis exacerbatur illorum animus, & ipsi Religioni Christianæ, & quidem citra culpam ipsius, infensus redditur.

§. LXXXIV.

4.) Haud raro etiam perverso ipsos refutandi & convincendi methodus fuit adhibita, eaque qua Apostoli olim usi sunt neglecta; Omnis nimirum Carnis impotentia ipsis monstranda, atque ostendendum, impossibile esse per Legem ullum hominem servari, dum infirmata illa sit per peccatum, id vero Deum præstitisse mittendo filium suum in similitudine carnis peccati, ut impleretur in nobis justificamentum legis.

§. LXXXV.

Hoc ut feliciori successu fieri possit, addiscenda illorum lingua, excutienda eorum scripta, quo studio nullum hodie magis negligitur inter Christianos; sine quo tamen Judæorum convictio, ac felix cum illis disputatio vix speranda est.

§. LXXXVI.

A parte vero Judæorum duo præcipue sunt, quæ animum eorum à Religione nostra avertunt, & conversioni illorum obsunt. α. Liberorum educatio sive illorum institutio; quæ ita comparata est, ut parentes, maxima adhibita diligentia non modo perpetuam Legis illius in placitis dura-

durationem inculcent, sed & illorum animum maximis contra Christianam Disciplinam præjudiciis imbuant; ut præconceptæ illæ opiniones tam altæ radicatæ nulla fere ratione extirpari queant.

§. LXXXVII.

β. Arcet illos denique, ab Ecclesiæ Christianæ communione, horrendum anathema atque stupendæ illæ execrationes, quibus devoventur ii, qui ad Christianorum castra transierunt; ut absterreantur illi, qui adhucdum Doctrinam profitentur judaicam, cujus anathematis formulam vide apud COLERUM in Vita SPINOZÆ.

Ab utraque parte concessa.

§. LXXXVIII.

Ut eo melius determinari possit, quo in articulo à Judæis maxime dissentiamus, dispiciendum primo nobis, qua in re nobiscum Adversarii consentiant. Illi nimirum *α*. non minus ac nos, Deum se hominibus revelasse, firmiter tenent; Librosque Veteris Testamenti divinæ esse originis contendunt, eosque divinam in se continere voluntatem asserunt.

§. LXXXIX.

β. Consentimus, tam Miracula, quam Prophetias, divinæ missionis certissima esse Argumenta & Documenta; neque Revelationem, si pro divina agnosci debeat, quidquam in se continere posse, quod Deo indignum ejusque Attributis adversum sit.

§. XC.

γ. Nobiscum id sibi concedi postulant, quod

iis

iis rebus geſtis firmiſſima haberi queat fides, quarum non modo Teſtes oculati exiſtant, qui omnibus Hiſtoricorum fide digniſſimorum gaudeant characteribus; ſed quorum teſtimonium non oretenus tantum; ſed ſcriptis etiam conſignatum, ab una Generatione alteri, nunquam interrupta ſerie, traditum, & ſic ad noſtra usque tempora propagatum ſit; ut nullius unquam corruptionis jure argui potuerit.

§. XCI.

δ. Meſſiæ miſſionem nonniſi gratuitæ divinæ voluntatis actum eſſe nobiscum ſtatuunt; neque aliter quam per divinam Revelationem cognoſci poſſe, tam Adventus illius certitudinem; quam ipſius notas, nec non veram Beneficiorum ab ipſo præſtandorum naturam, dum totum hoc negotium mero Dei arbitrio adſcribendum ſit.

§. XII.

ε. Conſentiunt Liberatorem hunc à Moſe & Prophetis fuiſſe promiſſum, Characteresque illius determinatos.

§. XCIII.


ς. Jeſum Chriſtum illum Nazarenum, qui à Chriſtianis Meſſias habetur, ante ſeptendecim, & quod excurrit, ſæcula, in terra Cananæa inter Judæos revera vixiſſe; ubique cruci fuiſſe affixum & mortuum.

§. XCIV.

Verus autem Controverſiæ ſtatus circa hæc præcipue verſatur Capita: Num homo ipſemet pro peccatis ſuis ſatisfacere poſſit? Num Meſſias eum in finem à Deo fuerit promiſſus, ut perfecta

sua obedientia, passionibus, morte, pro peccatis electorum satisfaciat? Num Jesus Nazarenus fuerit Liberator ille promissus, qui ad expianda nostra peccata in Mundum venerit, verasque habuerit divinæ Originis notas, eaque criteria quibus antea à Mose & Prophetis depictus fuit? Num denique Librorum Novi Testamenti Divinitas ejusdem certitudinis sit, quæ à nobis & adversariis nostris Veteris Testamenti Libris tribuitur? Quæ omnia Judæi negant, nos vero affirmamus.

In Judæorum refutatione is observandus est ordo & ea methodus, quæ contra Infideles & Incredulos qualescunque adhibenda est; Ut *primo* miseriæ ex peccato ortæ magnitudo, *deinde* satisfactionis per Messiam pro peccatis necessitas, *ejusque* vera ratio, *nec non* vera Liberatoris requisita & proprietates, demonstrentur. Communis enim hæc omnium Incredulorum, Infidelium, Hæreticorum hypothesis est, quod nec Peccatoris maximam miseriam, nec indispensabilem Satisfactionis æquivalentis necessitatem agnoscunt; Unde id præprimis agendum, ut de veritatibus hisce Adversarii convincantur, hæc etiam Jesu Christi & Spiritus S. Joh. XVI. 8. 9. 10. 11. & Apostolorum, Pauli præcipue, Rom. Cap. I. II. III. docendi methodus fuit, quam propterea ceu optimam merito sequimur.



Hypo-

Hypotheſeos Judaicæ Refutatio.

Propoſitio I.

§. XCV.

Homo Peccator, qua conſtitutus in ſtatu moraliter imperfecto, ſine miraculo actionem vere bonam, hoc eſt Attributis divinis & propriæ ſaluti conformem atque perfectam edere nequit; neque per ipſius impotentiam licet, ut ipſe ſe à malo, quod ſibi per Libertatis abuſum accerſivit, liberet, ſeque ſtatui moraliter perfecto reſtituat.

§. XCVI.

Hujus Propoſitionis demonſtratio petenda eſt ex Cap. III. *Syſt, noſtri* §. 871. 915. 916.

Judæi nativam hominis corruptionem ſive naturalem peccatum pronitatem, adeoque Peccatum originale, inficiantur; unde nec miſeriæ Peccatoris veram rationem agnoſcunt. Hujus autem rei tam ex Libris V. T. quam ex propriis nonnullorum dictorum explicationibus convinci debent. Hominem enim a natura nunc eſſe depravatum, & ad vitia quævis pronum, te-

ftatur tam S. Scriptura quam experientia. Scriptura enim dicit. Gen. VI. 5. *Omne figmentum cogitationum cordis hominis esse malum omni die.* Et. Gen. III. 21. *Figmentum cordis humani malum à pueritia ejus* esse dicitur: de quo dicto ita *MENASSE de fragil. hum. pag.* 129. Gen. VIII. 20. *Non maledicam ultra Terræ propter hominem, nam appetitus hominis malus est à juventute ejus; hoc est, ab eo tempore, quo prodit è ventre suæ matris. Nam simul ac ubera sugit, concupiscentiam suam sequitur, & adhuc infans, occupatur ab ira, invidia, odio, ac ceteris vitiis, quibus tenera illa ætas est obnoxia.* Prov. XXII. 15. *SALOMON* dicit: *Stultitiam alligatam esse animo pueri.* Ad quem locum ita obſervat *R. LEVI BEN GERSOM. in principio* jam ipſi ſtultitia quaſi *adnata est.* De peccato hoc omnibus hominibus communi & originali *DAVID* dixit, Pſalmo LI. 7. *Ecce, in iniquitate genitus sum, & in peccato fovit me mater mea*, In quem locum ita habet *ABEN EZRA: Ecce) propter concupiscentiam innatam cordi humano dicitur, in iniquitate genitus sum, atque sensus est, quod à nativitate implantatum sit cordi humano* jetzer harang, *figmentum malum. Quod vero dicit, & in peccato fovit me mater mea) est modus loquendi peregrinus, quasi calefacta est ex me.* Et *MENASSE BEN ISRAEL de Fragilit.* pag. 2. *En, in iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea. Sive autem hoc intelligatur de matre communi, quæ fuit Eva; sive de sua solum David dixerit; significare voluit, esse peccatum quasi naturale, & inseparabile in hac vita. Ideo & post commissum delictum Eva concepit,*

cepit, & quotquot postea geniti sunt, non juxta regulam, recte rationi conformem, sed affectus perturbatos, & libidinosos producti sunt. Addit: recte aliquem ex sapientibus Judæorum, nempe R. *AHA*, observasse: *Davidem significare, voluisse, etiam piis, & virtute excellentibus, impossibile esse, nunquam in aliquod peccatum incurrisse.* Idem quod David, *JOBUS* etiam asserit Cap. XIV. 4. dicens: *Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem.* De quibus verbis ita *ABEN EZRA*: *Sensus est sicuti ejus, in iniquitate genitus sum, quia homo fit ex re immunda.* Omnes vero homines universaliter corruptos esse confitetur R. *JOSEPHUS JAHIAS* apud *MENASSEM de Fragilit. hom.* pag. 5. ubi verba ejus allegat dicentis: *Potuitne hoc fieri, Domine, quod in judicium, & ad rationes tecum conferendas vocaveris, ideo quod tibi non servi verim semper promto animo, & debita perfectione? Hoc impossibile est homini terreno; quoniam non est justus in terra, qui non peccet. Qui posset dare, aut facere aliquid, quod esset ab omni parte purum, velut Angeli, cum sit impurus per se & materialis? Ne quidem unus.* Alios adhuc idem asserentes Autor memoratus citat. Eadem veritas ex morte etiam ceu peccati pœna probari potest, dum, uti omnes in genere homine, ita infantes etiam statim post nativitatem moriuntur, licet nullum adhuc actuale commiserint peccatum Mors vero peccati stipendium est, unde Deus apud *EZECHIELEM* Cap. XVIII. 4. dicit: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Bene ergo habent quæ dicit *MENASSE de Fragilitate hum.* pag. 10. *ubi est pœna, ibi præsupponitur culpa* Et Lib. III. *de Resurrect.* pag. 343. *Itaque si illo sæculo*

nemo peccaverit, nemo etiam morietur. - Nam juxta Veterum ſententiam, non eſt mors absque peccato, neque pœna absque delicto. Ex quibus *MENASSIS* verbis ita argumentari licet: Ubi eſt pœna, ibi etiam præſupponitur culpa. Atqui pœna peccati ſive mors eſt univerſalis, dum non adulti ſolum, ſed & infantes recens nati, moriuntur; E. & Culpa univerſalis eſt.

§. XCVII.

Omnes homines Peccatores eſſe & natura corruptos, ut peccatum ſit hæreditarium, ex Experientia univerſali, & ipſis Rationis Principiis demonſtravimus, Sect. X. Cap. III. ubi agitur *de Peccato ejusque ſequelis.*

Propoſitio II.

§. XCVIII.

Pœna Peccati eſt indiſpenſabilis ut & Satisfactio.

§. XCIX.

Demonſtratio hujus Propoſitionis habetur Cap. III. §. 906. 907.

Propoſitio III.

§. C.

Homo ipſe pro peccatis divinæ Juſtitiæ ſatisfacere nequit.

§. CI.

Opus enim hoc vires Univerſi & omnium crea-

creaturarum excedit (Tom. I. Cap. III. §. 931.), & homo liberandus in hoc negotio à Deo dependet (loc. cit. §. 948.)

Propositio IV.

§. CII.

Tali opus est Liberatore, qui hominibus non tantum bona corporalia tribuat, sed qui eos ab infinita poena liberet.

§. CIII.

Cum enim poena & satisfactio pro ea sit indispensabilis, per Propos. II. Et homo ipse eam præstare nequeat, per Propos III. Sequitur alio opus esse Liberatore, qui ipsum ab infinito malo liberet.

Propositio V.

§. CIV.

Liberator hic talis esse debuit Persona, quæ infinitas sustinere posset passiones, adeoque Deus simul & Homo esset.

§. CV.

Vide hæc demonstrata Tom. I. Cap. III. §. 1023. 1024. Homo debuit esse, ut passiones subire

ire posset hominum loco (loc. cit. §. 1093.); Deus vero, ut Redemtionis pretium infiniti valoris esset (loc. cit. §. 1090. 1091. 1092.)

Propositio VI.

§. CVI.

Jesus Christus Nazarenus, qui à Christianis Messias habetur, omnia Liberatoris promissi Criteria habet, propterea talis agnoscendus est.

§. CVII.

Ad hanc propositionem probandam videnda in genere quæ Cap. III. Sect. XV. & XVIII. à nobis demonstrata sunt, quæ paulo explicatius nunc evolvenda. *Primo* quidem Judæi Jesum extitisse non inficiantur, sed ipsum à suis vespera Paschatis interemtum confitentur. Unde *Autor Zemach* ישוע נוצרי נולד, *Jesus Nazarenus natus est in Bethlehem Juda, quæ distat Jerusalemo leuca una & dimidia, anno 3761, à creatione mundi, 40. Imperii Cæsaris Augusti.* Et in *Talmude Sanhedrin* dicitur: *Et in Vespere Paschatis suspenderunt Jesum;* Unde illum per contemtum *suspensum* תלוי & Christianos *Cultores suspensi* עובדי תלוי *appellant.*

In Talmude mentio fit de Jesu Stadæ & Pandiræ filio, qui discipulus Perachiæ fuerit, qui cum Præceptore suo in Egyptum aufugiens magiam ibi didicerit; tandem à suis in vespera Paschatis lapidatus fuerit. An vero hæc de Jesu Nazareno, an de alio quodam etiam Jesu appellato intelligenda sint, disceptatur.

Con-

§. CVIII.

Concedunt etiam Mosen & omnes Prophetas de Messia vaticinatos esse. Dicta imprimis sequentia de eo explicant. Gen. III. 15. Gen. XLIX. 10. 11. Deut. XVIII. 15. Psalmum II. ut & CX. Jes. VIII. 14. cap. IX. 6. cap. XI. 1. 2. 3. 4. 6. 10. cap. XL. 3. 4. cap. XLII. 1. cap. XLIX. cap. LII. 13. & cap. LIII. Michæ V. 1. Jer. XXIII. 5. & cap. XXXIII. 15. Ezech. XXXIV. 23. 24. Dan. VII. 13. 14. cap. IX. 24. Hag. II. 8. Zach. IX. 9. Mal. III. 1.

Vide *ALLIX Ausspruch* pag. 25. *EISENMENGER* in seinem *entdeckten Judenthum*, passim. *REINBECK Betrachtungen über die Augspurgische Confession* XXXIX. Betr. Parte III. §. 5. -- 22. ubi Rabbinorum & Talmudis dicta de hac re in notis subjungit.

§. CIX.

Duo vero contra Judæos hic probanda sunt, in quibus toto cœlo à nobis discrepant. *Primum* est, num Bona corporalia, an vero spiritualia ab ipso exspectanda sint? *Alterum* an Jesus Christus sit Messias ille quem Deus toties & tam auguste in Libris Vet. Test. promisit? Huc enim tota controversia redit (§. 94.).

§. CX.

Præcipuum adventus Messiæ finem, Bona spiritualia hominibus paranda, & à peccatis, illorumque pœna, Liberationem esse, patet inde, quia talis Mediator inter Deum & homines peccatores absolute necessarius est, si homo salvus fieri debeat (per Propos. IV. §. 102. 103.).

§. CXI.

Probatur eadem veritas ex Dictis Vet. Test. quæ de Messia agere ipsimet Adversarii concedunt. Promittitur nimirum de Messia *Ipsum Caput serpentis contriturum esse*, Gen. III, 15. Unde liquet, respici hic ad Protoplastorum per serpentem ad peccatum seductionem; ut Beneficium per Messiam Liberatorem adducendum plane spirituale esse debeat, & in hoc consistat, quod Peccator à dominio serpentis & peccati liberandus sit.

§. CXII.

Et cum Deus populo Israëlitico modo plane tremendo, signisque terribilibus, Legem suam daret, Populus plane tremefactus à conspectu Dei fugiebat, & ne Deus amplius cum ipsis loqueretur, petebat: Deut. XVIII. 16. 17. Unde Deus versu 18. ipsis magnum illum Prophetam Messiam promittebat; quique adeo Mediatoris munere inter Deum hominesque fungeretur. Ratio vero, cur Israelitæ familiare cum Deo commercium amplius habere nollent, erant excandescentis illius Iræ erga Peccatores signa, peccatique conscientia; Unde Bonum, quod Populus hic à promisso illo Propheta exspectare poterat, hoc erat: quod Deum cum Peccatoribus reconciliaturus sit; ut Homo non amplius habeat cur Deum fugiat, & ut Deus hominem non amplius ceu legis suæ transgressorem respiciat, ipsique ignis consumens sit; quod Bonum plane spirituale est.

§. CXIII.

Quando porro Messias appellatur *Sacerdos secun-*

secundum ordinem Melchisedeci, Psalm. CX. 14. iterum patet quale ipsius munus esse debeat, tale scilicet, quale olim Sacerdotum fuit, ut nimirum Peccatoris loco ad Deum accederet Mediatorisque vicibus fungeretur. Et cum nominatur Sacerdos non secundum Aharonis, sed Melchisedeci ordinem, idque in æternum, apparet ipsum homines plane alio atque excellentiori modo cum Deo reconciliaturum, quam Sacerdotes Levitici fecerunt. Unde iterum Bona mere spiritualia ab ipso exspectari poterant.

§. CXIV.

Consideratur etiam ceu sacrificium expiatorium, *& Agnus mactandus*, in quem Deus omnia nostra peccata conjecerit: Jes. LIII. 6. 10. *Ceu Deus Justitia nostra:* Jer. XXIII. 5. 6. *Ceu sanctissimus, transgressiones nostras auferens, peccata nostra obsignans, æternamque Justitiam afferens:* Dan. IX. 24. Quæ promissiones omnes, plane spirituales, plenariam pro peccatis Satisfactionem promittunt, quæ verus Liberatoris finis est (per propos. IV.).

§. CXV.

Liberationem vero illam non ad solos Judæos, sed ad reliquas etiam Gentes pertinere ex ipso Protevangelio apparet. Eo enim tempore Judæi nondum extiterunt, ut promissio hæc ad eos solos restringi minime possit; sed *Universalis* est, uti enim Adamus in toto negotio suo cum Deo Personam publicam gessit, ita promissio ipsi facta non modo hoc vel illud Individuum ex ejus Posteris respicere potest. Et si Evangelium hoc Liberos Adami respexit, vel ad Sethum solum

lum pertinuit, vel ad alios etiam; si concedamus promissionem Setho soli factam fuisse, non Judæi modo, sed multi alii Populi ex eo descenderunt. *Deinde* promissio de conterendo Capite serpentis, abrogandoque seductore, peccatique dominio, adeo *generalis* est, ut ad solum aliquem Populum, bis mille demum annis post hæc ortum, restringi absqne contradictione & clarissimi Scripturæ sensus contorsione minime possit.

§. CXVI.

Promittitur etiam Abrahamo in Semine ejus non solis Posteris suis sed *omnibus Populis Terræ benedictum iri.* Gen. XXII. 18. Et Patriarcha Jacobus filiis suis benedicens de SCHILOH vaticinatur, *omnes ipsi adhæsuras esse Gentes.* Gen. XLIX. 10. David dicit, *Regem in Monte Zionis unctum, hæreditaturum esse Gentes, cum omnibus Terræ finibus*, Psal. II. 8. Adde Esajæ XL. 5. XLII. 1. XLIX. 6. Etiam Messias solatium omnium Gentium dicitur Haggai II. 8.

§. CXVII.

Id nunc superest, ut ostendamus Jesum Christum esse magnum illum generis humani Liberatorem, per Mosen Prophetasque olim promissum, & suo tempore præstitum. *Argumentum* autem *generale* hoc est: *Cuicunque omnia ea Criteria competunt, quæ à Mose Prophetisque de Messiæ Persona atque Munere fuere prædicta, ille est verus Messias: Jesu Christo autem omnia ea competunt, quæ Moses Prophetæque de Persona atque Munere Messiæ prædixerunt. E. Jesus Christus Nazarenus est verus ille Messias.* Quæ nunc per partes demonstranda sunt.

Crite-

§. CXVIII.

Criteria *Personæ* ipsius sunt α. Præcursor. β. Tempus adventus illius. γ. Genus atque Prosapia. δ. Locus Nativitatis ipsius. ε. Atque extraordinarius modus, quo à Virgine conceptus fuit.

§. CXIX.

Messiæ α. *Præcursorem* quod spectat, aliquis ipsum præcedere debuit *in Spiritu & Virtute Eliæ.* Mal. III. 1. IV. 5. 6. Esajæ XL. 3. Ubi Judæi ipsimet Capitis initium ad versum usque 11. de Messiæ diebus explicant, omnesque Consolationes illas diebus Messiæ futuras esse asserunt. Ea vero, quæ in Vaticiniis hisce de Messiæ *Præcursore* perhibentur, *Johanni Baptistæ* eximie quadrare ex ipsorummet Judæorum de eo testimoniis clarissime patet; *JOSEPHUS* enim Lib. XVIII. *Antiquit.* Cap. VII. didit: *Apud Judæos autem fuit Opinio, justa ultione Numinis deletum Herodis Exercitum, propter Johannem qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necavit Virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis Pietatis ac Justitiæ, simulque ad Baptismi lavacrum: quod ita demum Deo gratum ajebat foré, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per Justitiam prius mandatis, addant & puritatem Corporis. Quumque magni, concursus ad eum fierent: Plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet quod viderentur nihil non facturi ex ejus consilio, judicavit satius esse, prius quam novi aliquid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis seram pœnitentiam agere. Itaque vinctum missum in Macheruntem supradictam, illum occidi imperat. Quod factum secuta est Judæorum existimatio, ab ira-*

to

to Deo perditum esse Herodis exercitum. Johannem vero à Herode capite fuisse mulctatum, quod incestuosas Herodis nuptias graviter redarguisset, testatur *JOSEPHUS GORIONIDES Histor. Lib. V.* Cap. XLVI. *Ipse*, inquit, (Herodes) *accepit à Philippo fratre suo adhuc vivente uxorem ejus, etiam cum illa genuisset fratri suo filios: Eamque, inquam accepit sibi in uxorem, & interfecit multos ex sapientibus Israël. Occidit etiam Johannem quod dixerat ei: Non licet tibi habere uxorem Philippi. Hæc fuit causa quod eum peremit. Et hic fuit Johannes ille, qui baptismum celebravit.* Quæ testimonia non modo veritatem Historiæ evangelicæ confirmant, sed & auctoritati & excellenti illius Doctrinæ fidem faciunt.

Vide *HOORNBECKII* tractatum *contra Judæos Lib. III. cap. I. pag.* 217.

§. CXX.

Tempus adventus Messiæ quod attinet, Jesus Christus præcise eo apparuit tempore, quod à Prophetis designatum fuit. Vaticinia præcipue tria eminent, ex quibus patet, tempus illud jamjam præteriisse. Primum est illud Gen. XLIX. 10. Ubi, postquam in antecedentibus dictum fuerat, Jacobum congregasse filios suos, ipsisque exposuisse, quæ diebus ultimis ipsis eventura sint, additur de tribu Juda, *non auferetur Sceptrum à Jehudah, neque legislator è medio pedum ejus, donec venerit Schilo, & ei adhærebunt Populi,* Schilo, de quo hic mentio fit, Messiam esse, Judæi uno ore profitentur, uti patet ex paraphrasi ONKELOSI, & Targum JONATHÆ UZIELIDIS, *Targum Hierosolymitano, in Talmude Sanhedrin Cap. Chelek,* sive

five XI. aliisque pluribus Judæorum scriptis. Unde ex hoc dicto hoc modo argumentari licet: Sceptrum, five Poteftas regia, non fuit à Judæis auferenda nifi cum adventu Meffiæ: Atqui jam duo fere millenaria Poteftas regia à Judæis ablata eft; E. Adventus Meffiæ jam elapfus fit oportet. Poteftatem vero regiam à Judæis jam per feptendecim fecula plane ablatam effe non opus eft ut probemus, ipfa enim rei experientia optimus teftis eft; neque id ipfimet Judæi diffitentur, unde DAVID KIMCHIUS in Hos. III. 4. *Atque*, inquit, *hi funt dies Exilii in quo hodie fumus, nec Regem habemus nec Principem ex Ifrael. In poteftate fiquidem Gentium fumus, & in poteftate Regum ac Principum earum. Non eft facrificium ad Deum, nec ftatua ad Idola colenda. . . . Sic nos hodie in hoc Exilio omnes filii Ifraël fumus.*

Apponere lubet verba Cel. *REINBECKII Betracht. über die Augfpurgifche Confeffion*, Parte III. Betracht. 39. pag. 190. *Endlich war Herodes der groffe der letzte Kœnig über das ganze jüdifche Land, biß nach feinem Tode, da gedachtes Land aufs neue unter vieren feiner Sœhne getheilet wurde. Da wurde nun infonderheit der Stamm Juda zwœlf Jahr nach feinem Tode, nach dem fein Sohn Archelaus feines Reichs entfetzet worden, zur Rœmifchen Landfchaft gemacht; da denn der Stamm Juda feinen Scepter vœllig verlohren, und denfelben niemahls wieder erhalten hat; fo gar, daß auch nicht einmahl der geringfte Schein überblieben ift, daß diefer Stamm, nachdem die Stadt Jerufalem fchon über anderthalb taufend Jahr ift verftœhret geblieben, und bey den Juden kein Unterfcheid der Stæmme mehr zu finden*

den ist, dem Scepter jemahls wieder erhalten werde. Da nun Jacob ausdrücklich weissaget, daß der Scepter von Juda nicht entwendet werden sollte, biß der Held, oder der Messias würde kommen seyn: Und aber das erstere, wie wir gesehen haben, schon längst geschehen ist; so ist offenbahr, daß die Zeit der Zukunft des Messiæ, welche Gott durch die Weissagung Jacobs bestimmet hat, schon längst verflossen sey.

§. CXXI.

Alterum pro apparitione Messiæ jam prætérlapsa *argumentum* petimus ex Prophetia DANIELIS cap. IX. 24-27. ubi sequentia habentur verba: *Septimanæ septuaginta decisæ sunt super Populum meum, & super Civitatem sanctam tuam, ad cohibendam defectionem, & ad obsignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & adducendam justitiam perpetuam: & ad obsignandum visionem, ac Prophetam, & ad ungendum Sanctum sanctorum. Igitur cognoscito & intelligito ab enunciatione verbi, de reducendo Populo, & de ædificandis Hierosolymis, usque ad Messiam antecessorem fore septimanas septem, & septimanas sexaginta duas. Restaurabitur & ædificabitur platea & fossa, quia tempora erunt in angustia. Post septimanas autem illas sexaginta duas excidetur Messias, sed non propter se; civitatem vero ipsammet, ipsum sanctum perdet, Populumque principis in generatione proxima, adeo ut finis ei sit cum inundatione; denique ad finem belli erit extrema desolatio. Corroboravit vero fœdus multis septimana una: Dimidio autem septimanæ abolebit sacrificium & munus: Deinde per Exercitum infidelium desolabit etiam, donec consummatio & excisio effundatur super desolatos.*

Locum

§. CXXII.

Locum insignem hunc de Messia agere ipsimet Judæi, vel saltem plurima illorum pars confitentur, uti probarunt EISENMENGERUS Parte II. *Des entdeckten Judenthums* pag. 649. ex Abarbanele *Majene-Jeschua* fol. 64. col. 1. 2. Ut & REINBECKIUS *Betrachtung über die Augspurgische Confession* XXXIX. Betr. §. LXXVII. pag. 191. parte III. ex Rabbi Asaria Lib. Meor-Enaim. Et HOORNBECKIUS contra Judæos Lib. II. Cap. I. pag. 169. Et certe si hoc dictum de Messia non explicetur, nullum in toto Veteri Testamento extat, quod torqueri in alium sensum non possit, cum nullibi expressius de eo mentio fiat; vocatur enim *Messias Princeps*, & illum excisum iri dicitur, ubi iterum nomine suo appellatur: Deinde talia ipsi hic adscribuntur, quæ Cyro vel alii minime competunt, quod cohibiturus sit transgressionem, peccata obsignaturus, iniquitatem expiaturus, justitiam perpetuam adducturus, visionem & Prophetas obsignaturus sit; quæ omnia nemini nisi Messiæ competere possunt.

§. CXXIII.

In hoc autem dicto sequentes præcipue continentur veritates. α. Initium computationis annorum, qui ad adventum Messiæ usque præterfluere debebant, eo tempore ponendum esse, quo Edictum fuit editum de danda Israëlitis libertate, ut in terram suam reverti, ibique Templum suum & urbem reædificare possent. Finem vero in plenaria & extrema Populi desolatione quærendum esse, intra quæ tempora omnia ea evenire deberent, quæ Urbem Hierosolymam, cultum

sacrum in Templo hactenus peractum, nunc vero abrogandum, Messiæ adventum ejusque munera, respiciunt. β. Messiam debuisse venire durante adhuc Templo atque sacrificiis, & quidem non diu ante urbis, templi & sacrificiorum ultimam desolationem atque abrogationem.

§. CXXIV.

Ex quibus nunc hoc formare licet argumentum: *Qui, prædicente ipso Deo, ante ultimum Populi Judaici, Urbis, Templi, Sacrificiorumque excidium, ultimamque desolationem venire debuit, ille dudum, & quidem ante vastatam Urbem Hierosolymam advenit, elapsis scilicet sexaginta novem hebdomadis inde ab edicto de reædificanda Urbe & Populo ex captivitate reducendo computandis. Atqui, juxta Prophetiam hancce, Messias illo tempore venire debuit. E. jam ante ultimam Urbis vastationem & sacrificii abrogationem venit.*

§. CXXV.

Aliud dictum extat Haggai II. 7-10. *Sic ait Jehova Exercituum, adhuc pusillum illud est, & commoturus sum cœlos, & terram, & mare, & siccum: & commoturus sum omnes gentes, ut veniant ad desiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, ait Jehova Exercituum. Meum est Argentum & meum est Aurum, dictum Jehovæ Exercituum. Major futura est gloria domus hujus posterioris, quam illius prioris, ait Jehova Exercituum, nam in loco hoc dabo pacem, dictum Jehovæ Exercituum.*

§. CXXVI.

Verba hæc de templo secundo agere putant ex Judæis R. DAVID KIMCHI, Rabbi HAZARIA AADONI, & magna veterum pars, testante

ſtante MENASSE Lib. *de termino vitæ* pag. 152. His adde R. AKIBA, qui locum hunc de Rege Meſſia intelligit, male autem eum Pſeudo-Meſſiæ Barcozbæ applicat.

§. CXXVII.

Neque de templo aliquo tertio, uti Judæorum nonnulli fingunt, Vaticinium hoc explicari poſſe, ex ipſa apparet occaſione, qua Deus promiſſionem hancce dederat. Lachrymas nimirum fundebant ſenes ex Judæis, cum viderent Domum hanc Templo Salomonis ſplendore longe inferiorem Eſræ III. 12. Propterea ut Deus ipſos conſolaretur, animumque ipſis ad perficiendum hoc ædificium adderet, hanc ipſis dedit promiſſionem: Quod Gloria poſterioris hujus Domus major futura ſit priori. Gloriam vero iſtam non ſitam eſſe in re externa & corporali, ſed in re ſpirituali, ipſa textus verba indicant; dum α. indicatur, qua in re Gloria iſta *non* conſiſtere debeat; ſcilicet non in auro & argento, quod Deum non deficeret, ſi eo templum hoc exornatum vellet, cum omnia in ejus manu ſint, qui dicit: *meum eſt* omne *Aurum*, *& meum eſt Argentum.* Sed β. in bono aliquo ſpirituali Gloriam hanc conſtituram aſſerit: In eo ſcilicet bono, quod omnes homines maxime *deſiderabant*, quodque, non negantibus ipſis Judæis, præter Meſſiam nemo eſſe poteſt; Et in pace ſpirituali, quam ipſe allaturus eſſet.

§. CXXVIII.

Sequentes igitur in dicto hoc continentur veritates. α. Meſſiam venturum eſſe ſtante adhuc templo ſecundo. β. Maximas cum adventu Meſ-

siæ conjunctas futuras esse mutationes inter Judæos & Gentes. γ. ipsos etiam Gentiles ad Messiam Gentium desiderium conversum iri, quod & Patriarcha Jacobus dixerat. Gen. XLIX. 10.

§. CXXIX.

Ex Vaticinio ergo hoc ita argumentari licet: *Quicunque venire debuit stante adhuc templo secundo, & per cujus Adventum maxima oriri debuit inter Judæos, vel in Populi hujus Republica, mutatio, & ad quem Gentiles debuerunt converti, ille jam advenit; sed Christus juxta Vaticinium hoc illo tempore venire debuit, E. jam advenit.*

§. CXXX.

Demonstrata Adventus Messiæ jamjam facti veritate, ex tempore, quo juxta veteres Prophetias venire debuit; idem nunc etiam ratione *Generis atque Prosapiæ* ejus ostendendum est. Jesum sive Messiam *ex tribu Juda* & *ex familia Davidis* ortum suum debere ducere apud Judæos in confesso est, cum & hoc Criterium ab ipso Deo ante designatum fuerit. Jesum vero Nazarenum ex familia hac oriundam esse, tam quoad Patrem, quam quoad Matrem, Evangelistæ ex publicis Genealogiis, demonstrarunt; unde etiam Apostolus Paulus ad Hebr. VII. 14. ad hoc ceu rem notissimam provocat, dicens: *Manifestum esse Dominum nostrum ex Juda ortum suum habere.* Sequitur: Jesu Nazareno etiam hoc Messiæ Criterium competere.

§. CXXXI.

Nec hoc omittendum, quod Judæorum tribus atque familiæ nunc ita sint confusæ, ut nemo illorum sciat, ex quanam tribu vel familia oriundus

cundus sit; Qui ergo scire potest, num ex Davidis Prosapia quisquam adhuc superstes sit nec ne? Cum vero Deus hoc etiam Messiæ dederit Criterium, quod ortum suum ex tribu Judæ & Davidis genere ducturus sit; sequitur aut Deum Criterium hoc frustra indicasse, aut Messiam eo venisse tempore, quo ex Criterio hoc cognosci potuit, hoc est, quando Judæorum Genealogiæ nondum fuere confusæ; Prius dici minime potest, nisi Deum frustra aliquid fecisse statuere velis, E. oportet eo Messias advenerit tempore, quo ex hoc charactere potuit cognosci.

§. CXXXII.

Aliud Criterium *Locus nativitatis* ejus est, de quo ita vaticinatur MICHA Cap. V. 1. *Et tu Bethlehem Ephrata, quamvis parva sis inter millia Judæ, ex te prodibit mihi, qui Dominator erit in Israële, cujus egressus à principio, à diebus sæculi.*

§. CXXXIII.

Locum hunc itidem de Messia intelligendum esse, confitentur Judæorum Doctores, uti *Rabbi* SALOMO ita in verba hæc scribens: ממך לי יצר משיה כן דוד וכן.הוא אומר אבן מאסו הכונם: *Ex te egredietur mihi Messias, filius Davidis, de quo scriptum est: Lapis quem ædificantes rejecerunt.* De Messia etiam exponit *Chaldæus Paraphrastes*; R. SALOMO JARCHI, KIMCHI & ELIEZER Cap. III. Jesum vero Nazarenum Bethlehemi natum esse, ipsi etiam Judæi confitentur; unde in Toledoth Jeschu, libro blasphemiarum contra Jesum plenissimo, hæc inveniuntur apud

WAGENSEILIUM, והלך לביתלחם יהודה מקום לידתו *quod iverit Bethlehemum Judæ locum nativitatis suæ.* Adde quæ habet R. DAVID GANZ Lib. Zemach David Parte II. No. 761. fol. 14. Col. 2. Edit. Hebr. & in versione Vorstii pag. 177. ישוע נוצרי נולד בבית לחם יהודה פרסה ומחצה מירושלים בשנת ג' אלפים ותש"סה ליצירה והיא שנת מ"ב לקיסר אונוסטו וכו׳. *Jesum Nazarenum natum esse Bethlehemi Judæ, urbe sesquimilliaria à Hierosolyma dissita, anno ab orbe condito 3761. Imperatoris Augusti 42.*

§. CXXXIV.

Et hoc observandum, quod divina sapientia rem ita ordinaverit, ut Imperator censum fieri juberet; quo factum ut Maria cum sponso suo Bethlehemum se conferret; ut ibi; cum cæteris familiæ suæ, nomen indicarent; quod medium fuit ut Jesus non Nazarethi, uti alias factum esset, sed Bethlehemi nasceretur.

§. CXXXV.

Ex hisce concludere licet: *Nec hunc Jesu Nazareno Messiæ Characterem deesse, quod prædicente Spiritu divino in hoc præcise loco nasci debuerit.*

§. CXXXVI.

De *modo* denique *miraculoso nativitatis* ejus ita ESAJAS Cap. VII. 14. vaticinatus est: *Ideo dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium & nominabit ipsa nomen ejus Immanuel.* In genere hic observandum α. promitti hic rem admodum singularem atque miraculosam, β. Promissionem hanc fuisse factam non unicæ alicui

cu personæ, sed toti populo. γ. Signum hoc atque miraculum à solo Deo exhibendum esse, ut non in hominum potestate sit. δ. Signum hoc in eo situm esse, quod Virgo paritura sit. ε. Personam, quam paritura est, futurum esse Immanuelem; Quæ omnia etiam nemini unquam applicata fuere vel applicari potuerunt quam soli Jesu Nazareno, unde ita scribit S. MATHÆUS. Cap. I. 22. 23. *Hoc autem omne factum ut impleretur dictum à Domino per Prophetam, dicentem: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Immanuel: Quod interpretatum est, Deus nobiscum.* Jesum vero Nazarenum non merum fuisse hominem infra demum ex iis patebit, quæ de operibus ejus probaturi sumus.

Locum vero hunc Esajanum prolixe explicatum & contra Judæorum exceptiones vindicatum vide apud HOORNBECKIUM contra Judæos Lib. III. Cap. I. §. V. pag. 222. seqq.

§. CXXXVII.

Iis nunc consideratis, quæ *Personam Messiæ* & Adventus ejus circumstantias respiciunt, ad ea transimus, quæ ad *Munus* ejus pertinent; ex quo iterum patebit, & Muneris Messiæ Characteres Jesu Nazareno competere. *Primò* nimirum Messias debuit esse PROPHETA; id non solum ex eo patet, quod Medii Liberationis Revelatione opus fuit, quod (Cap. III. Sect. XII. Tom. I.) demonstravimus; sed clarissima etiam Vet. Test. verba id testantur; ita enim Moses de eo vaticinatus est Deut. XVIII. 15. *Prophetam è medio tui ex fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Jehova Deus tuus; ei auscultate.* Prophetarum vero

munus olim fuit *docere*, *prædicere futura*, *& Doctrinam miraculis confirmare.* Porro Messias debuit esse SACERDOS; qua talis debuit offerre sacrificium, quod præcipuum olim Sacerdotum munus erat, & populo benedicere. Ipsum Sacerdotem esse debere prædicitur Psal. CX. 4. *Tu es Sacerdos in æternum juxta ordinem Melchisedeck.* In quo Psalmo talia Personæ, de qua sermo fit, adscribuntur, ut alii præter Messiam tribui minime possint. Loco omnium sacrificiorum debuit substitui, & pati, quod non modo ex *Propositione* nostra *quinta* patet, sed passim hæc Codex sacer testatur. Ita Psal. XL. 7. 8. de se loquitur: *Sacrificio & munere non delectaris, aures perfodisti mihi: Holocaustum & oblationem pro peccato non expetivisti. Tum dixi, ecce venio, in Volumine Libri scriptum est de me.* Debuit *pati*, inter alia enim ESAJAS Cap. LIII. ita de eo loquitur: *Veruntamen morbos nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros bajulavit. Nam ipse dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & livore ejus fit curatio nobis.* Dictum hoc non de alio quam de Messia intelligendum esse, ex ipsa totius Capitis istius inspectione satis apparet; contradicentibus licet modernis Judæis plurimis; & id aut de Abrahamo, aut de Mose, aut de Josia, aut Jeremia, aut de populo Judaico inter gentes vexato, explicantibus. *Neque* enim de integro aliquo populo Propheta loquitur, aut de pluribus, sed de unica aliqua Persona. *Neque* ea omnia, quæ hic dicuntur, alicui ex dictis personis applicari possunt. Et variæ *denique* Judæorum sententiæ sibi invicem repugnant, unaque alte-

alteram refellit, manifesto indicio eum in finem solum hæc excogitata esse, ut Christianorum pro Jesu Nazareno à se averterent argumenta. Integer porro Psalmus XXII. de doloribus ac passionibus Messiæ loquitur; unde initium ejus ita habet: *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me.* versu 7. additur: *At ego sum vermis, & non vir.* 8. *Prætereuntibus me ludibrio sum . .* 15. *sicut aqua effundor, & disparant se ossa mea: Est cor meum simile ceræ, liquefit in visceribus meis.* 17. *perforarunt manus meas & pedes meos.* 19. *partiuntur vestimenta mea inter se, & pro indumento meo projiciunt sortem.*

Superiorem locum, Esajanum scilicet, sive totum LIII. Caput de Messia agere plurima ipsorum Adversariorum nostrorum pars confitetur, uti probat Celeber. *HOORNBECKIUS Contra Judæos Lib. VI. Cap. I. pag.* 407. Chaldæa nimirum Paraphrasis in Esajæ LII. 13. sive juxta divisionem Capitum in Bibliis nostris Cap. LIII. 1. in verba: *Ecce prosperabitur servus meus*, ita habet: *Ecce prosperabitur servus meus Messias.* Tanchuma: *Hic est Rex Messias.* R. ALSCHECH in hunc locum hæc habet: *Ecce Rabbini nostri uno ore statuunt, & à majoribus acceperunt de Rege Messia sermonem esse. ABRABANEL: Et certe Jonathan Uzielides interpretatur de futuro Messia, atque etiam est sententia sapientum in variis illorum expositionibus.* Auctor Av-kath Rochel, R. MACHIR, Part. II. ex Libro Pesikta adfert: *Quando crearet Deus mundum suum, extendit manum suam sub solio gloriæ, & produxit animam Messiæ, ejusque catervam, dixitque ipsi, visne tu sanare & redimere filios meos post sex millia annorum? Respondit ipsi, volo. Dixit ipsi, an*

etiam sustinebis castigationes ad abstergendum iniquitates eorum, juxta illud quod scriptum est: Certe morbos nostros ipse tulit, Jes. LIII. 4. *Respondit, sustinebo illas cum gaudio. In TALMUDE Codice Sanhedrin,* Cap. XI. ubi in nomen Messiæ inquiritur, dicitur inter alia: Nomen ejus futurum *Leprosus* quia Jes. LIII. 4. dicatur, *certe morbos nostros ipse tulit, & dolores nostros bajulavit, at nos reputavimus ipsum plaga affectum.* Et glossa Talmudica in Caput hoc XI. *Atque is Messias plagis efficietur, juxta quod scriptum, & ipse vulneratus est propter transgressiones nostras; & quod scriptum est, dolores nostros pertulit.* Addit his alium adhuc locum *EISENMENGERUS* Parte II. pag. 758. nempe *Jalkut Schimoni* in Esajam fol. 53. col. 1. n. 338. Fortissimum ex hoc Capite Esajæ contra Judæos desumi posse argumentum putat. Celeb. HOORNBECKIUS l. c. pag. 408. ubi ita loquitur: „Quum autem de populo exponi non possit, uti indicavimus, „& ab aliis copiose probatum, sed de Messia, vel Judæis „testibus, bene accipimus, & pro ejus passionibus hoc „sumimus argumentum. Ac tanti quidem illud ponderis, ut non alio magis premi se & in angustias cogi „Judæi fateri debeant: Et quo se maxime commotum „scribit Joh. Isaac Levita, ut Judæus quam adhuc esset, „Christianismo aures daret. *Hoc ego,* scribit adversus „Lindanum suum olim discipulum, in Defensione veritatis Hebraicæ S. Scripturarum, Lib. II. pag. 82. „*ingenue profiteor, illud ipsum Caput ad fidem „Christianam me adduxisse: Nam plus millies caput illud perlegi, contuli accurate cum multis „translationibus, deprehendi centies plus de Christo Mysteria in textu Hebræo contineri, quam „ulla alia conversione reperiatur. His proximis „Comitiis Francofordiensibus cum quinque Rabbi-*

„*nis*

„*nis sum congressus, quos ex eodem capite, in eas* „*angustias redegi, osque illorum obturavi, ut ne* „*verbum quidem adversus argumenta & rationes* „*meas respondere potuerint.* Similiter Helvi„cus testatur, Append. III. Elench. Judaic. „Thes. XXXIX. *Novi ego inter Judæos, qui* „*hoc solo ferme loco Esajæ permoti fuerunt, ut Chri*„*stianismo favere cæperint.*

§. CXXXVIII.

Passiones autem istas Messias non pro se sustulit, sed pro redimendis, ut pro illorum peccatis *satisfecerit.* Cum enim Satisfactio sit absolute necessaria & indispensabilis, (per Propos. II. §. 98.) Et ipse homo pro peccatis Justitiæ divinæ satisfacere nequeat (per Propos. III. §. 100. 101.); Talique opus sit Liberatore, qui hominibus non tantum bona corporalia tribuat, sed qui eos ab infinita pœna liberet (per Propos. IV. §. 102.); Adeoque Liberator generis humani talis debuit esse persona, quæ hominis loco infinitas posset subire passiones (per Propos. V. §. 104.): omnino sequitur, Messiam non pro se passum esse, sed passionibus suis pro hominum peccatis satisfacere debuisse.

§. CXXXIX.

Quod etiam hac ratione evincitur. Ubicunque sunt afflictiones & ipsa mors, ibi est pœna peccati; Ubi vero est pœna peccati, ibi oportet sit ipsum peccatum. Mala enim pœna locum habere non possunt, nisi ibi ubi est malum culpæ; neminem enim Deus punire potest quam eum qui peccavit. Oportet ergo aut ipse Messias peccaverit, aut aliorum peccata in se susceperit?

perit? Ipſe autem Meſſias non peccavit, debuit enim eſſe *Juſtus*. Zach. IX. 9. Jeſ. LIII. 11. 9. *Qui non fecit violentiam, neque dolus in ore ipſius repertus eſt*. Pſal. LXIX. 5. *Oderunt me immerito, ſunt mihi inimici injuria, quod non rapui cogor rependere*. Dan. IX. 24. *Obſignat peccata, & expiat iniquitatem, & adducit juſtitiam perpetuam*. Et cum non peccavit etiam pœnam non meruit. E. oportet pro aliorum peccatis pœnam tulerit, ſive, quod idem eſt, ſatisfecerit.

Dum his dicimus, pœnam Peccatoris loco perferre, & ſatisfacere, eſſe unum idemque, alteram ſatisfactionis partem quæ in obedientia activa conſiſtit, propterea minime excludimus.

§. CXL.

Idem etiam S. Scriptura expreſſis teſtatur verbis, Meſſiæ enim paſſiones deſcribens, innuit peccatorum noſtrorum Debita in ipſum fuiſſe translata. Unde ESAJAS ita de eo habet Cap. LIII. 4. *Profecto languores noſtros ipſe ſuſcipit, & dolores noſtros portavit eos: Ac ipſe dolore fuit affectus à prævaricationibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ ſuper ipſum, & vibice ejus facta eſt ſanatio nobis. Omnes nos ut ovium grex erravimus, quisque in viam ſuam nos convertimus: Et Jehova fecit incurrere in eum iniquitatem omnium noſtram. Exactum fuit debitum, & ipſe afflictus fuit, nec aperuit os ſuum: Sicut parva pecus ad occiſionem ductus fuit . . à prævaricatione Populi mei percuſſio ei. Per cognitionem ſui ſervus meus Juſtus juſtificabit multos, quorum iniquitates ipſe portaverit. Et cum prævaricatoribus numeratus fuit, nam ipſe peccatum multorum ſuſcepit, & pro prævaricatoribus intercedit*. In quibus ergo verbis Propheta oſtendit, Meſſiæ nullas eſſe transgreſ-

gressiones, nostras vero iniquitates passionum ejus caussam esse, illumque nostri loco omnia fecisse, ut Deus omnium nostrorum iniquitates in ipsum incurrere fecerit, eas vero Messias lubenter in se suscepit; unde omnes ipsius dolores, plagæ, castigationes & ipsa denique mors nata est. Quæ quomodo Mosi aut alii cuidam, absque sensus clarissimi contorsione, præter Generis humani Liberatorem Messiam, applicari possint, nemo hactenus ostendere potuit.

§. CXLI.

Tertium quod Messias obire debuit *munus* est, quod etiam REX debuit esse, id enim S. Scriptura ubique inculcat. Psal. II. 6. & XLV. 2. 4. Jer. XXIII. 5. Ezech. XXXIV. 23. XXXVII. 24. 25. habet regnum & subditos Psalm. II. 6. LXXII. quos regit. Psalm. II. 8. CX. 3. & contra hostes tuetur. Psalm II. 9. XLV. 6. CX. 1. 2. 5. alibique passim. De hoc vero nulla nobis cum Judæis controversia est, Regem enim Messiam adhucdum exspectant.

§. CXLII.

Sed de *Regni* hujus *qualitate* inter eos & nos lis est: Num nimirum illud *Mundanum* num vero *Spirituale* sit, vel esse debeat? Ut evincamus Messiæ Regnum *spirituale* esse, duo primo ponenda sunt lemmata, quæ Judæi non inficiantur. *Alterum* est, quod Prophetæ in concionibus suis multis utantur phrasibus figuratis atque impropriis, quæ nonnisi spiritualem admittunt significationem: Quod observavit MAIMONIDES in *More Nevochim*, Parte II. cap. XXXIX. & in *Jebude thora*, vel fundamentis legis. Cap. I. §.

XIV.

XIV. *Alterum* eſt, quod, uti in genere, ita in ſpecie, ejusmodi loquendi genus adhibeant Sacri Scriptores, quando de Meſſia ejusque Regno res eſt. Plurima Judæorum pars Pſalmum LXXII. de Meſſia exponunt; negare autem non poſſunt multa ibi inveniri, quæ ſenſum litteralem admittere nequaquam poſſunt. Ita dicitur *montes pacem prolaturos eſſe Populo, collesque in juſtitia. Regem deſcenſurum pluviæ adinſtar in germen, guttarum adinſtar quæ terram irrigant. Reges Tarſis inſulasque dona ipſi allaturas, Regesque Schebæ & Sebæ cum muneribus acceſſuros:* Qui Reges dudum non exiſtunt. Additur: *Pugillum tritici in terram projectum, in vertice montium, commoturum ſeſe in fructu ſuo Libani adinſtar.* Legantur etiam ultima Eſajæ capita, ubi plura occurrrunt, quæ ſenſum litteralem plane non admittunt.

§. CXLIII.

Præmiſſis hisce, Meſſiæ Regnum *Spirituale* eſſe, demonſtrari poteſt vel directe vel indirecte. Priori modo oſtenditur, *tum* ex eo, quod Deum magis deceat, ſi Regnum ſit divinum, cœleſte, ſpirituale, quam ſi ſit corporale. *Tum* ex eo, quod tale, quale Judæi illud fingunt, divinis promiſſionibus neutiquam conveniat.

§. CXLIV.

Primo id Deum maxime decet, quod illius Perfectionibus atque naturæ convenientiſſimum eſt; At nemo eſt qui non facile videat, eo convenientius aliquid Attributis divinis eſſe, quo magis Deus per illud glorificatur; At quis negaret magis Deum glorificari, ſi Regi Meſſiæ tale tradat Regnum, ubi omnia ſunt cœleſtia & ſpiritualia;

ubi salus subditorum non corporalis tantum, sed cœlestis & æterna intenditur; ubi bona omnia atque privilegia non mutabilia sunt atque caduca, sed in æternum duratura, ad perpetuam subditorum felicitatem tendentia; ubi non corporis solum, sed animæ præcipue salus quæritur; ubi omnia ita sunt ordinata, ut Rex in subditis gloriosus atque mirabilis fiat; ubi in bonum Regni hujus spiritualis omnia in omnibus universi orbis Regnis, infinita sapientissimi Regis Potentia, ita diriguntur, ut omnia quæcunque fiunt, ipsius Regno inservire debeant.

§. CXLV.

Sed *secundo* spirituale Regnum promissionibus etiam divinis magis respondet. Inde enim à primis Mundi incunabulis, vel à tempore saltem Patriarcharum per os omnium Prophetarum, tam præclara, tam illustria atque magnifica de hoc Messiæ Regno prædixit Deus, ut absonum ab omni ratione videatur, si Regnum non aliud illud futurum sit, quam tale quale alii Reges terreni possident, quodque non amplum neque etiam per longum temporis spatium duraturum sit; quodque nonnisi in Judæos tunc temporis viventes sese extendat; & quodnam quæso inde solatium iis qui omnibus præcedentibus vixerunt sæculis? qui tam anxie illud exspectarunt. Sed quanta Majestas Regni Messiæ, si non terrenum sed spirituale sit; non brevi solum ævo, sed omni sæculorum decursu duraturum; ad omnes terræ fines sese extendat! in quo summa subditorum atque æterna quæritur salus. Quis non videt, illud tot tamque magnificis totiesque repetitis divinis promissis melius convenire? Po-

steriori

§. CXLVI.

Posteriori modo, sive ab indirecto veritas hæc ita evincitur; si ea, quæ de Messiæ Regno à Prophetis prædicuntur, corporaliter & ad litteram intelligenda essent, multa inde sequerentur absurda, legibus tam naturalibus quam divinis contraria: quod per partes ostendendum.

Celeb. *HOORNBECKIUS contra Judæos Lib. III.* Cap. II. pag 246. ex Judæorum scriptis talia affert testimonia, quæ probant & ipsos Adversarios nostros confiteri sensum litteralem non ubique sequendum esse. *Ita Menasse Lib. I. de Resurrect. Cap. VI.* dicit: *Sciendum est, Scripturam semper secundum litteram intelligendam ac explicandam esse, nisi explicatio contineat aliquid quod implicat contradictionem.* Et in Præfat. Libri de termino vitæ ait: *Nempe credunt Litteræ, quoties nihil sonat absurdi. Sed allegorias admittunt; ubi proprietate verborum sensus fuerit rectæ rationi adversus.* Et *MAIMONIDES in fine Jad Chazeka* cap. ult. *Ne*, inquit, *subeat cogitatio animum, quasi diebus Messiæ aliquid à consueto Mundi ordine abiturum sit, aut novi quid futurum in operibus naturæ: Sed Mundus ordine suo perget; & quod dicitur in Jesaja, lupus cum agno commorabitur, & pardus cubabit cum hædo, allegoria est & ænigma.*

§. CXLVII.

Ita *α.* à Ratione absonum legibusque Naturæ adversum foret, si, ut pauca tantum afferamus exempla, dicta sequentia sensu litterali explicarentur: Quum Esajæ XI. 6. 7. 8. dicitur; *Et lupus cum agno commorabitur, & pardus cum hædo commora-*

morabitur, vitulusque & juvenis Leo, ac pecus cohabitabunt, & parvulus puer dux inter eos. Et vacca ursaque pascent simul; & simul recubabunt earum catuli, leoque sicut bos stramen comedet. Et delectabit se lactens in foramine viperarum, & depulsus à lacte manum suam in basilisci specum injiciet. Item Amosi V. 13. *Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ*, de diebus Messiæ sermonem esse inde patet; quia antea de erigendo Davidis tugurio dictum fuerat, *quibus attinget arator messorem, & calcator uvarum satorem: & stillabunt montes mustum, & omnes colles colliquescent.* Ezech. XLVII. 2. *Ad flumen autem assurgent in ripa ejus hinc & inde arbores omnes esculenti fructus, quarum fructus non consumentur, mensibus suis præstantissimos fructus edent, quia aquæ earum è sanctuario prodeunt, ideo sunt fructus earum cibo, & folia earum curationi.*

§. CXLVIII.

β. Divina lege cautum fuit, ne alibi nisi Hierosolymæ in templo sacrificaretur; neque alibi suffimentum Deo erat offerendum, nec ex alia quam tribu Levi Sacerdotes à Deo constituti erant; expresse autem dicitur, Esajæ XIX. 19. *Tempore illo futurum Jehovæ Altare in media Terra Ægypti, & statua Jehovæ apud terminum ejus.* Malach. I. 11. dicit Propheta, *in omni loco suffimentum Deo offerendum & munus purum.* Et Esajæ LXI. 6. promittitur, omnes promiscue Sacerdotes futuros. Liquet ex hisce quod, si *α.* multa de Regno Messiæ vaticinia sensu litterali accepta naturæ legibus adversentur (§. præced.); alia vero *β.* legi divinæ contraria sint, ex modo dictis, ea spiritualiter & mystice sint intelligenda.

§. CXLIX.

Jesum vero Nazarenum Prophetæ, Sacerdotis ac Regis muneri ex omni parte satisfecisse nunc ostendendum est. *Munus* ejus *Propheticum* quod attinet, qua Propheta debuit *docere*, *miracula patrare* & *futura prædicere* (§. 137.) *vita* denique *inculpata* aliis *exemplum* præbere. De *primo* inquirendum *qualis* illius fuerit *Doctrina?* Et *deinde*, *quorum* debuerit esse *Doctor?* *Prius* quod spectat, Doctrinam Evangelicam omnes alias disciplinas antecellere, totoque cœlo illas superare ex Sect. XXVI. Cap. III. Tomi I. abunde liquet, illamque contra Naturalistarum objectiones Cap. X. Tom. II. vindicavimus. Id nunc contra Judæos breviter adhuc ostendendum est, quod Jesu Nazareni Doctrina Judæorum excellentior sit; & quod non illorum solum, sed & Ethnicorum Doctor & esse debuerit & fuerit.

§. CL.

Quoad Doctrinæ illius *Excellentiam*, illa respicit vel *res credendas*, sive *partem* Religionis quam docuit *theoreticam*; vel *res faciendas*, sive *partem* Religionis *practicam*; vel *promissiones* obedientibus factas, sive *motiva*. Si Doctrinam spectamus quatenus res credendas tradit, illa α. Mosis Doctrinam fundamenti loco supponit. *Si enim*, inquit, *Mosi crederetis, mihi crederetis, utpote quum is de me scripserit. Quod si illius scriptis non creditis, quomodo meis verbis credetis?* Joh. V. 46. 47. β. Non res terrenas aut mundanas docuit, non cultum divinum corpus magis quam spiritum occupantem, non communissimis & vilissimis rebus hominum animos imbuit, sed maxime subli-

mibus atque spiritualibus. Deum spiritu & veritate; cultu maxime rationali, colendum esse, constanter cum Apostolis suis tradidit, præstando corpora, non animalium, sed nostra, hostiam viventem, sacram acceptam Deo: Rom. XII. 1. Joh. IV. 23. Imo non corpore solum sed anima Deum colendum esse, 1, Cor. VI. 20. γ. Quæ Deum resque divinas spectant, tam sublimes Religio Christiana de iis tradit conceptus, ut melius nihil ab ullo unquam mortalium excogitari potuerit (Sect. XXVI. Cap. III.); imo omnium oculi hac disciplina collustrantur; nullibi enim terrarum, cujus rei ipsa experientia optimus testis est, omnis generis scientiæ, tam divinæ quam humanæ, ita sunt excultæ, quam ubi Christiana floret Religio; ut quæ alias ignota essent & humanæ rationi inaccessa atque abscondita ibi pandantur. Neque certiora vel sublimiora de cœli terræque Creatione atque Gubernatione, de homine ejusque miseria atque Redemtionis modo alibi traduntur, quam ibi ubi Christiana viget disciplina. Factum inde, ut nihil unquam contra ipsa Christi Dogmata afferre potuerint Judæi, quod alicujus momenti esset.

§. CLI.

Præcepta Jesu Nazareni *moralia* ita comparata sunt, ut divinis Attributis omni modo sint conformia, spiritualia, justa, sanctaque, ut omnia prohibeant vitia, neque ipsi etiam concupiscentiæ malæ indulgeant; ut sint casta & pura, mali quamcunque speciem vetantia, ut ne ipsa quidem mali cogitatio locum habere queat; Sanctitas contra maxima, supra quam nulla concipi

 potest,

poteſt, & diviniſſima præſcribitur: Ut ipſi Revelationis hoſtes non habeant quod contra Doctrinam hancce moralem objiciant, ſed ipſimet fateri cogantur, illam Attributis divinis, promovendæque hominum felicitati maxime conformem eſſe; ut præceptis Evangelicis melius quid excogitari minime poſſit.

§. CLII.

Motiva & *Promiſſiones*, quas Præceptis ſuis addidit, ſine ulla dubitatione ſunt excellentiſſimæ; *Motiva* ſunt fortiſſima, ab ipſis divinis Attributis deſumta, Matth. V. 48. à Miſericordia præcipue atque Bonitate ejus. Rom. XII. 1. Luc. VI. 36. Actor. XIV. 17. à Longanimitate ejus. Rom. II. 4. *Promiſſiones* non corporalia ſolum reſpiciunt Bona, non quietam ſolum in regione aliqua habitationem, non terrena ſolum & caduca, ſed ſpiritualia atque æterna; Omnia quæcunque cogitari aut ſperari poſſunt complectentia; ſummam Dei erga Creaturas rationales munificentiam atque Bonitatem teſtantia; maximam Dei gloriam decentia, hominiſque deſiderio atque Perfectioni promovendæ convenientia.

§. CLIII.

Hæc quoad ſummam Doctrinæ illius. In eo autem porro magnum illum *Prophetam* ſeſe exhibuit, quod non ſolum unius alicujus Populi, ſed *omnium* etiam *Gentium Doctor* extiterit. Gentes ad ipſum convertendas eſſe toties tamque anguſte in Prophetarum oraculis prædictum eſt, ut impoſſibile ſit, tam varia dicta, totiesque repetita, à Judæis aliter quam de gentium ad Deum

atque

atque Messiam conversione explicari posse. Huc sequentia inprimis loca pertinent, uti Esajæ II. 2. 3. ubi dicitur; *confluxuras esse ad eum omnes gentes*. Jesajæ XI. 10. 12. ubi *Messias* futurus dicitur *Signum Populorum* & *Signum Gentium*. Adde Cap. XIX. 18. 19. Cap. XXXV. & XLII. 1. 4. XLIV. 6. 20. 21. LII. 7. 10. 15. & LXV. 1. 2. *Expositus sum iis, qui me non interrogabant, inventus sum ab iis, qui non quærebant me, dixi, ecce me, ecce me, genti, quæ non vocatur de nomine meo. Expanderam manus meas toto die ad Populum rebellem.* Cap. LXVI. 20. Jer. XVI. 19. De loco Esajæ II. dicit MENASSE BEN ISRAEL de *Resurrect.* Lib. III. Cap. II. *Docet hic Propheta, non tantum bona temporalia; sed etiam spiritualia hominibus obventura, quando Messias veniet. Nam tunc omnes Gentes unanimi consensu (quemadmodum etiam à Zephania futurum prædicitur) Deo Jacobi & Isaaci adhærentes, ejusque Doctrinam amplectentes, imo & eodem cultu ei servient.* Plures alias Prophetias, de hac re agentes, præterimus.

§. CLIV.

Jesum vero Nazarenum esse *Gentium Doctorem*, adeoque hoc etiam ipsi Messiæ competere criterium, non inde solum patet, quod Discipulos suos jussit ut *vadant doctum omnes gentes.* Matth. XXVIII. 19. Sed ipse effectus rem testatur. Si pristinum nimirum Gentilismi statum conferimus cum eo, qui Jesu Nazareni ejusque Apostolorum tempora sequutus est, ingentem ratione Doctrinæ atque Religionis Ethnicorum factam fuisse mutationem, nemo est qui ignoret aut negare possit. Eundem nimirum nunc Deum

Jehovam colunt, quem Abrahamus olim, Isaacus & Jacobus professi sunt. Neque unus tantum & alter homo ad veri Dei cognitionem & ad fidem in Messiam, quem Jesum Nazarenum esse confitemur, adductus est, sed Populi integri ac nationes integræ; ut alia plane Theologia, Religio alia introducta fuerit à Jesu Nazareni Discipulis, toto cœlo ab ea distans quæ olim inter Gentiles obtinuit.

§. CLV.

Observationes sequentes hisce addimus, quæ omnes certissima nituntur Experientia, historiarumque fide. α. Nihil unquam ejusmodi ante Jesu Nazareni illiusque Discipulorum tempora contigisse; rarissimi enim fuere Proselyti Judæorum Doctrinam amplexi; nunc autem, dici vix potest quantus Gentilium numerus brevissimo temporis spatio ad Doctrinam in Veteris ac Novi Testamenti Libris contentam profitendam persuasus fuit. β. Id non factum est vi aut armis, sed simplici Doctrinæ hujus, per homines nullis externis prærogativis instructos, prædicatione ac commendatione. γ. Doctrinæ hæc pravis hominum affectibus ac perversis studiis minime favebat, aut carnalibus lenociniis sese commendabat; sed carnis concupiscentiis è diametro est adversa. δ. Ipsimet Judæi non diffitentur, totam illam Doctrinam in Libris N. T. contentam Jesu Nazareno ejusque Discipulis deberi; neque effectum illum singularem, qui nobis, olim Gentibus, contigit, alii quam Jesu Christo, quem Messiam agnoscimus, adscribi posse ipsimet Adversarii nostri fateri coguntur. ε. Jesus

ſus ergo Nazarenus ſolus cauſſa illa eſt, ut tantus hominum numerus brevi temporis ſpatio (quod antea nunquam accidit) Librorum Veteris Teſtamenti divinam originem agnoſcerent, ut ipſum Iſraëlis Deum colerent, ut ſanctiorem, quam hactenus factum erat, Diſciplinam profiterentur. Quod ante ipſum nemo unquam vel fecit vel potuit facere, id Jeſus Nazarenus in tot hominum millibus perfecit; nihil ſimile omnibus retro ſæculis ante Meſſiam noſtrum, aut in Iſraële, aut in reliquo terrarum orbe, auditum fuit.

Rem melius exprimere non poſſum quam CHRYSOSTOMUS, qui in homilia *quod Chriſtus ſit Deus*, ex tanto opere Chriſti divinitatem probat: „Etenim, „inquit, non eſt puri hominis, in tantis rebus, orbem terra marique tam brevi tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præventum, tantisque malis irretitum liberare humanum genus. & „non Romanos tantum, ſed & Perſas, & omne (ut „ſic dicam) barbarorum genus. Inſuper quod hæc „confecit, nullis uſus armis, nullos faciens ſumtus, „nullos movens Exercitus, nulla prælia committens, „ſed per undecim viros, principio ignobiles, viles, „rudes, idiotas, pauperes, nudos, perſuaſit tot hominum tribubus: idque non præſentibus ſolum, ſed „& futuris. Quid? quot ſubvertit leges patrias, abolevit conſuetudines inveteratas, evellit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis ſuas alias implantavit? abduxit ab his in quæ propenſi eramus, & „in ardua & difficilia induxit. Conſidera & cogita „tecum, quid ſit in tam brevi tempore omnem ſub „ſole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad „fidem transferri, populos perſuaderi, ut patrias leges abrogent, conſuetudinem ſtabilitam & radicatam „revellant: altaria & templa, & ſtatuas & ſacrificia, „& prophana feſta & immundum odorem, ſicut fumum aliquem aboleant.

§. CLVI.

Ex dictis nunc concludere licet, Jesum Nazarenum in hoc Prophetæ munere functum esse, quod Doctrinam Divinæ sanctitati reliquisque perfectionibus conformem (§. 150. 151. 152.) tradidit; & non Judæorum solum, sed & Gentilium Doctor extitit (§. 153. 155.), E. & hoc veri Messiæ habuit criterium.

§. CLVII.

Miraculis & *Prophetiis* Christum se etiam exhibuisse Prophetam nunc ostendendum esset; id autem in singularibus faciemus propositionibus, ut patefiat quibuscunque Judæus utatur argumentis ad Veteris Testamenti Autoritatem & divinitatem, Religionisque Mosaicæ, aut veteris Judaicæ, probandam, non minoribus etiam Religionem Christianam liberosque Novi Testamenti veritatis niti argumentis; unde constabit Christum non Doctrina solum, uti ostensum, sed Miraculis etiam atque Prophetiis Mose longe fuisse majorem.

§. CLVIII.

Vitam denique *inculpatam* quod attinet, nullius vitii aut concupiscentiæ pravæ à quoquam Judæorum argui poterit Jesus Nazarenus; omnes enim eorum calumnias nonnisi mera figmenta esse, ex Christianorum odio excogitata, semetipsa refutantia dudum à Viris eruditis probatum fuit, ut non habeamus cur diutius hic moremur.

Pro-

Propositio VII.

§. CLIX.

Historia Evangelica non minori nititur certitudine quam Mosaica.

§. CLX.

Nec Mosen nec Jesum Nazarenum potuisse esse Impostores demonstravimus; prius contra Atheos Cap. VI. posterius contra Naturalistas Cap. X.

§. CLXI.

Id solum nunc contra Judæos ostendendum, quod fides historica Religionis Christianæ non minus certa sit quam Mosaicæ sive veteris Judaicæ. Idque clarius fieri non potest, quam brevem parallelismum exhibendo. Fides autem historica nititur vel *Criteriis* scriptis alicujus *intrinsecis*; vel communi *Traditione* Populi, qui scriptum illud Authenticum agnoscit; vel denique aliorum *Testimonio*. Ad quodcunque horum respiciamus, Historia Evangelica Mosaicæ nunquam cedit.

§. CLXII.

Quoad Characteres Historiæ intrinsecos, dicunt *α*. impossibile fuisse, ut Moses deciperet totum aliquem Populum, cujus maxime intererat scire, num omnia ea sint vera certaque, quæ ab eo scriptis fuere consignata, & quorum ipse Populus plurimam partem testis oculatus fuit. *A*. Dici minime posse, Mosis coætaneos ex Israëlitis

narrationes illas fabulosas, quæ ipsis honori fuissent, propter gloriæ cupidinem animique superbiam, volentes pro veris assumsisse; cum historia illa tot intermixta sit factis, quæ Populo Israëlitico maximo fuere opprobrio; dum continua illius murmura, rebellis animus, perpetua durities atque incredulitas non reticeatur; quæ omnia ceu ficta, generatio illa quæ Mosis tempore vivebat, rejecisset, nisi veritatis integræ historiæ fuisset persuasissima. γ. Ita etiam comparatam esse dicunt legem illam, quæ in Mosis Libris continetur, ut Israëlitarum genio è diametro fuerit opposita, dum consuetudini in Ægypto receptæ minime favebat, omni Idololatriæ adversa, & durissima sit. δ. In hoc porro Mosen fidelissimum se exhibuisse Historiographum ajunt, quo non modo populi sui prævaricationes non tacuerit, sed & propria, familiæque suæ, delicta indicaverit.

§. CLXIII.

Omnia hæc, non minus quam Mosi, Evangelistis competunt. Scripserunt illi α. in ea regione, ubi omnia ea, quæ litteris consignarunt, fuerunt gesta, & quidem eo tempore, quo memoria rerum gestarum adhuc recens erat; plurima etiam hominum eorum pars adhucdum vivebat, qui Jesu Nazareni tempore in vita erant. β. Scripta porro fuere Evangelia eo tempore, quo infensissimi Jesu Christi Apostolorumque hostes nihil intentatum relinquebant, ut Doctrinam nuper in universa Judæa prædicatam supprimerent; idque omnibus agebant viribus ut Christi miracula, Doctrinam, vitæ innocentiam, ac à mortuis resurrectionem suspectam redderent;

rent; iique erant Magnates Populi, summi Sacerdotes, Legis Doctores, à quorum ore populùs pendebat, eosque ceu Deos venerabatur; quis vero sibi persuaserit tantum hominum numerum, vanam aliquam fabulisque refertam, omni certitudinis fundamento destitutam Historiam pro vero habuisse, seque à Viris nonnullis, quorum nec Dignitas nec Auctoritas in Judæorum oculis magna esse poterat, sed qui ex infima plebe & indocti erant, decipi passos esse, cum sapientissimi, doctissimi & in summa dignitate constituti contrarium dicerent, nisi persuasissimi & convictissimi fuissent, omnia ea quæ Apostoli prædicabant litterisque consignabant esse certissima. γ. Sed nec ipsi etiam Scriptores Sacri nostri ea reticebant, quæ aut Magistro suo aut sibimetipsis dedecore esse videbantur, aut revera erant Discipulis Christi; sed omnia tanta simplicitate ac animi integritate narrant, ut nullius partium studii argui possint. δ. Nec denique ulla temporalis commodi spe duci poterant Apostoli, ut Doctrinam Evangelicam publice docerent, litterisque eam consignarent; sed contra nonnisi durissima quæque ipsos manebant.

§. CLXIV.

Si *Traditionem* consideramus, qua Libri iidem ab una generatione alteri continuo incorrupti fuere traditi, ut ejusdem semper Auctoritatis atque dignitatis fuerint habiti, certitudo historica Librorum Evangelicorum Pentateuchi minor non est. Haud parvum enim certitudinis fundamentum esse putant Judæi, quod Historia Mosaica litteris consignata filiis à Parentibus non interrupta

rupta serie fuerit tradita, ut propter omnium temporum consensum universalem nulla fidei historicæ corruptio oriri potuerit.

§. CLXV.

Per *Traditionem* autem hic non intelligitur oratio, nonnisi fallaci hominum memoriæ commissa, & sic ad posteros propagata; sed *Traditio* scripto consignata, Libris S. Scripturæ comprehensa, fideliter conservata, quam una generatio continua serie ab altera accepit.

§. CLXVI.

De hoc perpetuæ Traditionis pro fide historica argumento ita gloriatur Judæus ille contra LIMBORCHIUM in Amica collatione cum Judæo: Scripto secundo Judæi pag. 23. *Hæc enim*, inquit, traditio falsa esse non potest, supposita quod *in sua origine & radice adeo vera fuit, ut non possit in dubium vocari: neque credibile est, quod tunc, vel postea, patres vellent suos filios decipere, & falsis legibus instruere: neque hoc de omnibus Israëlitarum patribus cogitari potest, quantumvis aliquis perversus hoc facinus contra humanitatem ipsam committeret.* Uti hæc recte se habent quæ Vir eruditus asserit, ita in his quæ mox sequuntur eum falli statim ostendemus; dicit nempe: *Non enim est hæc Traditio*, Librorum nimirum Evangelicorum, *ab hominibus alicujus nationis, ad alterius nationis homines, & sic de una in alteram per varias orbis partes propagata: Talis enim nunquam suam veritatem certo probare poterit: Quia non est difficile quod Græci aliqui, ob caussas, & motiva posteris ignota, Romanos fallere velint, vel Galli Hispanos & hi Italos &c.* Et in scripto tertio Num. V. pag. 228. 229.

229. dicit: *Nostra traditio probatur esse in sua origine vera, quia à principio parentes dixere, quod viderant, & audiverant, omnia quæ de Mose in Bibliis narrantur: & quod ii non mentiti fuere, probavi: quia non est credibile, omnes patres filios decipere voluisse, & inutilibus falsitatibus onerare.*

§. CLXVII.

Comparationem nunc si instituamus inter Traditionem illam Librorum Veteris Testamenti, & eam, qua nobis Libri Evangelici traditi sunt, facile apparebit, nostram non minus certam ac Judæorum esse; licet Doctissimus Judæus modo citatus asserat: *Talem Traditionem quæ ab una natione ad alteram propagatur veritatem suam nunquam certo probare posse, uti ea quæ in unica subsistit natione.* In Traditione spectanda est tum *origo*; tum ejus in posteros *propagatio*. Primam Traditionis Evangelicæ originem, non minori niti certitudine, quam Traditionis Historiæ Mosaicæ, supra, eam comparando, ostendimus (§. 162. 163.). Nunc igitur nonnisi de *propagatione* agitur; ubi ante omnia distinguendum est inter *Traditionem* mere *oralem*, & *Traditionem* Libri alicujus ab Historico aliquo fidelissimo litteris consignati. Quoad priorem lubenter concedimus, facilius eam corrumpi posse, si ab una natione ad alteram propagatur, quam si intra unicam aliquam familiam aut Nationem subsistat, & filiis à patribus tradatur, minus enim fraudis hic locum habere potest.

§. CLXVIII.

In nostra autem controversia non de hoc Traditionum genere agitur, sed de Historiæ alicujus

cujus Litteris consignatæ conservatione & *propagatione* sive *Traditione* res est, uti (§. 165.) à nobis ostensum fuit. Nullo autem negotio demonstrari potest, in Librorum Novi Testamenti Traditione non magis, imo minus adhuc potuisse fraudem committi, quam in Traditione Librorum Veteris Testamenti, vel in specie Mosaicorum. *Primo* enim minor fraudis suspicio est, si Liber aliquis Historicus in multorum Populorum versatur manibus; hocque non obstante summus Exemplarium est consensus, in quamcunque linguam translatus sit ille Liber, & à quibuscunque possideatur nationibus, quam si unicus tantum populus illum habeat; corruptio enim universalis magis per unum quam per plurimos Populos possibilis est, quia etiam facilior est conspiratio atque consensus, qui requiritur si corruptio universalis esse debeat. Supponamus autem, vera esse quæ Eruditus Judæus asserit, nempe faciliorem esse corruptionem per Populos plurimos, quam per unicum. At quomodo id fieri potest? Ponamus ex primis Christianis Ecclesiis, quæ Historiam Evangelicam Litteris consignatam acceperunt, unam vel alteram consilium cepisse Libros illos sacros alii nationi corruptos tradere; tum Exemplaria Ecclesiarum illarum different ab iis, quæ alii Nationi tradiderunt; sequitur inde, ex ipso eruditi hujus Judæo ratiocinio, ab una parte Codices illos, si quos Ecclesia una vel altera primitiva sibi reservavit, posterisque suis tradidit, sartos mansisse illibatosque; eos vero, quos alii Populi ab ipsis acceperunt, fuisse corruptos. Ponamus iterum Nationem illam, quæ primitus codicem aliquem ab Ecclesia aliqua corruptum

ruptum accepit, quem tamen integrum credidit, eum de novo corrumpiſſe, ſicque alii iterum nationi tradidiſſe, & ita porro; quid tum ſequeretur? infinita foret Codicum Sacrorum Novi Teſtamenti differentia, ut unus nihil fere ſimile cum altero haberet, ut non tantum aliquibus, exemplaria quæ in Chriſtiano orbe habentur, diſcreparent voculis, ſed contextus etiam atque ſenſus plane diſpar eſſet. Cum vero experientia teſtetur, omnes codices tam veteres quam novos, in quacunque lingua ſive Græca originali, ſive Syriaca, ſive Latina, ſive Germanica, ſive Anglica, ſive Gallica, ſive Italica, ſive Hiſpanica, ſive Polonica, ſive Hungarica, non in ſumma tantum convenire, ſed in ſenſu nullam deprehendi diſcrepantiam; ut adeo ex maximo illo innumerorum fere exemplarium conſenſu certiſſime concludi poſſit, Traditionem illam ſine corruptione fuiſſe propagatam, fidemque hiſtoricam geſtorum Chriſti & Apoſtolorum eſſe certiſſimam.

§. CLXIX.

Secundo & hoc tenendum, quod Liberi à Parentibus facilius ſe decipi patiantur, præjudicioque Auctoritatis ducantur, quam extraneus aliquis Populus, qui non tam facile alii nationi fidit, ſed cum ipſi omnia ſuſpecta ſint, in ipſam potius veritatem inquirit, neque ſine exploratione quidquam accipit.

Hic ea apponere libet, quæ Celeberrimus LIMBORCHIUS erudito illi Judæo ad hanc difficultatem regerit; dicit nempe pag. 298. in Reſponſione ad tertium ſcriptum Judæi: *Nec juvat, quod traditio Judaica fit à Patribus in filios: Quia ſicut ab una parte non*

non facilis est suspicio falsitatis à Patribus in filios propagatæ; ita ab altera parte nihil proclivius est, quam Liberos cæca credulitate recipere, & à tenera ætate alte imbibere opiniones parentum traditione sibi instillatas. Sed quando Religio propaganda est ad extraneos, & religio quam ex parentum traditione hauserunt, ut falsa & exitiosa abjicienda, tum præjudicium pro parentum traditione; & contra novitatem ejus quæ commendatur, omnia sollicite inquirere & investigare; & ubique fraudem metuere docet. Præsertim si Religio quæ commendatur sit ingrata carni, multa contineat communi hominum opinioni ac desiderio plane contraria, nec nisi maximo cum fortunarum ac bonorum, carceris & exilii, quin & præsentissimo mortis periculo recipi possit; præterquam enim quod extraneorum omnia suspecta sint, hic tam multa concurrunt, quæ animos ab ista Religione alienos reddunt, ut nisi evidenter convincantur de annuntiationis veritate; fidem neutiquam adhibituri sint.

§. CLXX.

Si 7. Judæi provocent ad ritus nonnullos & cærimonias in Ecclesia sua constanter conservatas, & ab una generatione ad alteram propagatas, quæ totidem fidei historicæ & traditionis non interruptæ sint argumenta & documenta; quales cærimoniæ sint *circumcisio* & *pascha* aliæque multæ; Etiamne Religioni Christianæ ejusmodi testimonia desunt, habemus *Sabbathum*, sive primum hebdomadæ diem, quem in memoriam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi à primis suis incunabilis celebravit Ecclesia, cujus jam

jam divus Johannes in Patefactione sua meminit; habemus *Baptismum* à Christo institutum, ante ipsum à Johanne Baptista celebratum, cujus nulla alia ostendi potest origo; habemus *S. Cœnam*, quæ ab Ecclesiæ primordiis in commemorationem mortis Christi, beneficiorumque ad nos inde redundantium, celebrata fuit; habemus denique *alia Festa*, Conceptionis, Nativitatis & Circumcisionis, nec non Resurrectionis & Adscensionis Christi, omni ævo in Ecclesia Christiana celebrata. Ut nec hic ad Traditionis confirmationem nobis aliquid desit.

§. CLXXI.

Testimonium autem *aliorum* quod spectat, quod ad fidei historicæ confirmationem facit, nullum Judæi adferre possunt ad confirmandam historiam Mosaicam, cum nullus extiterit coætaneus scriptor; neque etiam nos contendimus propterea Mosis Autoritati & Pentateuchi veritati aliquid decedere. Quoad Christi historiam, ad Propositionem VI. ostendimus ipsos Judæos, Jesum Nazarenum extitisse, non diffiteri; Extiterunt etiam eodem quo Christus vixit sæculo Autores, qui Johannis Baptistæ & Jesu Christi mentionem faciunt. Uti JOSEPHUS Antiquit. Lib. XVIII. PLINIUS Epist. Lib. X. 97. SUETONIUS & CORN, TACITUS Annal. Lib. XV.

§. CLXXII.

Cum igitur Fides historica Religionis Christianæ eadem habeat criteria cum Mosaica, tam quoad Characteres intrinsecos (§. 162. 163.), quam quoad Traditionem §. 164--169.), &

quoad reliqua monumenta & testimonia (§. 170. 171.); Sequitur: *Historiam Evangelicam non minori niti certitudine, quam Mosaica.*

Propositio VIII.

§. CLXXIII.

Revelatio Christiana non minus ac Judaica confirmata est miraculis.

Judaei afferunt quadruplici fundamento fidem suam niti, Testimonio scilicet scripto, Traditione, Miraculis & Prophetiis, ratione duorum priorum Religionem Christianam eandem habere certitudinem ostendimus, nunc idem etiam respectu Miraculorum Prophetiarumque probabimus.

§. CLXXIV.

Nec Mosis nec Christi Miracula potuisse esse praestigias & imposturas, contra Atheos & Naturalistas demonstravimus Cap. VI. & X. Fidem Historicam Librorum Novi Testamenti cum Pentateuchi eandem esse probavimus Propositione praecedente. Id nunc agendum ut ostendamus Christi Miracula Mosis non fuisse minora. Nihil hic Miraculis Mosis derogatum volumus, sed lubentes Judaeis omnia ea concedimus, quae ad gloriam Legislatoris sui extollendam afferunt. Dicunt nimirum α. Mosen plura patrasse Miracula quam omnes Prophetas ipsum sequentes. β. Afferunt Mosen tantam patrandi Miracula habuisse potentiam, ut eam exercere potuerit in omnis generis Creaturas Exod. VII. VIII. IX. X.

XIV.

XIV. XVI. XVII. XXXIII. Num. XVII, &c. γ. Mosen etiam Miracula sua patrasse dicunt in omnium hominum conspectu, in ipsa Pharaonis aula, præsentibus omnibus Ægypti proceribus, totoque Populo; ut nulla plane fraudis suspicio remanere potuerit. δ. Idque summa contendunt factum fuisse Autoritate, quali nullus unquam Prophetarum usus sit. Quæ omnia Adversariis nostris concedimus, ostensuri in nulla harum rerum Christum Mose inferiorem esse.

Vide quæ hac de re habent *KIDDERUS Demonstration du Messie* I. Partie, & *GEORGE STANHOPE Defense de la Religion Chrêtienne, contre les Juifs & contre les faux sages, tant Payens que Chrêtiens.* II. Section, *HORNBECKIUS contra Judæos* Lib. III. Cap. I. pag. 232. *LIMBORCHIUS Amica Collat. cum erudito Judæo*, Responsione ad tertium scriptum Judæi pag. 252. seq.

§. CLXXV.

Primum quod Judæi de Mosis Miraculis gloriantur eorum multitudo est; ab omnibus enim Prophetis septuaginta quatuor, à Mose vero septuaginta sex patrata fuisse perhibent. Ita enim MENASSE de hac re loquitur: *Videmus hinc Mosen non modo excellentia & sublimitate Prophetiæ, verum & miraculorum multitudine omnes superasse. Etenim supputatione inita comperimus, per aut propter Mosen LXXVI. miracula edita: at per vel ob reliquos omnes Prophetas à principio Mundi, usque ad excidium primi templi, id est, annis ter mille trecentis & viginti octo, tantum quatuor & septuaginta. Ita ut sine controversia ille cunctos excesserit, quippe non in ele-*

mentis modo, & mixtis, & mineralibus, plantis, animalibus rationis expertibus, in hominibus. cœlis, & angelis miracula edidit, sed & ipsam Divinitatem deorsum attraxit, facie ad faciem cum Domino locutus, ut inquit Abravaniel sub finem expositionis in legem. Inter hæc vero septuaginta sex miracula talia recensent, quæ revera non sunt, ut ex. gr. quod Moses à Pharaonis filia ex aqua liberatus fuerit; quod dum plagis afficerentur Egyptii Israëlitæ immunes erant, & quæ alia.

§. CLXXVI.

Jesu Nazareni Miracula si consideramus tantus eorum numerus fuit, ut Mosis & Prophetarum miracula simul sumta longe superet. Adeo ut Populus stupefieret dicens: *Christus quum venerit, num plura portenta edet quam hic edidit?* Joh. VII. 31. JOHANNES hisce verbis claudit Evangelium suum: *Sunt autem*, inquit, *& alia multa, quæ fecit Jesus: quæ, si singula scribantur, ne ipsum quidem mundum scribendos hac de re libros capere posse arbitror.* Quibus verbis quidem Divus Apostolus non hoc indicare vult, quod Librorum moles tanta futura esset, ut Mundus eos non caperet; sed quod lectu nimis prolixa foret ea Historia, quam ut homines omnia capere atque memoria retinere possent. Quot enim Christus in innumeris fere hominibus sanandis patravit miracula? Quot in subita hominum ad se conversione? Quot in hominum à mortuis resuscitatione? Quid dicam quod mare & ventus, quod Diabolus cum Regno suo ei obediverit? Et quot per Apostolos etiam in cœlos evectus commisit? Nil dicam de Spiritus Sancti in

Apoſtolos effuſione, de tot millium brevi tempore ad Religionem Chriſtianam adductione, aliisque pluribus in vita, morte & poſt ipſius mortem patratis.

§. CLXXVII.

Si porro Judæi dicant, Moſen in omnis generis creaturas ſua exercuiſſe miracula, nec hac in re Chriſti miracula minora ſunt, fuerunt enim univerſalia, in cœlum & in terram & in omnis generis creaturas ſeſe extendentia. Habuit poteſtatem in cœlum, deſcenderunt & adſcenderunt Angeli cum naſceretur. Nativitas ejus per novæ ſtellæ apparitionem Magis in oriente indicatur. In Baptismo ejus cœlum aperitur: *Et ecce,* inquit Matthæus Cap. III. 16. 17. *apertis ei cœlis, vidit Johannes Dei Spiritum deſcendentem, quaſi Columbam, & in eum venientem. Et ecce vox è cœlis dicens: hic eſt meus cariſſimus Filius, qui mihi acceptus eſt.* Reiterata eadem ex cœlo voce cum transfiguraretur in monte Matth. XVII. Et tertia vice, præſente ingenti populi turba Joh. XII. 28. 29. Cum in cruce ſuſpenſus diriſſimis ſuis paſſionibus pro peccatis noſtris ſatisfaceret, Sol modo plane miraculoſo per trihorium integrum obtenebratus fuit. Matth. XXVII. A mortuis reſuſcitatus in cœlum adſcendit; indeque Spiritum Sanctum in Apoſtolos, præſentibus omnis generis teſtibus, effudit. *Extitit* enim *repente de cœlo ſonus, quaſi vehementis flatus ruentis, totamque Domum replevit, ubi ſedebant: eisquæ conſpectæ ſunt dividuæ quædam quaſi ignis lingue, qui eorum unicuique inſedit: repletique ſunt omnes ſancto Spiritu, & diverſis loqui linguis cœperunt, prout eis ſpiritus fari dabat* &c. Act. II. 3. 4.

§. CLXXVIII.

Si ea consideremus miracula, quæ Christus in Creaturas in hac terra exercuit, tanta est eorum varietas, numerus tantus, ut ubi incipiendum sit plane nescias; quæ, non quidem nostris verbis, ita comprehendimus: Sanavit in instanti omnis generis morbos; cœcis natis visum non tam restituit, quam dedit, mutis loquelam, surdis auditum, claudis gressum; paralyticos sanavit, leprosos mundavit, sedavit tempestatem, inambulavit aquis, pisces in discipulorum retia compulit, alium cum statere in ventre in hamos Petri, ut tributum solveret, panes multiplicavit, dæmonia ejecit, ac tandem mortuos excitavit: adeo ut potestatem suam exseruerit in mare, ventos, pisces, panes, dæmones, morbos, quin & mortem ipsam. Ut de miraculis per ejus Apostolos patratis nihil dicam.

§. CLXXIX.

Mosen miracula sua in omnium conspectu præsente magno hominum numero patrasse Judæi asserunt; sed nec Christus in abscondito sua commisit. Verum quidem est, circumstantias loci, & temporis aliasque caussas, non semper permisisse, ut integer Populus adesset, ea tamen fecit in aperto, conspiciente magna hominum turba atque frequentia. At fecit miracula in plateis urbium & vicorum, fecit Hierosolymis & in templo, fecit in Synagogis & in itinere comitante eum magno hominum numero, fecit in ipsa Festorum frequentia, presente ingente hominum multitudine, aspicientibus tam amicis quam inimicis; ut ea vera fuisse miracula dubi-

tare

tare nemo potuerit. Quinquies mille viris, & alio tempore quatuor mille panes distribuebat paucissimos, eosque saturabat; resuscitatus à mortuis una vice quingentis apparuit.

§. CLXXX.

Si denique contendunt maxima cum Autoritate Mosen omnia sua patrasse, id quidem aliquo modo verum est, vix tamen unum vel alterum fecit nisi accepto expresso divino mandato; aut prius precibus ad Deum fusis, ut appareret non propria ea facta fuisse potentia, sed Mosen nonnisi instrumentum vel indicem fuisse, quo præsente ea immediate à Deo efficerentur. Jesus Christus autem ita operabatur, ut verbo imperii utens summa juberet Auctoritate quæcunque fieri volebat. Unde Vento & Mari imperabat. Cœcum videre jubebat. *Et Jesus: cerne inquit ei, tua te fides servavit. Atque ille continuo vidit, eumque secutus est, Deum collaudans. Quo viso, Populus omnis Deo laudem tribuit.* Luc. XVII. 42. 43. Leproso autem dicebat: *Volo, mundus esto. Ac statim mundata est illius Lepra.* Matth. VIII. 3. Mortuo dicebat: *Adolescens inquam tibi, surge.* Luc. VII. 14. Imo tanta usus est potentia, ut absens etiam miracula patraret. Matth. VIII. 6. seqq. Joh. IV. 49. seqq. imo quod Moses non potuit, aliis etiam vim miracula patrandi communicavit, ut Discipulis suis diceret: *Ægros curate, leprosos purgate, suscitate mortuos: dæmonia ejicite.* Matth. X. 8. Discipuli autem ad eum reversi, maximo cum gaudio dicebant: *Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Luc. X. 17. Et Apostolis potestatem illam revera fuisse communica-

nicatam effectus ostendit. Act. III. 6. IX. 34. XVI. 18. imo Discipuli nomine & virtute Jesu ea se facere professi sunt.

§. CLXXXI.

Cum ergo Christi miracula nec numero (§. 175. 176.), nec qualitate (§. 177 -- 180.) Mosis minora sint, sequitur: *Religionem Christianam non minus ac Judaicam confirmatam esse miraculis.*

Propositio. IX.

§. CLXXXII.

Nec minus etiam Prophetiis æque confirmata est Religio Christiana ac Judaica.

§. CLXXXIII.

Mosen insignem fuisse Prophetam nemo ex iis, qui Disciplinam amplectuntur Christianam, unquam negavit; sed Christum Doctrinam suam non minus ac Mosen Prophetiis, iisque clarissimis, confirmasse firmiter contendimus; Et talia quidem Christi extant vaticinia, ut paria, eademque claritate gaudentia, in Libris Mosaicis nullibi reperiantur, quæ à Mose fuerint edita Multa nimirum de futuro Populi Judaici statu prædixit vates hic, quæ exactissime fuere impleta; at circumstantiæ non adeo clare fuere designatæ, uti in Christi oraculis factum est.

§. CLXXXIV.

Ea hic afferre possem vaticinia quibus Christus mortis

mortis suæ genus prædixit. *Adsumtis enim duodecim, dixit eis: en adscendimus Hierosolyma, & hominis filio accident plane omnia, quæ sunt à vatibus scripta. Tradetur enim extraneis, & illudetur, & contumeliis adficietur & conspuetur, & verberatus interficietur, & tertio die resurget.* Luc. XVIII. 31. 32. Joh. XII. 32. 33. Prædixit proditionem à Juda committendam, Matth. XXVI. 21. ab altero vero se abnegandum esse. Joh. XIII. 38. Quod nisi verum fuisset Apostoli non indicassenr, scribentes Evangeli[illegible]a, dum in eorum ignominiam cessit. Prædixit die tertio se resurrecturum Matth. XVI. 21. Spiritum Sanctum in Apostolos esse effundendum. Luc, XXIV. 49. Ecclesiam suam perpetuo duraturam. Matth. XVI. 18. At dicent Adversarii, hæc omnia, nisi ultimum excipias, demum post implementum litteris fuisse consignata, ut adeo sublestæ fidei sit, num hæc antea revera à Christo fuerint prædicta. Licet haberemus quæ ad hæc regereremus, malumus talia proferre exempla, quæ omni exceptione majora sunt.

§. CLXXXV.

Huc pertinet, quod Christus prædixit factum illud, quo mulier ipsum unxit, memorandum esse in universo terrarum orbe ubicunque Evangelium prædicaretur. Matth. XXVI. 13. de quo ita CHRYSOSTOMUS Orat. II. contra Judæos: *Utrumne*, inquit, *mentitus est, an dixit verum? Evenit quod prædixit, an fuit inane vaticinium? Interroga Judæum, & si millies perfricuerit frontem, adversus hanc prædictionem non poterit oculos attollere. In Omnibus enim Ecclesiis appellari mulierem audimus. Sunt Consules, Duces, Viri, Mulieres, nobiles,*

illustres, splendidi, in omnibus urbibus, & in quamcunque orbis partem deveneris, summo cum silentio audiunt omnes hujus mulieris officium. Nec est ulla mundi plaga quæ factum hoc ignoret.

§. CLXXXVI.

Progrediamur ad ea quæ Christus de Urbis Hierosolymæ, de Templi Populique Judaici fatis prædixit. De Templo inquit Discipulis suis: *Vides has ingentes structuras? Ita dissolventur, ut nullus lapidi lapis impositus relinquatur.* Marc. XIII. 2. Quæ, etiam contra ipsum Titi mandatum, impleta esse, testatur JOSEPHUS *de Bello Jud.* Lib. VII. Cap. I. XXII. XXVI. XXXIV. De urbe vero Hierosolyma ita pronuntiat Christus: *Venient enim tibi dies, quum te tui hostes vallo circumdabunt, & circumsidebunt, & prement undique, teque & tuos in te natos complanabunt, nec in te lapidem lapidi impositum relinquent: quoniam tempus, quo tui habita cura fuerit, non noveris.* Luc. XIX. 43. 44. *Hei uturum ferentibus & lactantibus per ea tempora. Nam hæc Regio graviter premetur, & in hunc Populum atrociter sævietur, ut gladiorum acie cadant, & per omnes gentes exsulent, calceturque à Gentibus Hierosolyma* Luc. XXI. 23. 24. Hæc ad litteram fuisse impleta, patet ex JOSEPHO loco citato.

§. CLXXXVII.

Adjicit Christus etiam magnum signorum Urbis vastationem præcedentium numerum. Inquit α. *Multi venient in meo nomine, qui se Christos esse dicent, multosque decipient.* Matth. XXIV. 5. Idem accidisse JOSEPHUS testatur de Bello Jud. Lib. II. 23. Addit hisce β. *Futurum esse, ut Bella*

Bellorumque rumores audiantur. Consurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, eruntque fames & pestes, & terræmotus certis locis, quæ omnia principium erunt dolorum Matth. XXIV. 6. 7. Dicunt Historici non in Judæa solum, sed & in Italia etiam ante Hierosolymorum dirutionem Bella fuisse gesta; gravissima etiam fuit Pestis cum fame conjuncta. Etiam terræmotus fuisse legimus apud JOSEPHUM Lib. VI. 27. & ult. ut & Lib. VII. 20. 21. γ. Magna porro in cœlis prodigia futura inquit Jesus, Luc. XXI. 11. de ejusmodi loquitur idem JOSEPHUS Lib. V. 12. & TACITUS Hist. Lib. V. *Evenerant*, inquit, *Prodigia, quæ neque Hostiis, neque Votis, piare fas habet Gens superstitioni obnoxia, Religionibus adversa* δ. Pergit Christus dicens: *Quum autem desolationis Abominationem stare videritis in loco sacro, qui legit intelligat: tunc qui erunt in Judæa, fugiant in montes* &c. Matth. XXIV. 15. Hierosolymamque exercitibus circumdandam vaticinatur, illiusque vastitatem tunc temporis instare. Luc. XXI. 20. Id autem quod Judæis maxime abominationi est, cultum scilicet idololatricum, signaque Romanorum militaria, Imperatorum suorum in divorum numerum relatorum imaginibus ornata, locis sacris, Urbi Hierosolymorum Temploque fuisse illata, nemo Judæorum est qui inficiari possit. ι. Judæos per omnes gentes exsulaturos ait Luc. XXI. 24. quæ verba adeo clara sunt, ut nullo indigeant commentario. ς. Evangelium etiam prædicatum iri dicit per totum orbem, quod sit cunctis gentibus testimonio. Matth. XXIV. 14. Quis autem est qui ignoret, Evangelii inter gentes prædicationem jam ante Urbis vastationem

initi-

initium sumsisse, postea vero per totum fere orbem habitabilem Christi disciplinam à Gentibus fuisse receptam.

§. CLXXXVIII.

Monstrent autem nobis Judæi si possint clariora in Libris Veteris Testamenti Vaticinia! si non possint, concludere nobis liceat: *Christum non minus ac Mosen Doctrinam suam Prophetiis confirmasse.*

§. CLXXXIX.

Si reliqua nunc Discipulorum ejus Scripta, si nonnullas Pauli Epistolas, si Divi Johannis Patefactionem vellemus evolvere, haud obscuriora ibi, quam apud Veteris Testamenti Prophetas, reperiremus oracula; at integrum nunc exhibere commentarium Propheticum non vacat, iis quæ ad institutum sufficiunt contenti.

Propositio. X.

§. CXC.

Ea Religio, quæ in Libris Veteris Testamenti præcipitur, ei quam Christus & Apostoli docuerunt in nulla parte contradicit, sed maximus inter illas est censensus.

§. CXCI.

Sequentia sibi maximo obstaculo esse afferunt Judæi. α. Quod statuamus Messiam perfectiorem fecisse legem moralem, à Deo olim per

per Mosen latam. Illud autem fieri non posse contendunt; sive Deum consideremus, qui sit purus simplicissimusque, in omni linea unus adorandus, quique sit immutabilis natura sua, & qui diverso tempore alio ac alio modo coli nequeat; Moralia in Lege Mosis contenta esse perfectissima, sicuti & Evangelica; imo eandem esse Doctrinam, quæ ex eodem sacro promanaverit fonte, nonnisi hyperbolicis quibusdam additis. Si igitur Doctrinæ Evangelicæ perfectionem cum Legis Mosaicæ perfectione conferant Judæi, nullatenus se illam majorem invenire. Vide tertium scriptum eruditi *Judæi* contra LIMBORCHIUM Num. II. Quæsiti II. Deum per Mosen præcepisse, ut ipsum amemus amore perfectissimo, toto corde nostro, tota anima nostra, tota virtute nostra, ut ei soli adhæreamus, eum solum timeamus. Amorem autem Dei atque filialem timorem in Evangelio perfectiore modo præcipi non posse, unde Christus homines ad hoc divinum præceptum miserit, quo vitam æternam consequerentur: In Evangelio quidem pias satis contentas esse admonitiones, de obedientia erga Deum, de hypocrisi vitanda, de patientia, de temporalium absoluta despectione & contemtu; addita his esse quædam hyperbolica, quæ sensum satis commodum admittant; ut divitem salvari non posse, providentiam pro usibus humanis necessariam nullatenus habendam, sed divinæ unice fidendum, eique acquiescendum; nunquam jurandum; litem etiam justam non instituendam, neque ab injusta secundum jus defensionem, sed si pallium quis injuste petierit, ei etiam reliquum vestis dandum. Una gena percussa,

cussa, alteram percutienti præbendam, ut iterum percutiat. Hæc & similia commodam admittere interpretationem, neque quidquam perfectionis Legi divinæ addere; neque, ut jacent, à Christianis servari aut servari posse: Imo infinita esse in lege præcepta moralia, quibus homo, si ea recte servaret, ad angelicam vitam perduceretur, quæ in Evangelio minime ita explicite inveniantur, maxime Levit. XIX. XX. vide tertio scripto Judæi, Quæsito III. Num. XI.

§. CXCII.

β. Cultum illum ritualem, qualis à Deo in Lege præscriptus fuit, recte observatum, non posse non esse Deo magis acceptum spirituali illo in Evangelio præscripto. Licet enim, inquit Judæus, Messias totum Cultum moralem & internum, optimis & sanctissimis consiliis, in majorem perfectionem, edoceret; si simul ritualem Dei Legem jam inutilem & vanam prædicaret, non perfectiorem Legem introduceret, sed unam ejus partem perficiens, & alteram destruens, totius divinæ Legis prævaricatæ esset reus: Quippe Deo una pars Legis sine alia minime placebat, nec minus severe unius refractarios, quam alterius, punivit; toties in aliquorum ritualium prævaricatores severius animadvertere legimus: & si quidem horum transgressio magis displicebat, eorum observantiam plus etiam placuisse, colligitur; cum contrariorum eadem sit ratio, & disciplina, *Scripto Tertio* Judæi, Quæsito III. Num. X. & XI. dicit: *Verum cultus exterus à Deo præscriptus, ut talis est, utrumque essentialiter includit, & internum moralem in solo spiritu consistentem, & actum corporeum in Dei obedientiam, & amorem, elici-*

elicitum, qui eum internum cultum testatur, perficit, & opere exequitur, ideo utramque perfectionem continet. Ex quo evidenter colligitur, non solum, quod non est interno imperfectior, cum eum etiam includat, sed multo magis perfectus, utpote etiam corporaliter, per Dei Reverentiam, & obedientiæ executionem, eum perficiens. Num. XII. Ubi probare contendit, cultum externum non minus Deo gratum, quam internum, ut adeo cultus ille cærimonialis abrogari minime debeat, inter alia hæc habet: *Est enim externus cultus ut à Deo postulatur interni cultus maxima perfectio. Hoc aperte constare potest; siquidem nunquam internum cultum Deo placuisse legimus, absque aliquo externo: quippe homo spiritu, & corpore debet Deo inservire, ita ut quod carnis ei inest, quodammodo spirituale etiam efficiatur.*

§. CXCIII.

γ. In hoc etiam Doctrinam Christianam Religioni Mosaicæ sive Judaicæ contradicere asserunt Adversarii nostri, quod doceatur Cultum illum ritualem peccata revera non expiasse; sed nonnisi rerum futurarum typum gessisse. Unde eruditus ille Judæus modo citatus Quæsito III. Num. XIII. triplici præcipue argumento æternam sive perpetuam Legis cærimonialis durationem probare contendit; *ex* ejus perfectione scilicet; *ex* expressis S. Scripturæ dictis; *ex* divino mandato, quod eam Judæi etiam post captivitatem quamlibet & plenariam redemtionem observare debeant. De primo dicit: *Nunquam Deus de majore perfectione aliquid detrahere consuevit, nec suam sanctitatem decebat, cum perfectissimum plus ei placeat, quam perfectum, & cum ritualia interno*

terno cultui non opponantur, sed perficiant. De secundo ita habet: Verum tamen pro perpetua legis duratione respectu Israëlis, utitur S. Scriptura omnibus phrasibus, quibus absolute constet, Deum nunquam derelicturum suum Populum, neque quam dedit legem mutaturum, præcepta, Judicia, atque ceremonias: non oportet hic omnia loca adducere, cum frequentissima in S. Scriptura reperiantur, videlicet: *Ea servabis tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum: Semper, tu, & semen tuum, & semen seminis tui: in perpetuum, de generatione in generationem: cultu perpetuo: religione perpetua, fœdere perpetuo.* Qua eadem Perpetuitatis voce in rebus, donec mundus perseveraverit, duraturis utitur divinus Spiritus: Sit unicus locus *Hieremiæ* quasi exemplum. Cap. VI. 22. *Qui disposui arenam terminum mari statuto perpetuo quod non transgreditur.* Sicuti hic *statutum perpetuum* non æternitatem significat, sed immutabilitatem, quæ creaturæ secundum suam naturam debetur: Ita de divinæ legis duratione semper divinus Spiritus Israëlem alloquitur: quod ut nemo tergiversari posset, legis durationem non usque ad alicujus mortem, sed juxta Israëlis vitam, subsistere voluit, dicens quod eam observaret *donec vivi fueritis super terram.* *Tertium* Judæi *argumentum* loco citato ita habet: Sed eximia perpetuitatis Legis probatio deducitur: quod in omnibus captivitatibus maxime post redemtionem, & Messiæ adventum, ritualia Deus observari jussit: & quod & sacrificia & cætera omnia restituenda sunt. Hactenus eruditus ille Judæus. Cum igitur Deus expresse inculcaverit, ut lex cærimonialis in perpetuum observetur, & ipsa

cultus

cultus divini ratio, qui perfectissimus esse debet, id postulet; in Doctrina Christiana omnia sacrificia, omnes veteres ritus abrogati sint, neque ullus amplius ipsis locus detur, sequi contendunt, Religionem Christianam illi quæ à Mose fuit instituta & toti Veteri Testamento contrariam esse, quæque adeo tolerari minime queat.

§. CXCIV.

ɔ. Cum vero ex divino instituto ritus illi, totusque cultus, qualis olim ab Israëlitis observabatur, perpetuo observandus sit, abrogari illum minime posse Judæi asserunt, nisi Deus novum atque expressum de ejus cessatione mandatum det; cum vero tale nullibi plane reperiatur, male Christianos fecisse, quod Religione sua legem Dei prævaricantes essentialem Religionis veræ partem pro suo lubitu abrogaverint. *Neque*, inquit Judæus, loco modo citato, *erant alii termini, quibus Legem perpetuam fore significaretur, cum donec Israël subsisteret, Legem duraturam, eamque servari præceperit. Nunquam vero usque ad Messiæ adventum duntaxat Legem duraturam admonuit: neque verbum aliquod protulit, ex quo eam aliquo modo mutandum esse insinuaverit.* Et sensum Legis hujus non posse esse typicum vel mysticum probare conatur. Quæsito I. Num. VII. VIII. IX. XI. XIII.

§. CXCV.

ɩ. Contendunt porro Christum non modo nullibi dixisse, Legem illam à Deo per Mosen latam esse typicam, adeoque abrogandam; sed ipsum Christum Apostolosque Legi cærimoniali se subjecisse ajunt, ipsisque Proselytis suis ut par-

tem rituum illorum observarent injunxisse; illis etiam qui inter Gentiles vivebant, vel qui ex Gentibus Christianam amplectebantur Religionem. Unde Judæus ille apud LIMBORCHIUM Scripto III. Quæsito I. Num. VII. dicit: Omnes quidem Christianas Sectas in hoc convenire, quod Lex per Mosen promulgata fuerit typica, umbratica, non amplius observanda, utpote figurativa; & jam post Messiæ adventum illam nullius esse valoris, nec Deo gratam, nec observatu dignam. Omnes quidem Christianos convenire, quod Christus hæc edocuerit; id vero in quatuor Evangeliis nequaquam legi: quæ si Christus clare docuisset, ut postea Paulus & condiscipuli, Stephani ad instar lapidibus fuisset obrutus, nec tertium prædicationis annum adimplevisset; quod profecto non fecerit, neque ullibi Legem divinam typicam esse dixerit, paulo post derelinquendam; sed oppositum potius illum Populo significasse, Judæus contendit. Et Num. IX. asserit, Christum Discipulis suis sensum clarum Legis ritualis nunquam detexisse; sed juxta Christianos hæc reservata fuisse, a Spiritu Sancto postea discipulis revelanda, sed nec tunc adimpleta esse, quia postquam Spiritus Sanctus super eos descenderit, in eadem perseveraverint ignorantia, legalia jam inutilia minime credentes; unde Petrus Angelo responderit, quod nollet se in reptilibus immundare, & de gentibus ad Ecclesiam recipiendis dubitaverit, dum Ecclesiam in solis Judæis consistere posse crederet: adeo Discipulis Christi ignotum fuisse, quod lex illa inutilis atque abroganda sit, ut plurimi ex discipulis, ipsas Gentes ad ejus observantiam co-

gere voluerint. Num. deinde X. ex Principiis Paulinis ſequi contendit, omnia in Chriſtianiſmo ad fidem in Meſſiam redire, ut ſi quis omnia ſimul Moſis legalia ſervaret ut à Deo in Lege præſcripta, ſuæque hac in parte conſcientiæ ſatisfaceret, nullius eſſet criminis reus, ſed optimus atque orthodoxus Chriſtianus, dum lex illa neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis, neque à Paulo Judæis fuerit prohibita; permiſſum adeo fuiſſe Judæis ab Apoſtolis ritualium uſum à Deo præſcriptum, dummodo Jeſum Meſſiam crederent quem exſpectaverant. Videri autem tam antiquis quam modernis Judæis Apoſtolos in verbis implicari, cum præcipua Chriſti dogmata Legi Moſis contraria ſint, & eo ipſo quod Chriſtum crederent quem exſpectaverant Meſſiam eſſe, Legem tenerentur deſerere, ut vanam & inutilem ad ſalutem, ut jam non Deo gratam. Si dicatur Spiritum Sanctum cum primis Judæis ut cum puerulis egiſſe Doctrinæ ſublimiori non idoneis, pernicioſam tamen fuiſſe permiſſionem, quia qui transgrederetur crederet ſe peccare, & qui obſervaret crederet ſe Deo placere, ut utrique abſolute fallerentur. *Videat*, inquit tandem, Judæus, *deprecor*, *Doct. Vir miſerum populum*, *jam orto ſole*, *tenebriſque fugatis*, *veritate*, *quæ ſub Legis cortice latebat*, *clare detecta*, *in ejusdem Legis laqueis inutiliter implicitum*, *ut novi Prophetæ eam inutilem*, *vanam*; *tamen adhuc obſervabilem à Judæiſque non neceſſario rejiciendam prædicarent*. *Hoc ſufficiebat*, *ut eos Prophetas populus non audiret*, *quia utpote miſſi à Deo*, *populum lege divina confirmare debuiſſent*; *non vero avertere*, *velut inutilem*, *indifferenter ſervare*, *aut rejicere*; *Hieremia*, Cap. XXIII. 22. Ex his

 ſimi-

similibusque concludunt Judæi, Apostolos non modo Disciplinam introduxisse Religioni à Mose præscriptæ plane contrariam, sed & sibimetipsis Christi Discipulos non constitisse; Unde sequatur; *Eam Religionem, quæ in Veteris Testamenti scriptis præcipitur, illi quæ à Christo Apostolisque fuit præscripta contradicere, ut adeo alterutra falsa sit oporteat.*

§. CXCVI.

5. Prophetarum denique existere vaticinia perhibent, in quibus Judæorum in terram Cananæam reductio clarissime promittatur; ubi Templum reædificandum, cultusque integer, qualis à Patribus eorum olim observatus fuit, restituendus sit; Quod certissimum sit indicium, obligationem à Hierosolymorum vastatione ad ea usque tempora nunquam cessasse. Urget ad hanc rem probandam, eruditus apud LIMBORCHIUM Judæus Quæsito II. Num. III. præprimis dictum illud Deut. Cap. XXX. Ubi Israëli legem, præcepta, judicia, ac cærimonias servaturo promittitur: *Quamvis ad cardines cæli fueris dissipatus, exinde te retrahet Dominus Deus tuus, & multiplicabit te plusquam patres tuos in terra quam ipsis dederam, & circumcidam cor tuum, & seminis tui, ut ames me toto corde tuo, & tota anima tua, ut vivas.* Per hanc autem captivitatem nonnisi hodiernam intelligendam esse contendit Judæus; nullumque aliud medium Israëli fuisse ad salutem à Deo concessum, nisi Legis divinæ observantiam, per quam ex hac captivitate in ejus gratiam Populus reducendus esset. Per legem autem illam intelligit totam legem Mosaicam, non moralem solum sed & cærimonialem. Si ergo, con-

concludunt Judæi, Populos per Legis ritualis obſervantiam aliquando in terram Cananæam reducendus ſit, ſequitur eam perpetuo obligare, adeoque Chriſtianam Religionem veteri Judaicæ plane contrariam eſſe, dum obligationem illam à Deo inſtitutam ſolvit.

§. CXCVII.

Ne fruſtra contra Adverſarios noſtros diſputemus, ea præmittimus, quæ lubenter ipſis etiam hac in controverſia concedimus, *α.* nimirum & noſtra Eccleſia ſtatuit, Chriſtum legem moralem nec novam condidiſſe, nec eam, quam Moſes promulgavit, auxiſſe, nec adeo nova præcepta moralia attuliſſe; ſed hoc ſolum afferimus, eum legem illam à falſis Phariſæorum interpretamentis vindicaſſe, multa clarius explicaſſe, & nova ad eam obſervandam attuliſſe motiva.

Novi equidem dari Theologos qui contra Judæos defendunt, nova moralia præcepta Chriſtum dediſſe, & hac etiam in parte Doctoris & Salvatoris munere functum eſſe, quod novam attulerit legem, ſed non communis hæc Eccleſiæ noſtræ eſt ſententia; ſed illorum ſolum qui Socinianismo aliqua ex parte favent.

§. CXCVIII.

β. Et nos aſſerimus, Chriſtum non veniſſe ut ſolvat Legem, ſed ut eam perficiat. *Ne putate,* inquit ipſemet Salvator noſter, *veniſſe me, ut legem aut vates abrogem; non, ut abrogem, veni, ſed ut perficiam. Hoc enim vobis confirmo, citius periturum cœlum atque terram, quam ut unum i, aut unus apex pereat ex Lege, quin fiant omnia.* Matth. V. 17. 18. Sapientiſſimæ enim fuere cauſſæ cur & ipſemet Legem cærimonialem obſervaret; *poſtquam,*

enim, *plenum tempus advenit, misit Deus filium suum, muliere natum, qui sub Lege fuit, ut Legi subditos redimeret, quo adoptionem adipisceremur.* Gal. IV. 4. Et Christus Legem illam ritualem perfecit, dum omnia in ipso & per ipsum fuere impleta.

§. CXCIX.

γ. Et nos etiam statuimus, Ritus sacros in cultu publico egregium posse habere usum, si ita instituantur ut cultui interno non officiant, sed eum potius promoveant (Sect. XXII. Cap. III.). Unde non negamus ritus illos externos, ante Christum crucifixum in Ecclesia Judaica observatos, egregia cultus interni recte peragendi fuisse adminicula.

§. CC.

Sequentia igitur contra Judæos demonstranda sunt, ut inde appareat Christianam Religionem illi, quæ à Mose fuit promulgata, nulla in parte contradicere. α. Quod lex illa cærimonialis in se considerata, absque ullo alio respectu, Deo placere minime possit, & quod verum Dei cultum non constituerit. β. Quod peccatis expiandis hominique justificando fuerit insufficiens atque in se inutilis. γ. Quod nullus alius ejus potuerit esse usus, quam ut inter Israëlitas reliquasque Gentes parietem intergerinum constitueret, resque sublimiores atque spirituales Judæis repræsentaret. δ. Quod cultus internus Christianis præscriptus Deo non possit non magis placere, quam omnes illæ cærimoniæ olim observatæ nonnisi corpore peractæ. ε. Quod Deus Rituum illorum abrogationem non una vice prædixerit. ς. Quod juxta ipsam Christianorum hypothe-

pothesin Christus & Apostoli Legem illam observare potuerint. ζ. Quod Vaticinia illa, quæ Judæi de sua in terram Cananæam reductione agere censent, hic pro perpetua Legis illius observatione plane nihil faciant. η. Quod denique in omnibus hisce Religio Mosaica & Christiana optime conspirent, conclusio generalis inferenda.

Vide quæ de hisce passim disputat LIMBORCHIUS contra Judæum in amica collatione pag. 65. 358. 486. 62. 575. 577 600. 602. seqq. 608. 610. 65. 611. 63. 604. 630. 67. 631. 68. 631. adde his quæ habet STANHOPE *Defense de la Religion*, I. Part. Sect. VI. seqq.

§. CCI.

Primum quod demonstrandum suscipimus hoc est: *Quod Lex illa cærimonialis in se considerata absque ullo alio respectu Deo placere minime possit, & quod verum Dei cultum non constituerit.* Hoc α. ipsimet Judæi fateri coguntur; unde ita Judæus ille apud LIMBORCHIUM: *Pariter*, inquit Scripto III. Quæsito III. Num. XI. *divinæ Legis cultus externus à Deo Israëli præscriptus, si in solis externis actibus subsistat, non est cultus legalis, sed prorsus humanus Deo abominabilis, est turpe mendacium, quippe iis externis actibus, quibus Deo placuit, quod sui amorem, & reverentiam, homo testetur, indigne, & sacrilege abutitur: ea simulans, quæ prorsus non habet, & internam malitiam cultu à Deo pro sanctificatione statuto tegere credit: contra quæ sæpissime Dominus irascitur, & talem hypocrisin per omnes Prophetas criminatur.* Isajas Cap. LXVI. vers. 3. Qui jugulat bovem, ac si percuteret virum; qui mactat parvam pecudem, ac si decollaret canem: qui offert munus,

ac si sanguinem porci, qui adolet thus, ac si muneraretur idolum: Etiam isti eligunt vias suas, & abominationibus anima eorum delectatur. *Conabantur quidem suas animæ abominationes occultas facere cultu divino abutentes, sed non erat divinus cultus, sed profanus, & sacrilegus. Non igitur licet talem appellare cultum externum quem Deus mandavit: ille enim hominis animam non purgat, neque sanctificat; maxime alter, qui internam pietatem supponit & testatur, quo cultus divini rationem induit.*

§. CCII.

Ex hisce eruditi Adversarii verbis concludere licet, & ipsummet statuere, quod Ritus illi externi in se cultum divinum non constituant, neque adeo per se Deo placere possint, sed omnem suam essentiam, qua veram divini cultus rationem accipiunt, habeant à cultu intrinseco, qui si absit, cærimoniæ illæ non modo fiant indifferentes, sed plane Deo abominabiles & hypocriticæ. Liquet inde; *actus illos externos veri cultus Essentiam ab actionibus intrinsecis & spiritualibus accipere*, adeoque *divini cultus essentiam proprie in actionibus intrinsecis consistere.*

§. CCIII.

Quæritur nunc viceversa; Num actiones extrinsecæ illæ, sive Ritus à Mose præscripti etiam intrinsecis veram cultus divini rationem dent nec ne? Hoc est, an cultus internus ab externo separatus nullo modo Deo placere possit, ut externus sine interno Deo nullo modo placet? Hoc Judæi admittere nequaquam possunt, statuere alias cogerentur, inde à septendecim sæculis neminem unquam Judæorum verum Dei cultum

pera-

peragere potuisse, adeoque nec sanctificari, dum post Templi Hierosolymitani ultimam vastationem sacrificia immolare, aliasque plurimas cærimonias peragere nemo Judæorum unquam potuit; si vero Judæi post illa tempora viventes nihilominus potuerunt sanctificari (ex ipsorum hypothesi loquor) adeoque verum Dei cultum peragere; sequitur actiones intrinsecas, sive solum cultum internum, cærimoniis externis destitutum, Deo abominabilem non esse, uti externus sine interno est (§. præced.): *Adeoque cultum internum ab externo viceversa absolute non accipere essentiam suam.*

§. CCIV.

Cum igitur cultus externus ab interno accipiat Essentiam suam (§. 202.), at non viceversa internus ab externo sive cærimoniarum observatione (§. 203.): Sequitur *externas cærimonias per se Deo non placere, nec veri divini cultus Essentiam constituere.*

§. CCV.

Si vero Judæi etiam nunc sanctificari possint absque Legis cærimonialis observatione, & olim etiam Patres ante Legem illam per Mosen promulgatam sanctificari potuerint, per cultum internum; sequitur *Deum à cultu illo homines dispensare posse*, dum non in ipsa Dei hominisque natura, uti internus, fundatus sit. Cum vero *cultus internus*, consistens in vero Dei atque proximi amore, in ipsa Dei hominisque natura atque mutua relatione fundatus sit, sequitur *illum esse indispensabilem.*

§. CCVI.

Quidquid non in ipsa Dei hominisque natura & mutua relatione fundatum est, illud est dispensabile, & quidquid dispensabile est, etiam arbitrarium est. Cum vero lex illa cærimonialis ita comparata sit (§. præced.): Sequitur eam *arbitrariam esse*; quidquid vero arbitrarium est, etiam abrogari potest. E. & *Lex cærimonialis abrogari potest.*

§. CCVII.

Cum vero cultus internus in ipsa Dei hominisque natura fundatus sit, adeoque & indispensabilis & *non arbitrarius*, etiam ex hoc perspici potest magna utriusque cultus differentia, & interni præ externo valor.

§. CCVIII.

Sed inquiet Judæus, cultum externum (hoc est ritualem) interni maximam esse perfectionem: quoniam nunquam internum cultum Deo placuisse legamus absque aliquo externo: cum homo spiritu & corpore Deo servire debeat, ita ut quod carnis ei inest, spirituale quodammodo efficiatur.

§. CCIX.

Respondemus α. hoc extra omnem dubitationem positum esse, hominem Deo non spiritu tantum sed corpore servire debere; hoc id ipsum est quod Christus & Apostoli docuere. Christus, Matth. V. 28. 29. 30. & Apostolus Paulus, Rom. XII. 1. *Quare cohortor vos, fratres, per Dei misericordiam, ut præstetis corpora vestra hostiam viventem, sacram, acceptam Deo, qui vester sit cultus rationalis.* Et 1. Cor. VI. 20. *Honorate sane Deum vestris*

vestris & corporibus & animis, quæ Dei sunt. β. Distinguendum autem inter cultum corporis externum & cærimonialem, quem Adversarius confundit; licet enim tam corpus quam anima à Deo creata sint, adeoque & illud Deo servire debeat, motusque animi interni per motus etiam corporis externos sese exserant necessum sit, inde tamen minime sequitur hoc externarum nonnullarum cærimoniarum, quæ in corpore fundatæ non sunt, operatione fieri debere; ut homo præcise his ritibus & non aliis occupetur, siquidem cærimoniæ illæ arbitrariæ sint, adeoque à Deo abrogari possint (§. 206.). Cum vero Deus sine cærimoniis hisce & animo & corpore, adeoque etiam externe coli possit, sequitur falsum esse, cultum internum nonnisi per certas quasdam indispensabilesque cærimonias perfici posse. Nemo nimirum est qui non facile concipiat, magis in hominis natura verique cultus ratione fundatum esse, si homo corporis sui membris ita utatur, & ita ea componat, ut immediate Deus iis glorificetur; quam si homo animal aliquod mactet illudque comburat, nisi mactatio illa & combustio aliam habeat significationem, quæ mente recoli potest. Sequitur ergo *non omnem actum corporis externum debere esse ritualem.*

§. CCX.

Uti hactenus ad primam nostram Thesin Propositionis X. probandam ex ipsis Adversarii verbis argumentati sumus, nunc *secundo* Sacram Scripturam in auxilium vocamus. In ea Deus sæpius testatur, cultum illum ritualem non eum esse quem maxime ab homine requirat, sed internum

ternum se, etiam absque cærimoniali, longe præferre non una vice indicat. Sacrificia præcipuam ex Mosaicis cærimoniam esse nemo Judæorum inficiabitur, de iis autem dicitur: Psal. XL. 7. *Sacrificio & munere delectatus non es, aures perfodisti mihi, holocaustum & oblationem pro peccato non expetivisti. Tum dixi, ecce venio, in volumine Libri scriptum est de me.* Ex quibus verbis, quæ concedentibus Adversariis Messiæ sunt, patet 1. Deum sæpe testatum esse, sacrificia sibi in se non placere, neque grata esse. 2. Messiam sui oblationem in locum sacrificiorum pristinorum substituere, unde *ad mactationem ductus dicitur ut parva pecus, & velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens.* Esajæ LIII. 7. Psal. vero LI. 18. David ingenue confitetur Sacrificia non id esse quo Deus placari possit. *Quoniam*, inquit, *Sacrificium non vis, & darem tibi, holocaustum non acceptabis. Sacrificia Dei sunt spiritus contritus, & cor contritum & confractum Deus non despicies.* Quid vero clarius rem nostram probat quam ipsius Dei apud *Jeremiam* verba, Cap. VII. 22. *Non sum locutus cum Patribus vestris, nec præcepi eis die, quod eduxi eos à terra Ægypti, de holocaustis & victimis. Sed verbum hoc præcepi eis dicendo; obtemperate voci meæ, & ero vobis in Deum, & eritis mihi in Populum.*

Lubet adducere in hanc rem MAIMONIDIS verba, *More, Nevoch.* Part. III. Cap. XXXII. pag. 435. Edit. Bas. Buxtorfii. *Dico*, inquit, *cum ita species cultus divini, oblationes nempe, sint secundum intentionem secundam; invocatio vero, precatio & similia cultus divini genera magis sint propinqua intentioni primæ, & necessaria ad illam assequendam, idcirco Deum*

magnam

magnam inter duas istas species constituisse differentiam. Istæ enim oblationes & sacrificia, licet fiant in honorem Dei O. M. tamen non ita nobis sunt facienda, sicut à principio fiebant, ut videlicet in quovis loco & quovis tempore, offerre, cuilibet, cui adlubuerit hoc munus sibi vindicare, sit permissum; sed prohibita sunt nobis ista omnia, & certa Domus huic rei fuit assignata, sicut dicitur; Deut. XII. 26. *in loco, quem elegerit Deus: extra quem sacrificia offerre non licebat;* Deut. XII. 13. *Cave tibi, ne offeras holocausta tua in quovis loco, quem videbis: nec nisi certa familia Sacerdotio fungi poterat; & hæc omnia ad cultus istius genera diminuenda, ut nihil nempe fieret, nisi quod Deus non jussit intermittere. Verum precatio & deprecatio permissa & in omni loco & cuivis. Hac de caussa quam nunc tibi aperui, invenimus sæpissime Prophetas reprehendere homines ob nimium studium & nimiam diligentiam in addncendis oblationibus & illis inculcare, quod non principaliter & per se intendantur, neque Deus illis opus habeat. Sic ait Samuel;* 1. Sam. XV. 22. *Nunquid voluntas Domino est in holocaustis & victimis, ut in obtemperando voci Domini? Item* Esajæ I. 11. *Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus.*

§. CCXI.

Addi his possunt loca Ezech. XX. 25. *Et etiam ego dedi eis statuta non bona & judicia, non vivent in eis.* Et Hoseæ VI. 6. ubi Dominus testatur, *Misericordiam se & non Sacrificium velle, & cognitionem, holocaustis se præferre.* Ex quibus dictis omnibus ea quæ nobis probanda sunt clarissime patent,

patent, nempe *legem cærimonialem in se consideratam Deo non placere, adeoque verum Dei cultum non constituere.*

§. CCXII.

Tertio eadem veritas etiam sic demonstratur. Si Ritus cærimoniales à Mose Populo Israëlitico præscripti cultum internum perficerent, illique non minus, ac observatio Legis moralis, aut cultus internus, absolute necessarii essent, ut sine iis nec Deus recte glorificari nec homo sanctificari posset, adeoque non à solo Legislatoris arbitrio penderent, sed ad ipsam actionum perfectionem absolute pertinerent; sequeretur cærimonias illas necessario ab omni Populo, omni tempore, in omni statu observari debuisse; ad Dei Gloriam enim propriamque salutem quærendam, sive sui sanctificationem, omnes homines obligati sunt, & per Dei Sapientiam aliter non licuisset, quam ut hominibus inde ab ipsis mundi initiis cultum omnium perfectissimum præscriberet, qualis ex Judæorum hypothesi est cultus ille internus, qui per observationem Legis Mosaicæ Ritualis perficitur. Atqui Deus cultum illum perfectissimum, qualem Adversarii nostri arbitrantur, non inde ab initiis mundi, omnibus ubique hominibus semper præscripsit, sed uni tantum Populo & certo ejus statui, & nonnisi in terra sua: Sequitur aut Deum contra sapientiam suam egisse, neque hominum sanctificationem nec propriam Gloriam quæsivisse, adeoque nec cultum perfectissimum præscripsisse; aut cultum illum non esse absolute necessarium ad cultum internum perficiendum. Prius autem dici nequit, sequitur E.

poste-

posterius, nempe *Cultum Ritualem per se Deo non placere nec verum Dei Cultum constituere.*

Ipsis nimirum Judæis confitentibus Populus Dei eum olim coluit absque cærimoniis illis, duobus millenariis ante Legem latam; &, quod jam observavimus (S. 203.), dicunt se Deum hodie colere absque maxima cærimoniarum parte. Cum moralibus ideo longe aliter se habet, quæ perpetuæ atque universales sunt; quæ abrogari nunquam possunt, neque ullus unquam homo ab earum observatione liberari aut dispensari potuit, unde patet Leges cærimoniales iis æquiparari minime posse, nec ejusdem esse naturæ, sed peculiarem habere rationem.

§. CCXIII.

Ex hisce liquet α. Cultum internum esse absolute necessarium, per se Deo placentem, indispensabilem, in ipsa Dei hominisque natura fundatum, per se hominem Deo commendantem. β. Cultum Ritualem non esse absolute necessarium, non per se Deo placentem, non indispensabilem, non in ipsa Dei hominisque natura fundatum, non per se hominem Deo commendantem. Quique adeo cultui morali æquiparari minime potest.

§. CCXIV.

Si *Judæi dicant:* Cultum cærimonialem vi mandati divini eandem homines obligandi vim habere, quam moralis habet; adeoque inobedientiam ejus non minorem esse ac si cultus internus intermittatur. *Respondemus* id quidem verissimum esse. Cum vero lex cærimonialis, juxta demonstrata, sit lex positiva sive arbitraria, diutius illa durare non potest quam Legislator eam observari jubet, & per externas circum-

stan-

ſtantias illius obſervatio locum habet, eam vero abrogari poſſe jam demonſtravimus (§. 206.), abrogari autem debuiſſe ex ipſo divino mandato infra probabimus.

§. CCXV.

Ultimum, ad primam Theſin noſtram (§. 201.) ſtabiliendam, argumentum hoc eſt. Meſſiæ munus fuit, vel ex Judaica etiam hypotheſi eſt, ut etiam Gentes vocarentur, ut & illas magnus ille Propheta erudiret, Regnumque ſuum in omnes nationes extenderet (§. 153.), illæque in Eccleſiæ communionem reciperentur. Si vero & Gentes per Meſſiam ad verum Dei cultum adducendæ ſunt, aliter enim ejus ſubditi fieri nequeunt, verusque cultus etiam obſervationem Legis Moſaicæ cærimonialis requirat; ſequitur eam Gentibus non minus ac Judæis Meſſiæ tempore obſervandam eſſe. Hoc ſi fieri debet neceſſum omnino eſt, ut omnes Gentes & Nationes ex omnibus Mundi plagis, quacunque patet terrarum orbis, Hieroſolymas ad Templum conveniant; id vero impoſſibile eſt, non modo reſpectu itineris ſæpius faciendi, ſed reſpectu ingentis hominum numeri, qui ut omnes in magno aliquo feſto in Templo Hieroſolymitano Sacra ſua peragerent nullo modo fieri poſſet; minus adhuc ut Sacerdotes Levitici in totum terrarum orbem proficiſcerentur ad lepram inſpiciendam atque purgandam. Ex quibus ſatis apparet, cum Meſſiæ adventu neceſſario Legis cærimonialis, qualem Moſes inſtituit, fieri debuiſſe abrogationem.

§. CCXVI.

Thesis *secunda* Propositionis X. nunc probanda hæc est: *Quod Lex cærimonialis peccatis expiandis, hominique justificando fuerit insufficiens, atque ad hoc in se inutilis.* Theseos hujus demonstratio pendet à Propositione III, ubi demonstravimus, hominem ipsum pro peccatis divinæ Justitiæ satisfacere non posse (§. 100. 101.): Et à Propositione V, ubi demonstratum est, Liberatorem infinitas pro homine debere sustinere passiones (§. 104. 105.)

Vim præcipue hominem justificandi Judæi tribuunt cærimoniis die expiationis observandis, de quo vide integrum tractatum in Talmude, *Joma* dictum & MAIMONIDEM Part. II. sui Jad Halach. *Abhodath Jom hakippurim.* Et Rabbi ELIESER Cap. XLVI. אלולי יום הכפורים *nisi dies expiationum esset, mundus non subsisteret: Dies enim expiatorius in hoc & futuro sæculo expiat; sic dicitur, sabbatum sabbatorum hoc vobis*, Levit. XVI. 30. *Sabbathum hujus sæculi, Sabbathorum in futuro Sæculo. Licet omnia festa transirent & abolerentur, dies tamen expiationis non transiret; quia hic dies levia & gravia peccata expiat. Hinc dicitur, quia isto die expiabit vos ab omnibus peccatis vestris*, ibid versu 31. *non est scriptum, à peccatis vestris, sed ab omnibus peccatis vestris, isto die, quo lex fuit lata, dixit Sammaël coram Sancto benedicto: Domine meus, super omnes populos mundi dedisti mihi potestatem, non vero in Israelitas. Respondet illi: En, habes in illos potestatem die expiationis, si habuerint peecatum; si vero non, in illos non habetis potestatem. Idcirco dant illi munus die Expiatorio, ne irritum reddat Israëlitarum Sacrificium,* hinc

hinc dicitur: Una sors pro Domino; altera sors pro Hazazel seu Capro emissario. Sors sancti hen est Sacrificium holocausti; sors vero Hazazel est Hirci peccati, atque omnes iniquitates Israëlis super illum sunt, juxta illud: Et feret hircus ille super se omnes iniquitates illorum. Animadvertit autem Sammaël, nullum peccatum in iis deprehendi die expiatorio. Dixit coram Domino mundi; habes unicum Populum in Terra, similem Angelis ministerii in cœlis.

§. CCXVII.

Dum §. Præced. asserimus per cærimonias satisfieri pro peccatis non posse, dum hoc opus sit infinitæ potentiæ, infinitæque requirantur passiones; nunc eandem veritatem etiam ex S. Scriptura Vet. Test. demonstratam dabimus. Huc faciunt *tum* ea dicta, in quibus fideles Vet. Test. non ad Sacrificia aut alias cærimonias confugiunt, sed ad solum Deum; *tum* ea quæ peccatorum expiationem nonnisi Messiæ adscribunt. *Prioris generis* sunt Davidis confessio Psalmo CXXX. 3. 4. *Si iniquitates observaveris Jah Domine, quis possit consistere, sed apud te est condonatio.* Ubi peccatorum remissio non Cærimoniarum observationi, sed gratiæ Divinæ adscribitur, ut & Psalmo CXLIII. 2. *At ne congrediaris judicio cum servo tuo, nam non esset justus coram te ullus vivens.* Dan. IX. 18. *Non propter ullam justitiam nostram, sed propter miserationes tuas amplissimas.* 5. *peccavimus, perverse egimus, improbeque fecimus, ac rebellavimus.* 7. *penes te o Jehova est justitia ipsa, at penes nos pudor faciei, & penes omnes Israëlitas.*

Ipsa etiam cærimoniarum natura clare probat, quod licet

cet illis purgari potuerit corpus ab externa aliqua immunditie, conscientia tamen illis purgari minime possit; Licet enim taurorum & hircorum sanguis, juvencæque cinis, pollutos aspergens, lustret ad corporis puritatem, non purgare tamen potest nostram conscientiam à mortuis operibus, ut viventem colamus Deum.

§. CCXVIII.

Ad posterius genus dicta præprimis sequentia pertinet. Quando ipsemet Messias dicit, Psalmo XL. 7. *Sacrificium & fertum tibi non placet, corpus autem perfecisti mihi: Victimis & piaculis non delectaris. Tunc dixi: En adsum: In Capite Libri scriptum est de me, ut exsequar Deus voluntatem tuam.* Quum superius dixisset, sacrificium & fertum, & victimas & piacula sibi non placere, nec accepta esse, quæ ex lege fiunt, deinde dicit: En adsum, ut exequear Deus, voluntatem tuam. Tollit ergo prius, ut alterum statuat. Messiæ porro tribuitur, quod per ejus passiones præstitamque satisfactionem ac justitiam in foro divino absolvamur ac justificemur. *Infirmitates* enim *nostras ipse pertulit, & dolores ipsos nostros bajulavit. Castigatio pacis nostræ super eum & vibice ejus facta est sanatio nobis. Et Jehova fecit incurrere in eum iniquitatem omnium nostrum. Notitia sui justificationem conferet justus servus meus plurimis, quorum iniquitates ipse portaverit.* Jes. LIII. 4. 5. 6. vocatur propterea *Jehova justitia nostra.* Jer. XXIII. Porro dicitur de eo Dan. IX. 24. *Quod cohibiturus sit defectionem, obsignaturus peccato, expiaturus iniquitatem, & adducturus Justitiam perpetuam.* Liquet ergo tam ex rationis principiis (§. 216.), quam ex S. Scriptura (§. 217.), *Cærimonias externas à Mose præscriptas nec esse posse, nec esse justificationis nostræ caussam, sed plane aliam esse.*

§. CCXIX.

Tertia Thesis hæc est; *Quod nullus alius Legis Cærimonialis potuerit esse usus, quam ut inter Israëlitas reliquasque gentes parietem intergerinum constitueret, resque sublimiores atque spirituales Judæis repræsentaret.* Cum Ritualis cultus Deo per se placere non possit per Thes. I. (§. 201-215.), nec homo per ejus observationem justificari queat (§. 217. 218.), alia Legis cærimonialis sit oportet caussa, quam Judæi existimant; cum vero, per demonstrata, nihil in ipsa cærimonialis cultus natura deprehendatur, quod hominem Deo gratum reddere possit, cultus ille ritualis alium finem atque respectum habuerit oportet. Alius autem indicari non potest, quam tum Populi Judaici sub Vet. Test. degentis separatio, & rerum spiritualium significatio.

§. CCXX.

1. Cærimonias tam circumcisionis quam festorum, sabbathorum, abstinentiæ ab immundis, signum fuisse fœderis divini cum Populo illo pacti; per quod, grassante ubique idololatria, ab omnibus aliis separabatur Gentibus; non uno tantum loco ab ipso Deo indicatur: Postquam, ut pauca adducam, Exod. XIII. de Paschatis institutione & ejus observatione dictum esset, versu 9. additur: *Et erit in signum super manum tuam & in memoriam, inter oculus tuos, ut sit lex Domini in ore tuo: Quia in manu forti eduxit te Dominus ex Ægypto.* Levitici XX. 26. idcirco expresse dicitur: *Et separavi vos à populis ut exsisteretis mihi* in populum scilicet. Ezech. XX. versu 12. *Et insuper sabbatha mea dedi eis, ad existendum in signum in-*

ter

ter me & inter eos, ad sciendum quod ego Dominus sanctificans eos. versu 20. *Et sabbatha mea sanctificate, & erunt in signum inter me & inter vos, ad sciendum ego Dominus Deus vester.*

§. CCXXI.

2. Circumcisionem praecipue, qua totius Legis illius in placitis observatio suscipitur, non in se hominem sanctificare, sed spirituale quid significare, in omnibus illis locis inculcatur, ubi spiritualis circumcisionis, sive purificationis cordis mentio fit; dum phrasis circumcisionis corporalis transfertur ad illius mysterium significandum; ad exprimendum actionem aliquam spiritualem. *Et circumcidetis praeputium cordis vestri.* Deut. X, 16. *Circumcidite vos Domino, & auferte praeputia cordis vestri.* Jer. IV. 4. *Ecce incircumcisa auris eorum, & non poterunt attendere* Jer. VI. 10. Adde Cap. IX. 25. 26. Ubi Deus visitaturus dicitur omnes praeputiatos corde. Cum vero de uno ex praecipuis Ritibus ab ipso Deo detur significatio spiritualis, patet ejus explicationem ad alias etiam caerimonias transferri posse.

§. CCXXII.

3. Ratione significationis typicae, Sacrificiorum praecipue aliorumque rituum, res difficilior videtur. Postulant nimirum à nobis Judaei, ut ipsis ex Vet. Test. dictum aliquod proferamus, in quo expressis verbis extet caerimonias illas rerum futurarum gessisse typos. At cum 1. per demonstrata in se nec Deo placuerint, nec verum Dei cultum constituerint, nec viam hominem justificandi & à peccatis purgandi habuerint, oportet significaverint aliquid, cui vis illa

ab ipsa S. Scriptura tribuitur. Quia autem à nobis demonstratum est, solas Messiæ passiones ac mortem nostræ à peccatis illorumque pœna liberationis caussam esse, satis liquet, omnes illas cærimonias, quæ peccatorum expiationem repræsentabant, alium usum atque respectum non potuisse habere, quam præfigurare id quod revera nostra peccata auffert. 2. Cum porro Librorum N. Test. divina origo atque Auctoritas à nobis demonstrata sit (Proposit. VII. VIII. IX.), etiam pro hac veritate tuenda argumenta inde peti possunt; ubi Apostolus Paulus, ab incunabulis Legis illius cærimonialis tenacissimus, totum hoc mysterium evolvit & explicat; inprimis in Epistola ad Hebræos, ubi Doctrinam suam validissimis adstruit argumentis.

§. CCXXIII.

Quarta Thesis probanda est: *Quod cultus internus Christianis præscriptus, Deo non possit non magis placere, quam omnes illæ cærimoniæ olim observatæ non nisi corpore peractæ.* Cum enim cultus ritualis in se Deo non placuerit (§. 201 - 215.); nec ejus observatio hominem justificare possit (§. 217. 218); propterea nonnisi respectu ad alias res factus sit (§. 219 - 222.); & cum cultus internus in ipsa Dei hominisque natura fundatus sit, & externus ab eo dependeat (§. 202. 205. 207.): Sequitur, cultum Christianis præscriptum qui in Spiritu & Veritate fieri debet, Joh. IV. 23. & modo spirituali, Dei naturæ convenientissimo, versu 24. & in ipsis Dei perfectionibus (Matth. V. 48.), atque hominis à Deo dependentia (1. Cor. VI. 20.), fundatus sit, & plane rationalis esse debeat, sese non ad animi solum sed ad corporis

poris etiam actiones extendens Rom. XII. 1. 1. Cor. VI. 20. Sequitur *Cultum Christianis præscriptum omni cærimoniarum apparatui multum præferendum esse.*

§. CCXXIV.

Thesis *quinta* hæc est: *Deus rituum illorum abrogationem non una vice prædixit.* Cultum cærimonialem abrogari posse demonstratum à nobis (§. 206.) illum ex ipso divino instituto abrogandum esse nunc ostendendum. Expressis α. verbis id extat Jerem XXXI. 31. 32. 33. *Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ; quibus pangam cum domo Israëlis, & cum Domo Jehudæ fœdus novum Non secundum illud fœdus quod pepigeram cum majoribus eorum, qua die prehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti; nam ipsi irritum fecerunt fœdus meum, & ego conjugio junctus mansissem eis, dictum Jehovæ. Nam hoc illud fœdus, quod pangam cum Domo Israëlis post hos dies, dictum Jehovæ, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi Populus.* Unde Apostolus Paulus legitimam hancce infert conclusionem; *Dum novum dixit, prius antiquavit. Quod autem antiquatur & senescit, id est prope interitum,* Heb. VIII. 14. Indicatur ergo hisce Prophetæ verbis: Vetus illud fœdus cum Israëlitis pactum non ita fuisse comparatum, ut in eo desiderari nihil potuerit, hoc enim si fuisset, novum fœdus locum nullum habuisset, oportet ergo fœdus posterius perfectius sit illo, quod ad montem Sinai initum fuit. Deinde indicatur etiam quale posterius fœdus futurum sit, & quid sit illud in quo prius antecellat; hoc scilicet, quod ratio ejus plane spiritualis sit, quod non

consistat in carne, sed in spirituali divinorum præceptorum observantia atque cultu.

§. CCXXV.

β. Cultus cærimonialis partem præcipuam constituerunt sacrificia, de iis autem expresse dicitur abroganda esse à Messia. Dan. IX. 27. *Media septimana abolebit sacrificium & munus.* Adde Psalm. XL. 7. 8.

§. CCXXVI.

γ. Ad cultum illum Ritualem porro pertinebat, quod Hierosolymis in Templo debebat peragi, alio enim in loco sacrificare, adolere &c. minime licebat; sed & hæc cultus cærimonialis pars abroganda dicitur, Malach. I. 11. *Nam ab ortu solis usque ad occasum ejus, magnum erit nomen meum in gentibus: & omni loco suffimentum afferetur nomini meo, & munus purum: Quia maximum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova Exercituum.* Ex quibus apparet loci differentiam cessaturam, cui sacrificia olim erant alligata; unde etiam Jesajæ XIX. 19. dicitur: *Tempore illo erit Jehovæ altera in media terra Ægypti; & monumentum juxta terminum ejus Jehovæ.*

§. CCXXVII.

δ. Requirebat porro cultus cærimonialis ratio, ut ea quæ in Templo fieri debebant nonnisi à Sacerdotibus ex Aharonis familia & à Levitis peragerentur. Prædicitur autem Legem illam de Sacerdotibus Leviticis aliquo tempore amplius stare non posse, sed ab ipso Deo abrogandam esse, extat Jesajæ LXVI. 20. 21. *Et adducent ex omnibus gentibus munus Domino . . . Et etiam ex eis*

assu-

assumam in Sacerdotes, in Levitas: Dixit Jehova. Deinde, cum Messias debuerit esse Sacerdos, & quidem non ex Aharonis familia, sed secundum Melchisedeci ordinem, Psalm. CX. Sequitur cum ipso Messia Legis cærimonialis mutationem contingere debuisse. Confusio *denique* omnium tribuum populi Judaici satis indicat, impossibile plane esse, ut cultus ille juxta divinum institutum peragatur; ponamus enim Templum Hierosolymitanum aliquando reædificatum iri, non constare tamen potest, num adhuc ex Aharonis posteris supersit aliquis nec ne? aut ad quamnam tribum hic vel ille pertineat?

§. CCXXVIII.

Cum ergo Deus prædixerit, abolendum esse foedus illud carnale (§. 224.), ut & sacrificia (§. 225.) cum ordine Sacerdotali (§. 226.), tollendam insuper esse loci differentiam (§.227.) Sequitur, *falsa esse quæ Judæi dicunt: Nunquam scilicet Deum Legis cærimonialis abrogationem prædixisse.*

§. CCXXIX.

Thesis *sexta* hæc est: *Juxta ipsam Christianorum hypothesin Christus & Apostoli Legem illam observare potuerunt.* Christum quod attinet, *α.* Legi etiam cærimoniali subjici debuit, ut redimeret eos qui erant sub Lege, & hanc etiam Legem pro iis impleret; *sive ut viventes sub Vet. Test. à Legis execratione redimeret*, Gal. III. 13. *β.* Sacrificia, præcipuam Legis illius partem constituentia, ad Christi mortem usque, juxta Christianorum hypothesin, cessare non potuerunt, dum ipse in passionibus & morte sua & bonis per eam paratis fuit antitypus totius cultus illius; inde liquet

quod, licet Christus nunquam ipsemet sacrificaverit aliud quam corporis sui sacrificium, reliquas tamen cultus illius partes ante mortem suam observare & potuerit & debuerit. 7. Eo ergo quo Christus vivebat tempore animos hominum nonnisi præparare debuit ad tantam rerum mutationem, quod etiam fecit, negantibus id Judæis; Defendens enim Discipulos suos dum Sabbatho aliquo ante primitiarum oblationem spicas vellerent & iis vescerentur, Pharisæis non modo dixit: quod *si scirent, quid sit, pietatem malo, quam sacrificium, non damnassent insontes.* Sed *se majorem esse dixit templo, & filium hominis Dominum etiam Sabbathi esse perhibuit.* Matth. XII. 7. 8. Quo Christus indicavit, Jus etiam sibi esse de Templo Legis cærimonialis officina, de Sabbatho, adeoque de reliquis etiam cærimoniis disponendi. Alio etiam in loco ridigam illam Legis cærimonialis observationem refellit, dicens: *Non id quod in os intrat*, adeoque nec ciborum differentiam, quæ ad cultum cærimonialem spectabat, *coinquinat hominem, sed quod ex ore prodit, id coinquinat hominem.* Matth. XV. 11. Addit deinde, ea quæ ex hominis corde egrediuntur eum inquinare, *illotis vero manibus cibum capere non polluere hominem*, versu 20. Imo omnem loci differentiam cessaturam, omnemque cultum cærimonialem abolendum esse expressis prædicit verbis. Joh. IV. 19. 19-24. *Hic mulier: Domine, inquit ei, video te vatem esse. Majores nostris in hoc monte Deum coluerunt: Atqui vos dicitis, Hierosolymis esse locum, ubi sit colendus. Cui Jesus: Mulier, crede mihi, adventat hora, quum nec in hoc monte, nec Hierosolymis patrem coletis. Vos quid colatis nescitis: Nos quid cola-*

lamus, scimus; quipp quia salus a Judæis est. Sed adventat hora, & nunc est, quum veri cultores patrem spiritu & veritate colent. Etenim pater à talibus se coli postulat. Spiritus est Deus; & qui eum colunt; animo & vere debent colere.

§. CCXXX.

Christi discipulos quod spectat, illi α. Ante Christi mortem cærimonias observare obligati fuere, dum typorum periodus ad Christi mortem & resurrectionem usque nondum erat elapsa; nec cessare debuit, donec Ecclesia omnibus populis communis erigeretur. β. Licet cultus ritualis *de Jure* per Christi mortem debuisset esse abolitus; *de facto* tamen abrogatus non fuit, donec Templum Hierosolymitanum, cui cærimoniæ alligatæ erant, ipsa divina Providentia in cineres redactum atque dirutum fuit; unde Apostoli cum reliquis Judæis cultum illum ad ea usque tempora licitum ducebant, nec stante Templo opinio illa de cultus illius perennitate tam facile ex hominum animis erui potuit; sed prudeter hac in re Apostolis agendum fuit, ne ab una parte & ipsimet aliis, infirmis adhuc in fide Christiana, offendiculo essent; neve ab altera parte importuna ac intempestiva cærimoniarum abrogatione Evangeli progressui nocerent. γ. Quamprimum autem Deus voluit, ut obligatio ad Legem illam observandam cessaret, & ut Evangelium gentibus etiam prædicaretur, Deus id Apostolis revelavit, in specie Petro in visione illa Act. X. Imo Apostolis placuit non imponere jugum gentilibus, quod nec ipsi nec Patres sui portare potuerunt, Act. XV. 7. 11. Et post ea tempora prædicabant: *In Christo Jesu nec circum-*

cumcisionem quidquam valere, neque præputium, sed fidem per charitatem agentem. Gal. V. 6. *Oblitteratum esse placitorum Chirographum, id de medio sublatum, & cruci affixum.* Col. II. 14. Unde patet: *Et ipsum Christum* (§. 229.), *& discipulos ejus* (§. 230.), *cultum cærimonialem ad certum usque tempus observare debuisse.*

§. CCXXXI.

Septima denique Thesis Propositionis X. hæc fuit: *Vaticinia illa, quæ Judæi de sua in terram Cananæam reductione agere censent, hic pro perpetua Legis illius observatione plane nihil facere.* Communis nimirum est Judæorum opinio, se aliquando ex Captivitate præsenti, quam Romanam vocant, liberatum iri, ex omnibus Mundi plagis totum Judæorum Populum à Deo collectum, in Terram Cananæam reductum, ibique à Messia Templum novum cum omni cærimoniarum apparatu erectum ac restauratum iri, quod ipsum manifestum sit indicium Legem cærimonialem perpetuæ durationis esse. Huc trahunt loca Deut. XXVIII. XXIX. XXX. Esajæ XI. 10. 12. XXXIV. XXXV. XLIII. 1 - 6. LX. 10. 11. LXVI. 20. Ezech. XXXIX. 25. Licet vero ipsis concederemus, illos aliquando à præsentibus in quibus versantur calamitatibus liberatum, & in pristinam suam patriam restitutum iri; inde tamen minime sequitur, eandem cultus ritualis rationem futuram, qualis olim fuit; Nullum enim hæc opinio in S. Litteris fundamentum habet, dum ex iis probavimus, cultum illum cum Messiæ adventu abrogandum esse (§. 228.); Nititur autem Judæorum spes maxime Deuteronomii Capite XXX. quod de præsenti dispersione

&

& ex ea reductione agere dicunt. Nihil autem plane ibi deprehenditur, ex quo perpetua Legis cærimonialis duratio probari posset; potius enim cultus spiritualis loco corporalis substitutio promittitur; dicitur enim versu 6. *Et circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum, in toto corde tuo, & in tota anima tua, propter vitam tuam.* Circumcisio autem cordis nonnisi cultum spiritualem spectare potest; unde patet; qualis Israëlis in patriam suam reducti cultus futurus sit, loco scilicet circumcisionis ritualis erit spiritualis, in puritate cordis consistens. Si autem Moses addit versu 8. *Et tu reverteris & obedies voci Domini, & facies omnia præcepta ejus quæ ego præcipiens tibi hodie.* Legem etiam cærimonialem sub Præceptis hisce comprehensam esse minime sequitur; nam *primo* de præceptis non de statutis Moses loquitur. 2. Contra distinguitur pactum illud quod Moses in Terra Moab nomine Domini cum filiis Israël pepigit, ab eo quod Deus cum iis in Monte Horeb inivit. Cap. XXIX. 1. Hic vero Cap. XXX. 6. sermo fit de iis Præceptis, sive de eo fœdere quod hodie iis injunxit, quodque ergo ab iis differt, quæ Moses in Monte Sinai accepit; quæ præcipue in statutis illis cærimonialibus consistebant. 3. Denique ipsimet Judæi dicunt Messiam ipsos puros redditurum ab omni peccato purgatos; ad quid tum regnante Messia purgationes illæ legales? ad quid sacrificia pro peccatis, aliaque plura? nonnisi gratiarum actiones ipsi reddendæ erunt. Unde sequitur, quod licet Judæi aliquando à Messia in terram patriam reducendi essent, *minime tamen inde inferri possit, etiam cultum ritualem restitutum iri.*

Ex

§. CCXXXII.

Ex hisce omnibus quæ nunc probatum ivimus conſtat: Eam *Religionem, quæ in Libris Veteris Teſtamenti præcipitur*, *ei quam Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, minime contradicere, licet cultus divinus mutatus ſit, ſed maximum hic deprehendi conſenſum.* *Religio* nimirum *Chriſtiana* docet, verum Dei cultum non conſiſtere in externarum cærimoniarum rigida obſervatione, ſed in cultu maxime interno, quo ſpiritus magis, quam corpus, occupatus eſt. *Religio* vero *Judaica* & Vetus Teſtamentum docet: Externas cærimonias per ſe Deo non placere, nec veri divini cultus eſſentiam conſtituere (§. 204.), & cultui morali æquiparari minime poſſe (§. 212. 213.)

§. CCXXXIII.

Religio Chriſtiana docet, imo hoc centrum Religionis ſive Doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum efficit, quod homo ex nullis Legis operibus coram Deo juſtificari queat, ſed quod plane alia juſtificationis cauſſa quærenda ſit. *Religio Judaica*, qualem illam Libri Moſis deſcribunt, docet: Cærimonias externas à Moſe præſcriptas, nec eſſe poſſe, neceſſe juſtificationis noſtræ cauſſam, ſed plane aliam eſſe, (§. 218.). *Religionis* porro *Chriſtianæ* hæc Doctrina eſt, quod omnes cærimoniæ res ſpirituales repræſentent atque obſignent, ut relativæ tantum ſint; & pro variis rerum vel bonorum ſpiritualium circumſtantiis vel jam præſtitis, vel demum præſtandis mutandas eſſe propter varium quem habeant reſpectum. Ex *Doctrina* vero *Veteris Teſtamenti* ſequitur, quod is Legis cærimonialis fuerit uſus, ut res ſubliniores atque

quæ spirituales Judæis repræsentaret (§. 219-222.).

§. CCXXXIV.

Disciplina Christiana tradit, cultum illum, qui in spiritu & veritate consistere debet, qualem Christus Apostolique docuerunt, magis Deo placere, quam omnes illas cærimonias olim observatas nonnisi corpore peractas. Idem etiam ex Veteris Testamenti scriptis erui potest. *Docuit Christus Apostolique* & constans Christianorum Doctrina est, ex ipsa Dei intentione abrogandum fuisse cultum cærimonialem, tempusque ejus jamjam exspirasse. Ex *Libris* vero *Veteris Testamenti* constat, Deum rituum illorum abrogationem non una vice prædixisse (§. 224-228.).

Objectionum Præcipuarum Solutio.

§. CCXXXV.

Devenimus nunc ad *Objectionum*, quas Judæi contra Disciplinam Christianam afferunt, *solutionem*. Dum vero ea solum in systemate nostro pertractamus, quæ ad ipsam Religionis Essentiam atque centrum pertinent; eas propterea prætermittimus objectiones, quæ res minoris momenti spectant. Eum autem servabimus ordinem ut afferamus α. quæ Judæi habent contra Satisfactionis necessitatem: Deinde β. quæ contra Messiæ nostri Characteres atque Personam proferunt. Et γ. Ad ea respondebimus, quæ contra Librorum N. Test. divinam auctoritatem afferunt argumenta, eaque vel generalia vel specialia. Ad-

demus

demus denique nonnulla de Judæorum rejectionis caussa.

§. CCXXXVI.

Cum hoc omnium hæresium πρῶτιστον ψεῦδος sit, ut propriam erigant justitiam, neque miseriæ suæ magnitudinem agnoscant; etiam Judæi toti in eo sunt, ut per Legis observationem salventur; unde nec corruptionem hominis nativam, nec fidei in Messiam ad salutem necessitatem agnoscunt, adeoque nec Messiæ pro peccatis satisfactionis necessitatem admittunt. Contra nativam hominis miseriam ex Dei erga creaturas misericordia atque bonitate argumentantur; & *prima* illorum *objectio* hæc est: Deus maxima, quantacunque excogitari potest, erga creaturas suas gaudet Misericordia atque pietate sive gratia; unde impossibile sit, ut Deus tantam erga genus humanum exerceat severitatem, ut illud propter rem exiguam, qualis Adami peccatum fuerit, non in hoc solum sed in futuro etiam sæculo perderet, neque in gratiam reciperet pœnitentes.

Ita nimirum objicit *Auctor Nizachon*, apud MUNSTERUM, in Evangelium Matthæi pag. 125. *Interroga*, inquit, *hæreticum*, *numquid vos creditis*, *quod Dominus impertit misericordias omnibus creaturis suis*, *& omnes proprietates ejus sunt pietas & veritas erga creaturas suas? In fiducia harum proprietatum accedimus quotidie ante conspectum ejus*, *quemadmodum ait David: Miserere mei Deus secundum pietatem tuam: Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas. Præterea dicit Dominus: Quoniam non desidero mortem mori-*

morientis, sed ut convertatur à viis suis & vivat: & vos quoque creditis quod in magnitudine miserationum suarum sit extensa manus ejus ut suscipiat pœnitentes. Id si ita est, quomodo ascendit super cor vestrum, quod venerit Dominus cum tanta severitate contra primum hominem, ut illum vinctum teneret propter rem exiguam, nempe propter morsum pomi unius, illumque perderet in hoc sæculo atque in futuro, & non ipsum tantum, sed & omnes posteros ejus: qui tamen errans hoc fecit, cum non fuerit adhuc in eo cognitio, sicut dicitur: Et aperti sunt oculi amborum & cognoverunt quod nudi essent. Hæc autem apertio fuit in oculo sapientiæ. Quin in occisione Habel, fuit transgressio illa mille partibus major quam ista, & tamen non annectitur illi pœna tanta.

§. CCXXXVII.

Respondemus α. Omnino magnam esse Dei erga Genus humanum commiserationem atque ineffabilem ejus Gratiam ac Bonitatem; hoc enim nisi statueremus, non possemus docere, quod Deus, ne homines in æternum pereant, Filium suum in mundum miserit, ut ipsos ab æterna morte redimeret. *β.* Deum vero esse Justissimum, ut Justitia punitiva ipsi sit essentialis & absolute necessaria, demonstratum à nobis fuit (Cap. III. §. 565-648.); Et Deum nihil facere posse, nisi respectu habito totius essentiæ suæ, hoc est, omnium Attributorum suorum, probavimus (Cap. III. §. 640.); Unde sequitur, quod Deus respectu peccatoris nihil facere possit, solius Misericordiæ suæ ratione habita, sed oportet non minus etiam Justitiam ac Sapientiam suam

respiciat. Patet ergo ex solo aliquo divino Attributo, à reliquis Perfectionibus abstracto, argumenta desumi non posse; sed omnia divina Attributa simul consideranda esse; hoc est, tota divinitatis Essentia in omnibus rebus respicienda est. Hic forsan excipi posset sola Sapientia, quæ universorum divinorum Attributorum quasi Regula est; sed eo ipso omnes reliquas Perfectiones complectitur, & propterea nec ex divina Sapientia quidquam probari potest, nisi & omnia reliqua Attributa simul consideres. Patet ergo Judæi argumentum nullum esse quod ex sola Dei commiseratione desumitur.

§. CCXXXVIII.

γ. Quæritur autem hic de peccati Adamici gravitate, an tam severe Deus in illud animadvertere potuerit, ut pœna illud æterna dignum fuerit? quod Adversarius extenuat *remque exiguam* appellat, quodque tanti non fuerit, ut propterea Adamus cum posteris in æternum perderetur. At tenendum 1. Peccati gravitatem non ex actionis modo in se spectato æstimandam esse, sed ex inobedientia voluntaria, qua Adamus Legem divinam prævaricatus est, quæ major fuit, quoniam primus noster parens scivit, Deum arbitrario hoc Præcepto illius obedientiam experiri velle; Ipsi autem scire sufficere debuit, hanc summi Legislatoris esse voluntatem, eamque esse sapientissimam, licet caussas ignoraverit, cur potius hanc quam aliam tulerit legem, quæ majoris momenti videretur. Non possumus hic quin ipsis Judæorum armis utamur, eruditique apud LIMBORCHIUM Judæi verba apponamus, quibus

bus momentum observationis Legis cærimonialis contra nos probare vult, quæ autem ita comparata sunt, ut ad probandam etiam Peccati Adamici gravitatem eximie faciant: extant Quæsito III. Num. XI. pag. 199. *Respondeo*, inquit, *quod Lex ritualis ex legislatoris arbitrio duntaxat pendet, aliquando, vel in plurimum nullo fundamento in naturali ratione invento: sed non ob id inferiorem perfectionis gradum obtinet supposita Legislatoris infinita Sapientia, & Bonitate: altioris potius, & sublimioris ordinis censeri debet: siquidem supposita, quod summe bonus, & sapiens Deus vanas & ineptas Leges homini præscribere nequit; quantum nobis earum ratio magis abdita, tantum ad divinæ Sapientiæ secretum magis pertinere, oportet credamus: quod nobis nec curiose, nec philosophice scrutari licet, sed obedienter ejus imperio subjici, quo nostrorum amorem, & debitam reverentiam summo Creatori præstemus: omnia quæ nobis observanda proponit, sua infinita sapientia digna, valde bona, & perfectissima, toto corde credentes: sive ea possit, si vellet, dispensare, sive pro aliqua occasione intermittere: & insignioris est obedientiæ ea observare, quam quæ à Deo etiam imperata in ratione nostra fundata invenimus: ista siquidem, etiamsi Deus non jussit, homines scirent, & observare possent, ut plurimi ex gentibus nullo ad Deum habito respectu fecerunt.* Si nunc interdictum illud, de pomo non comedendo, substituam, nescio quid melius hic dici posset quam quæ Judæus hic eruditus dixit, quæ rem eximie explicant, & ostendunt, quantopere Adamus ad servandam illam Legem obligatus fuerat, & quam grave fuerit crimen quod commisit.

In hac responsione studio paulo prolixiores fuimus, dum non modo Judæi, sed & alii Adversarii nostri,

qui generis humani corruptionem extenuant, hoc argumento utuntur; nec non illi etiam qui Religionem revelatam parum curæ cordique habent: iis parum sapiens videtur præceptum illud de non comedendo fructu, neque illius transgressionem tanti momenti esse posse arbitrantur, ut propterea Adamus in perpetuum infelix esse deberet, omnia autem quæcunque hac de re afferri possunt, ex hisce, quæ ex Judæo attulimus, verbis solvi facillime possunt.

§. CCXXXIX.

*. At nunc difficultas remanet, quomodo & Adami posteri, salva divina Justitia, hoc peccato infici & infelices potuerint reddi? sed cum Adamus generis humani caput fuerit constitutus, ut in ipso omnes confœderati fuerint consummatique, sequitur & omnes etiam posteros ejus lapsu fuisse comprehensos involutosque. Peccati autem primi propagatio & imputatio à nobis demonstrata est (Cap. III. §. 852 - 857.). Cæterum, uti jam alibi monuimus, Judæi peccati pœnam in ipsis etiam modo natis infantibus statim morientibus admittere tenentur, ubi vero est pœna, ibi etiam peccatum adsit oportet.

Juvat adhuc adducere ipsorummet Judæorum hac de Doctrina testimonia. Ita enim SAL. JARCHI ad Gemaram Cod. Schabbath. fol. 142. pag. 2. *Et hæc non tantum ad peccatores referenda est: quia in omnibus maledictionibus primi hominis omnes ejus generationes conveniunt.* Et JOSEPHUS GORIONIDES, Lib. I. Cap. XIV. *Adamum denique*, inquit, *omnium habitatorum terræ partem seduxit uxor ejus, ut transgrederetur præceptum Dei sui, quare ipsi & posteris ejus post eum mors incumbit.* Et

ME-

MENASSE BEN ISRAEL, in Præfat. de Fragil. hum. dicit: *Ostendere erat animus, quo pacto primus omnium parens, amissa, quam ante habuerat, justitia, posteritatem in sui generaret consortium supplicii.* Et MUNSTERUS ad Evang. Matthæi ex Lib. Fascic. Myrrhæ sequentia verba affert, pag. 126. *Dixit Dominus ben. homini primo cum malediceret ei: spinam & tribulum germinabit tibi, & comedes herbam agri: Vult id, quod propter peccatum ejus omnes nati ab eo fiunt impii & dura fronte, similes spinis & tribulis, juxta verbum illud Domini, loquentis ad Prophetam, spina & irritatores tecum sunt, & cum scorpionibus habitas. Et totum istud est à serpente, qui fuit Diabolus Sammaël, qui emisit venenum mortiferum & corruptivum in Evam, causamque præstitit mortis ipsi Adam, dum comederet fructum.* Egregius etiam est locus quem habet JOSEPHUS DE VOISIN, in Martinum Raymundum, pag. 471. magistri MENACHEM RAKANATENSIS, Sect. Bereschit, ex Midrasch Tehillim, citante HOORNEBECKIO contra Judæos Lib. IV. Cap. II. pag. 354. qui ita habet: *Non est mirum cur peccatum Adami & Evæ exaratum sit, & sit signatum annulo regis ad generationes sequentes prapagandum: quia quo die creatus est Adam, absoluta sunt omnia: ita ut ipse extiterit perfectio & complementum totius mundani opificii; sic quando ille peccavit, totus mundus peccavit, cujus peccatum nos portamus & patimur. Quod non ita se habet in peccatis posteritatis ejus.*

§. CCXL.

Objectio secunda inde desumta est, quod primum Adami peccatum nonnisi hominum corpori imputari possit, tam *immediate* quam *mediate*, cum nonnisi corpora nostra ab Adamo originem suam ducunt, anima autem cujusvis hominis immediate à Deo creetur; unde nonnisi ea hominis pars peccati Adami particeps esse possit, quæ ab ipso orta sit, per consequens nonnisi Corpus. Cum vero proprie anima ceu rationalis pars peccet, & ei lex præscripta sit, sequi contendunt Corpus nonnisi dependenter ab anima peccare; quoniam autem quælibet anima immediate à Deo creatur, patere quod nec anima, adeoque nec integer homo, peccati Adamici participes esse queat.

Argumentum hoc hisce verbis exprimit Judæus in amica disputatione, pag. 26. *Judai*, inquit, *peccatum originis negant, idque gravissimis de caussis. Nam locus peccati in animo solum consistit, omnesque animæ originem suam ducunt non ex Adamo, sed ex Deo Creatore, unde sequitur, animas posterorum Adami non potuisse peccare. Peccatum in anima consistere patet, etenim illud vitium seu delictum per animam vel intellectum perpetratur. Et Scriptura aperte dicit, Anima ista exscindetur & peccatum ejus in ea. Hinc jam perspici potest peccatum in anima consistere. Animas similiter à Deo creari absque ullo medio, testatur Esajas: Spiritus à me illigatur, & animas ego feci. Idem Ezechiel confirmat dicens: Omnes animæ meæ sunt, tam anima patris quam filii meæ sunt. Anima quæ peccavit morietur. Hinc ergo consequentia certa est ac evidens, animas posterorum Adami in ipso*

non

non potuisse peccare, omne genus humanum nasci obnoxium pœnis peccato Adami debitis, quæ cum omnes corporales existant, ad omnes etiam liberos ejus secundum Corpus attinent, quatenus corporales ejus liberi sunt. Quemadmodum si quis in servitutem mancipetur, omnes illius liberi servi fiunt, utpote ex patre servo prognati.

§. CCXLI.

Communis autem hæc omnium illorum Objectio est, qui nativam corruptionem inficiantur. Argumentum illorum vulgo ita formatur: Aut anima cujusvis hominis à Deo creatur pura, aut impura: posterius dici nequit, cum à Deo omnis boni auctore & qui ipse lux est, peccaminosi quidquam aut tenebræ prodire nequeant; oportet ergo verum sit prius, quod anima pura à Deo creetur; si autem hoc sit, sequitur hominem, saltem quoad animam, natura non esse corruptum.

§. CCXLII.

Respondemus α. concedendo *&* animas immediate à Deo creari, cum contrarium hactenus sufficienter probari nondum potuerit; *&* proprie animas id esse in quo peccatum habitat, siquidem si homo creatura rationalis non esset, etiam peccare non posset. Sed *β.* observandum hoc est, quod anima à Deo non extra corpus creetur, sed in ipso hominis corpore; sive ut magis philosophice loquar, cum corpore in primo existentiæ suæ momento conjuncta; Ut adeo eodem quo creatur momento unum aliquod suppositum, individuum & Personam cum corpore constituat; ut anima nunquam ceu sejunctim à

cor-

corpore existens considerari possit; Eoipso ergo quo creatur, Adami Filium vel Sobolem cum Corpore constituit, & per consequens, justo Dei judicio, integra Persona ad imaginem Adami efformata existit. Ita ergo Deus salva sua sanctitate, & justitia id requirente, hominem, citra culpam suam, non talem facit, qualem eum ab initio ad imaginem suam formaverat, non addens ipsi justitiam illam primitivam. Negat ergo Deus homini quod ipsi reddere non tenetur, quia anima eoipso quo creatur momento Adami sobolem cum Corpore constituit, quam Deus imagine sua exornare nequit. Si igitur anima in creationis suæ momento singularis esset Persona, argumentum hoc valeret, quoniam vero Corpus & Anima, quam primum existit, unicam efficiant Personam, Adami filium, Objectio hæc nihil valet.

§. CCXLIII.

Contra *Necessitatem Satisfactionis* per Messiam præstandæ, & fidei in ipsum collocandæ Judæi non præcipue urgent *Argumentum*, quæ *nova Objectio* est, quod in integro Veteri Testamento nunquam talis in Messiam præcipiatur fides, qualem nos statuimus, per quam nimirum peccatorum remissionem consequi possimus; sed contra, Deum nonnisi Legis tam moralis quam cærimonialis perfectam observationem requirere contendunt, si in terra sua prospere agere velint; nulla fidei in Christum facta mentione, si peccatorum condonationem obtinere velimus. Imo præceptum fidei huic divino Mandato contrarium plane esse asserunt; cum fides totam in reconciliatione cum Deo excludat Legem, ut nullus plane illius usus sit.

Ita

Ita nimirum Judæus apud LIMBORCHIUM ratiocinatur, Quæsito II. Num. II. pag. 163. *Respondeo*, inquit, *quod quamvis Deus sæpe dixerit nonnisi per pœnitentiam posse Populum ad Deum reverti; nunquam ei pœnitentiæ talem circumstantiam addidit de fide in Messiam; potius ea quæ cum fide in vestrum Messiam erant incompatibilia: videlicet, quod quando servaret omnia præcepta, Judicia & cærimonias scriptas in lege; Deus erit ejus misertùrus: cum vero fides in Christum totam hanc legem, præter moralia, inutilem, vanam, non ad salutem observandam, prædicet, incompatibilis est cum ea pœnitentia à Deo Israëli, in lege præscripta. Et siquidem Prophetiæ erant usque ad Messiam, sat congruum divinæ bonitati erat, ut ejus adventum Israël ut unicum ad suæ salutis medium agnosceret; ut ejus extrema ruina vitaretur.* Hæc præcipua Judæorum, quam contra Disciplinam Christianam movent, difficultas est; Eum nimirum, uti ab initio hujus capitis vidimus, hæc Judæorum *primaria hypothesis* sive Error primarius sit, quod ex legis observatione justitiam suam quærunt, etiam hoc maxime contra Christianos urgent, quod homo non per fidem in Messiam, sed per Legum divinarum operationem salvus & cum Deo reconciliatus fieri queat, quam propterea S. Scriptura Veteris Testamenti solam, nulla fidei in Messiam mentione facta, Israëli injungat, ipsique legem servanti promissionem addat. Iterum ergo patet hoc proprie centrum totius cum Judæis disputationis esse, quo reliqua omnia tendunt. Unde Judæus eruditus ille apud LIMBORCHIUM, disputaturus hic incipit, & quæstionem de fidei in Messiam Necessitate ejusque præcepto nullibi dato omnis disputationis fundamentum ponit; unde scriptum suum primum ita inchoat: „Cum fides in Messiam redemtorem „futurum non minus necessaria fuerit à Mundi exor-

„dio, quam in Deum Creatorem; imo magis, „quia non potest esse fides in Messiam, quin sup„ponatur Deus; maxime in Deum absque Messia: „quæritur quare Deus fidem in seipsum sæpissime & „clarissime Israëli commendaverit in universo Vetere „Testamento, & fidem in Messiam nunquam com„mendaverit, in qua consistebat tota salus? Quod „si fecit petitur 1. *Ut assignetur locus aliquis, „in quo Deus mandaverit, aut dixerit expresse, „quod fides in Messiam est absolute necessaria ad „salutem generis humani, adeo ut qui non cre„diderit damnandus esset.* Huic quæstioni addit: „Suscitabo Prophetam sicut te: non satisfacit: „quia vel loquitur de Josua, vel de successuris Pro„phetis; ut explicat Johannes Calvinus ad oratio„nem Stephani Martyris. 2. *Ut assignetur locus, „in quo Deus dixerit, quod unicum medium ad „salutem Israëlis, & restitutionis in divinam „gratiam, est fides in Messiam jam adventum.* „Addit: Medium unicum pro restituendo Israële „ab hac captivitate in divinam gratiam clare dici„tur à Deo Deut. XXX. usque ad versum 10. & „Cap XXVIII. versu 1. 3. *Ut assignetur locus, „in quo Deus dixerit, quod Israël propter infi„delitatem in Messiam erat deperdendus, & „abjiciendus in nationibus, ut non sit amplius „populus Dei, sed in æternum damnandus do„nec Messiam adventum non crediderit.* Addit: „Causa extremæ ruinæ & abjectionis Israëlis, & „præsentis captivitatis, in sententia Doctorum Chri„stianorum, assignatur à Deo Deuter. cap. XXVIII. 15. „4. *Tandem assignetur locus, in quo dixit Deus „omnia legalia, præter moralia, fuisse umbram, „seu figuram futurorum in adventu Messiæ, & „quod fere omnia, quæ & in divina lege, & in „Prophetis fuere revelata, mystice & tropologi„ce explicare liceat, quantumvis sensus literalis* omni-

„*omnino despiciatur.* Hisce adjungit: Si lex di-
„vina & Prophetæ pro majore parte mystice de-
„berent intelligi, neque essent scitu faciles, neque
„Israël ita exactus rhetoricus, ut intelligere posset,
„quæ ad sui salutem intelligere oporteret. Opposi-
„tum dixit Deus Deut. XXX. 11. & sequentibus.
„Concludit tandem: *Non quæritur, an Deus*
„*promiserit Messiam, sed, an præter eam, quæ*
„*debetur ex præcepto divino cæteris Prophetis,*
„*fidem in Messiam commendaverit, & in ea*
„*hominis salutem consistere, Israëlem docuerit.*
Apparet ex hisce, quænam sit magna illa quæstio inter nos & Judæos agitata, in qua tota versatur controversia. An nimirum exclusis in justificatione operibus homo per solam fidem in Messiam justitiam obtinere & salvus fieri queat?

§. CCXLIV.

Ordine nunc ad *Objectionem* hanc *respondebimus.* α. hoc tenendum, falsum esse quod Adversarius dicit, ex Christianorum mente Legis cærimonialis observationem plane fuisse inutilem, ut respectu fidei nullus plane illius fuerit usus. Hoc equidem verum est, quod juxta Doctrinam Christianam nec Legis observatio fidem constituat, nec ex ea, scil. Lege, quisquam salvari possit; sed tamen fideles Veteris Testamenti recta Legis hujus observatione fidem suam in futurum Messiam testatam dabant, dum ex hypothesi Christiana cærimoniæ illæ omnes relationem aliquam ad Christum habuerint, nec sine fide in eum debito modo potuerunt peragi: Nemo ergo, tunc temporis vivens, credens in futurum Messiam ritus illos potuit omittere, nec quisquam eos observans, eo quo Deus præcepit modo, non credidit in Christum unicam justitiam suam.

β. Et

§. CCXLV.

β. Et hoc observandum, quod jam demonstravimus, neminem hominum propria salvari posse justitia (per Propos. I. cum homo per se nullam bonam edere potest actionem); neque homo ipsemet divinæ justitiæ satisfacere potest (per Prop. III.); Unde opus fuit Liberatore alio, qui Deus & homo simul esset (Propos. V.). Nec etiam per Legis cærimonialis observationem homo salvari potest, dum cærimoniæ illæ in se Deo non placeant (§. 210. 211. 212.); Sequitur hominem aliter salvari non posse quam per Liberatorem sive Messiam promissum.

§. CCXLVI.

γ. At postulant Adversarii, ut ipsis in Vet. Test. assignetur locus, in quo fides in Messiam Israëli fuerit præcepta ceu Medium ad Salutem absolute necessarium, ut qui in Messiam non crediderit damnandus sit, & quod fides illa sit unicum medium restitutionis Israëlis, & contra infidelitas in Messiam perditionis ejus caussa sit. Probabimus autem 1, Dictum illud quod Adversarius respuit de Messia agere. 2. Alia adhuc extare dicta clarissima, quæ fidem in Messiam absolute necessariam inculcant, infidelitatem contra omnis exitii causam indicant. Quoad dictum Deut. XVIII. 15. 18. Per *Prophetam* illum promissum non intelligendum esse Josuam inde patet, quia licet Josua Mosis successor fuerit ratione regiminis, non tamen fuit Propheta, minus adhuc modo tam excellenti ita nominatus, & Deus non tam insigni modo per eum loquutus est ut per Mosen, & uti per Prophetam hunc loquuturus dicitur. Nec porro alius, quiscunque

que sit, potest intelligi Propheta, quam Messias, dum Mosi similis futurus dicitur; cum Mose vero nullus unquam Prophetarum Veteris Testamenti æquiparari potuit, unde de eo asseritur: *Non surrexit Propheta ultra in Israël sicut Moseh, quem nosset eum Dominus facie ad faciem, in omnibus signis & portentis, quæ fecit Moseh in oculis totius Israëlis.* Deut. XXXIV. 10. 11. 12. Propheta etiam hic promissus Mosis adinstar medias debuit agere partes inter Deum & Israëlem: versu 16. 17. quod verum Messiæ, non vero Josuæ aut Prophetarum, officium fuit. Cæterum veteres etiam Judæi dictum hoc de Messia explicarunt, unde Apostoli ad hoc ceu rem notissimam provocant. Act. III. 22. 23. VII. 37. In Vatem autem hunc Messiam ut Israël credat, sive ut ipsi obediat præcipitur, cum gravissima hac interminatione, *ut qui ipsi non obediverit ex Populo exscindendus sit.*

§. CCXLVII.

Sed si hoc Adversariis non sufficit dictum, tria alia afferamus, quæ omnia ea probant, quæ eruditus Judæus poscit: *Primum* extat Psalmo II. 6 - 12. *Et ego constitui regem meum super Sion, montem sanctitatis meæ; narrabo ipsum statutum, Dominus dixit ad me, Filius meus tu, ego hodie genui te, . . . Servite Domino in timore, & exultate in tremore, osculamini filium ne forte irascatur, & pereatis via, cum exarserit vel paululum ejus nasus: Beati omnes confidentes in eo.* Hic sermo fit de Rege constituto in Monte Sanctitatis, qui vocatur Filius Dei, quem honorare debeant Reges terræ, qui perditurus sit omnes honorem ipsi detrectantes, salvaturus contra omnes in ipso confidentes.

Hunc

Hunc Psalmum de Messia explicandum esse nemo olim Judæorum dubitavit; de multis id statuentibus probavit MICHAELIS in annotationibus uberioribus in Psalmos pag. 21.

Celeb. REINBECKIUS Betrachtungen über die Augspurgische Confession Tom. III. Betracht. XXXIX. §. VIII. pag. 75. ita de Judæorum hujus Psalmi explicatione habet: *Zwar pflegen die neueren Juden den zweyten Psalm vom David zu erklæren, dass aber ihre Vorfahren eine ganz andere Erklærung davon gemacht haben, bekennen sie selbst. Denn in einem geschriebenen Buch, welches* Rabbi Salomo *verfertiget hat, und auf der Erfurtischen Bibliothec aufbehalten wird, finden sich bey Erklærung des zweyten Psalms, wie ich solches mit eigenen Augen gelesen habe, folgende Worte:* Unsere Rabbinen gottseliger Gedæchtnis, haben diesen Psalm vom Messia erklæret; damit wir aber den Ketzern, (*das ist den Christen*) desto besser begegnen können, so finden wir für gut, ihn lieber vom David selbst zu erklæren. *Welche Worte in der gedruckten Auslegung dieses* Rabbi Salomo, *welche in der bekannten Buxtorffischen Bibel befindlich ist, theils ausgelassen, theils verændert worden sind.*

§. CCXLVIII.

Alterum dictum, in quo fides in Messiam expresse præcipitur, infidelibus autem interitus prædicitur, & quod ipsimet Judæi de Messia interpretantur extat Jesajæ VIII. 14. coll. cum Jesajæ XXVIII. 16. Prior locus ita habet: *Dominum exercituum ipsum sanctificabitis & ipse timor vester, & ipse*

ipse pavor vester. Et erit in sanctuarium, & in lapidem percussionis, & in petram offensionis duabus domibus Israël, in laqueum & in rete habitanti in Jerusalaim, & impingent in his plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur, & capientur. Posteriori loco de eodem lapide sermo fit: *Idcirco sic dixit Dominus Jehova: Ecce ego fundator in Sion lapidis, lapidis munitionis, anguli pretiosi, fundamenti fundati, credens non festinabit.* De eodem etiam lapide loquitur Psalmista, dicens: *Lapidem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli, à Domino fuit istud, & est mirabile in oculis nostris.* Psal. CXVIII. 22. 23. In dictis hisce sequentes præcipue continentur veritates. α. Messiam à Deo Ecclesiæ suæ fundamentum esse factum. β. Ipsum à Populi primoribus, quorum cura Ecclesiæ ædificatio esse debuisset, rejectum iri. γ. Ipsum multis lapidem offensionis futurum. δ. Propter ejus contemtum multos perditum & contritum iri. ε. Per fidem autem in eum salutem dari. Aut fallor admodum, aut omnia hic continentur, quæ Adversarius de probatione Necessitatis fidei in Messiam postulat.

§. CCXLIX.

Tertius locus habetur Mal. III. 1. & IV. 2. *Ecce mittens ego angelum meum & præparabit viam ante faciem meam & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & angelus fœderis quem vos vultis.* Cap. IV. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol Justitiæ, & sanitas in alis ejus, & egrediemini & crescetis sicut vituli saginati.* Additur deinde: *Ecce ego mittens vobis Eliam Prophetam antequam veniat Dies Domini magnus & terribilis.* Hic de diebus Messiæ sermonem esse confitentur Judæi

dæi fere omnes, exceptis forsan iis qui cum Christianis controversias habent. Dicitur autem sub alis Solis Justitiæ reperiri Salutem, sive in Messiæ communione, quæ fit per fidem, omnis promittitur salus, per consequens extra ipsius communionem non datur Salus.

§. CCL.

Petit denique Adversarius ut ipsi locus assignetur, in quo Populus Israëliticus edoctus fuerit, totum illum cærimonialem apparatum nonnisi Typum, umbram seu figuram esse Messiæ & Bonorum per ipsum adducendorum. At ut hoc fieret opus non fuit; siquidem Populus, si modo voluisset, id, ex iis quæ Deus illum de cærimoniis hisce docuerat, facile concludere poterat. Sciebat nimirum Israël vel saltem scire potuit; externas cærimonias per se Deo non placere, nec veri divini cultus partem constituere (§. 204.); idque ipsi notum esse poterat ex expressis Scripturæ verbis (§. 211.); Neque ipsi ignotum esse debebat, quod lex cærimonialis peccatis expiandis, hominique justificando fuerit insufficiens atque ad hoc in se inutilis (§. 216.); quod S. Scriptura clarissime docet (§. 217.); scire porro poterant remissionem peccatorum eorumque expiationem non sacrificiis, sed Messiæ adscribi (§. 218.); Ipsis etiam patefactum erat, tam circumcisionem, quam sacrificia res sublimiores & spirituales significare (§. 221. 222.); Neque rituum illorum abrogatio cum Messiæ adventu conjuncta Judæis potuit esse ignota (§. 224 - 228.): Unde concludere facile poterant, hæc omnia ad Christum suam habere relationem, adeoque illius Typum gerere.

Ex

§. CCLI.

Eæ nunc ſequuntur *Objectiones*, quæ contra Meſſiam noſtrum afferuntur; & tum contra *Tempus nativitatis* ipſius, tum contra *Locum* & *Perſonam*, tum denique contra *Munus*, *Miracula* & *Satisfactionem* ejus moventur. *Primo* quidem in genere *Argumentum generale* aliquod contra Chriſtum urgent, inde deſumtum, quod Deus in ejus per Prophetas deſcriptione talibus uti debuiſſet phraſibus, quas Iſraël non in contrarium ſenſum potuiſſet intelligere, quod factum minime fuiſſet, ſi Deus clariſſimis prædixiſſet verbis Meſſiam futurum eſſe Jeſum Nazarenum, hominem humili loco natum atque pauperrimum, qui in cruce moriturus & tertio die reſurrecturus ſit, deinde conſpicientibus omnibus Judæis in cœlum aſcenſurus.

„Hanc objectionem format Judæus ille apud LIMBORCIUM Quæſito I. Num. XIII. pag. 116. Sed „ratio, inquit, naturalis cogit credere, quod Deus „ſumme verax non talibus phraſibus locutus fuit in „iis quæ promiſit, quas poſtea Iſraël in alienum ſen„ſum, atque contrarium, accipere teneretur; vel in „æternam damnationem abire phraſibus iis juxta na„turalem ſenſum intellectis . . . Ita quamvis ſciret „(Populus) redemtionem ſpiritualem futuram, le„gem non derelinqueret, neque animo deficeret, „quia nemo Judæorum ſervat, nec aliquando legem „ſervavit propter Meſſiam aut futuram redemtionem; „ſed propter vitam æternam conſequendam Non „igitur eſſet inconveniens, quod Deus Meſſiæ re„gnum cœleſte prædiceret, quod moriturus & reſur„recturus erat, in cœlumque Judæis videntibus evo„laturus, ubi thronum Davidis divinitus collacatu„rus: Quod omnes gentes tunc Iſraëli erant adjun„gendi, ut eundem Deum Iſraëlis colerent, Legis „Moſis abditis arcanis per Meſſiam, & ejus Prophe„tas plurimis inauditis Miraculis patefactis: An talis

„Israëlis animos in, vel extra afflictiones dejiceret? „Profecto in divina lege, & Dei Amore, & spe „confirmaret. Quod si non obstante clara istius ne„gotii prædictione à Romanis, vel aliis Hierosolymæ „crucifigeretur, (ut fuit), sui Messiæ mortem Israël „lamentaretur, ut Mosis mortem, & inter cæteras „quas passus fuerat calamitates hæc major ab eo pu„taretur: Fidem haberet, quam vos habetis, crede„ret suum Messiam ut creditis; neque infidelitas in „caussa foret ut regnum terrenum Israëlis Dominus „destrueret. . . . . Præterea nonne plurima ex istis „fuerunt etiam à Divinis Prophetis Israëli revelata? „Quod Adonay *futurus erat unus*, *& nomen „ejus unum omnibus gentibus*, *quod omnes ventu„ræ erant Hierosolymam in nomine Adonay: Quod „omnes venturæ erant de Sabbatho in Sabbathum, „de Novilunio in Novilunium Deum Jabacob ado„ratum, & singulis annis ut festum tabernaculo„rum cum Populo Dei celebrarent, idololatria pe„nitus exstincta.* Si hæc omnia à Deo concedenda „exspectamus, non sine Messiæ interventione in ter„ra, quid inconveniebat prædixisse Messiam jam in „cœlo collocatum, ut Dei Instrumentum, hæc & su„blimiora effecturum? Sicuti Angelus ille qui Is„raëlem per desertum ducebat. . . . . Sed cum id „Deus nullatenus per Prophetas prædixerit; potius „littera oppositum significaverit, ideo non credidere „Judæi, & se hac arte à divina lege recedere, eam„que contemnere putabant, si crederent.

§. CCLII.

Ad quam objectionem *respondemus*, falli Virum Doctum, dum arbitratur, omnia quæ Messiam nostrum spectant, in Prophetarum oraculis non satis clare fuisse depicta, ut ex iis agnosci potuerit; contrarium Propositione V. probavimus, ubi Jesu Nazareno Messiæ nostro omnia veri Liberatoris criteria à Prophetis olim delineata competere demonstratum dedimus. Quod patet

patet tum ex fine adventus ipsius & muneris ratione (§. 110. 116.); ex criteriis personæ illius, tum ratione præcursoris (§. 119.); tum ratione temporis adventus (§. 120-129.); tum respectu generis & prosapiæ (§ 130. 131.); Et Loci nativitatis (§. 132-135.); Et modi miraculosi nativitatis ejus (§. 136.); Nec non respectu muneris illius tam Prophetici, quam Sacerdotalis & Regii (§. 137-158.); Ubi simul demonstratur ipsum debuisse mori & pati; juxta ipsa Prophetarum Oracula, Regnumque ejus debuisse esse non de hoc mundo, sed plane spirituale. Ex quibus omnibus clarissime patet, omnia ita fuisse prædicta, qualia in Jesu Nazareno completa fuisse nos Christiani docemus. Si autem Judæi veritatem videre aut nolint aut non possint, hoc propriæ culpæ, minime vero Divinorum oraculorum obscuritati, adscribendum est. Si enim Revelatio ita deberet esse comparata, ut incredulus nihil amplius haberet quod exciperet, nullus revelationum & miraculorum foret finis; & Deus hominum petulantiæ & pervicaciæ quotidie adhuc novis miraculis atque revelationibus inservire deberet; semper aliquid restaret de quo infidelis diceret, si Deus hac aut illa ratione sese explicasset, si hoc aut illud prædixisset, ego tunc crederem; & quod uni satisfaceret; alteri non satisfaceret; & quod hic hac ratione habere vellet, alter aliter optaret; adeo ut Deus singulis sese personis accommodare deberet, ut quot sunt homines tot deberent esse differentes Revelationis modi; semper enim clariora adhuc requiri possent vaticinia, quamcunque ea quæ extant perspicua sint. Si autem nulla iis quæ in

Veteri Testamento extant inesset claritas, ut Jesu Nazareno summo jure applicari possint, qui quæso fieri potuit, ut tot hominum, omnis generis Scientiarum atque Disciplinarum peritissimorum, myriades, qui cæca fide atque Auctoritatis præjudiciis duci se non patiuntur, omnia Prophetarum de Messia Oracula in Jesu Nazareno impleta inveniunt? Si vero vaticinia illa sint obscura, si ea quæ Christus egit & passus est non respondeant oraculis illis, qui quæso potuit fieri ut homines sapientissimi id sibi persuadere potuerint?

§. CCLIII.

Objectiones sequuntur nunc *speciales*, quas Adversarii contra Jesum Nazarenum Christum nostrum afferunt; & quidem *primo* contra *Genealogiam* ejus, dum illam incertam esse putant, ut nesciamus ex quanam familia Maria, Christi mater fuerit oriunda, dum Evangelistæ nonnisi Josephi genealogiam recenseant.

Ita nimirum Judæi objiciunt apud MUNSTERUM in Evangelium Matthæi: „Matthæus & Lucas genealo„giam deducunt ad Joseph, & in omnibus Libris eo„rum non invenitur genealogia Mariæ, unde si Jesus „natus est sine patre non est de Domo David: Aut „si contendis eum esse de Domo David, erit Joseph „Pater ejus. Præterea quare Joseph vocaretur vir „ejus si non duxisset eam ad concubitum? Fuerat po„tius vocandus desponsatus ejus. Nescimus itaque „ex qua tribu fuerit Maria. Quod si dixeritis, ha„bemus per traditionem, & hic mos est apud Ju„dæos, quod quisque ducit propinquam suam in uxo„rem, ideo Genealogia Joseph simul est Genealogia „Mariæ: Respondemus conficta esse verba vestra & „ænigmatica ut Deum vobis statuatis: Cum hæc sit „consuetudo nostræ legis, ut cuilibet liceat ducere

„uxorem

„uxorem quæ illi placuerit, ſive ſit propinqua, mo-„do ſit ex lege permiſſa. Et ſic filii hujus tribus „poſſunt ducere uxores de illa vel iſta tribu, id quod „patet ex facto Gibeonitarum, quomodo tribus de-„voverint eum qui filiam ſuam illis locaret in uxo-„rem Præterea eſto quod Maria fuerit de tribu Je-„huda, & quare ergo Genealogia non dicitur ad eam „ſed Joſeph? Item Judæus in Amica diſput Quæſt. „XXIII. pag. 27. Quomodo, inquit, ex eo quod Jo-„ſephi genus ab Evangeliſtis ad Davidem & Judam „referatur conſequens eſt Jeſum ex eodem genere „prognatum eſſe, cum ex iisdem Evangeliſtis con-„ſtet, Joſephum non fuiſſe ut putabatur, verum ac „naturalem Jeſu Patrem.

§. CCLIV.

Ad quam difficultatem duo reſpondiſſe ſufficiet. *α*. Rem inter Judæos fuiſſe notiſſimam certiſſimamque, Mariam ex eadem cum Joſepho familia fuiſſe; ut quamprimum probatum fuerit Jeſum per Joſephum patrem ſuum putatitium ex Abrahamo & Davide oriundum eſſe, etiam probatum ſit, non minus per Mariam illum proſapiam ſuam inde ducere. Apoſtolus enim Paulus ad hoc, ceu nemini non notum, provocat, dicens: *Perſpicuum eſt enim, à Juda exortum eſſe Dominum noſtrum.* Heb. VII. 14. Neque ſi hoc falſum fuiſſet, Evangeliſtæ etiam hoc ceu Meſſiæ Characterem adducere fuiſſent auſi, dum ſi contrarium ipſis demonſtrari potuiſſet, jamjam de Meſſia ſuo actum fuiſſet, neque amplius à quoquam Judæorum fides ipſis fuiſſet habita. Neque denique Judæi tacuiſſent, quando Apoſtoli & ipſe etiam Jeſus Chriſtus, tam publice in concilio, quam privatim uno ore ipſum Davidis filium dixerunt, hac enim ratione Apoſtoli opti-

me falsi potuissent convinci. β. Ut autem omnis eludatur exceptio, negamus Evangelistas nonnisi Josephi Genealogiam indicasse, eam enim Mathæus, Mariæ vero Lucas indicat; unde optime ad hanc difficultatem respondet HOORNBECKIUS contra Judæos Lib. III. Cap. I. pag 221. dicens: Si ait Lucas, *& erat Jesus quasi annorum triginta incipiens*, ὢν (ὡς ἐνομίζετο) υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἠλὶ, τοῦ Ματθὰτ &c. id est, *filius*, (*uti putabatur*) *Josephi*, revera, (aut) sed *Eli*, & hic *Matthat* filius &c. Eli parens Mariæ fuit. Jam ante notum, in Genealogiis non matres, sed Viros recenseri: quare ubi dictum esset, Josephum non esse verum Christi patrem, solummodo putatitium, proxime ponendus erat Mariæ parens, & avus Christi maternus, Eli. Aut si velis illud τοῦ Ἠλὶ non Christo, sed Josepho attribuere, in promtu est responsio, quod nempe filius Eli Josephus dicendus, non naturalis, sed legalis, jure conjugii, quia nimirum ejus gener erat. Quemadmodum *Ruth. I.* 8. Nahomi nurus, dicuntur ejus filiæ. Atque hoc vulgatum. Ut quomodocunque illa sumas, quæ de Christi Genealogia apud Matthæum & Lucam, non aliter quam ad scopum hunc referenda sint, Christum omni modo demonstrari, esse Davidis filium, & verum Messiam.

§. CCLV.

Ultro ergo etiam cadit Judæi illius apud LIMBORCHIUM *objectio* dicentis Scripto III. Quæsito I. Num XVIII. *Neque Prophetas Christi Parentes prædixisse, sed nonnisi quod ex semine Davidis futurus sit, neque etiam Evangelistas Christi parentes retulisse, qui cum ex sola matre carnem assumserit,*

cum

cum parentibus Josephi nihil habuerit, ab ipso non genitus. Quare frustra videantur nominari patris putativi generationes ad eum haud pertinentes; unde Adversarius colligit, *quod non solum in Prophetis, sed neque in Novo Testamento Christi parentes fuerint ita designati, ut hominibus certe constaret, qui fuerint, & quod ex semine Davidis fuisset oriundus.* Hæc difflantur ab iis quæ jam respondimus; cæterum Judæus hic petere videtur, ut Deus per Prophetas ipsos Christi parentes, non modo familiam, designare debuisset; adeo ut minima etiam indicata fuisset circumstantia, quodnam nimirum Mariæ futurum sit nomen? quodnam Viri sive mariti illius despansati? quænam amborum sit Genealogia? quisnam præcise sit commorationis locus? & plura alia ejusmodi, quæ Judæo incredulitati Populi sui vincendæ sufficientia videntur. Sed licet Deus omnes has in Veteri Testamento indicasset, circumstantias, alia ac alia Judæis & incredulis semper remansissent effugia. si persona Christi opinioni suæ non respondisset, mox hanc mox illam prætexissent fraudem. Et hoc adhuc observandum, quod Judæi inique à nobis petant, ut non modo Christi genus & familiam, sed & parentes ex Prophetarum scriptis probemus. At quo jure hoc à nobis exigant non video, siquidem & ipsi Messiam ex tribu Juda expectent, sed monstrent nobis ex Prophetis qualis per longam seriem ejus futura sit Genealogia? Quis Pater ejus, quænam Mater ejus futura sit? si id ostendere non possunt, quo jure petunt, ut id de Messia nostro ex Oraculis illis exhibeamus. Et nos insuper Christi Genealogiam habemus à posteriori, ostendendo quod ex promissa stirpe oriundus

 sit;

sit; at quiscunque tandem veniret, quem Judæi pro Messia agnoscerent, propter tribuum & familiarum, qualis nunc est, confusionem, nunquam, nec à posteriori quidem ostendere possent, quod Messias ratione originis suæ is sit, quem Deus olim promisit.

§. CCLVI.

Urgent porro Judæi, quæ *alia objectio* est, promissum Eliæ præcursoris Christi adventum, qui cum nondum venerit, clarissimo esse indicio etiam Messiam nondum venisse; hæc est illa objectio, quam omnes fere Judæi movent, quamque insolubilem censent. Quæ Difficultas etiam in Evangelio mota legitur.

Ita R. MENASSE BEN ISRAEL Lib. II. de Resurrect. Cap. III. „Non alienum, inquit, ab eo, quod agimus; esse videtur, si hic referam illud, quod de „Propheta Elia antiqui dixerunt. Hic enim, uti ajunt, „primo resuscitabitur, sive corpus ejus igne Ætheris „fuerit consumptum, (quemadmodum R. David Kimchi, aliique plures censent) sive vivat in terrestri „paradiso secundum corpus & animam, uti opinio „priscorum Sapientum fuit: Hoc certum est, illum „primo appariturum, ut annuntiet resurrectionem mortuorum, sicut manifeste liquet ex Malachia: Ecce „ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat „Dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor „Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum: Ne „forte veniam & percutiam terram excidio. Dies il„le magnus & terribilis est Dies judicii, qui erit con„junctus resurrectioni; Ante eum, inquit, veniet „Elias, ut pacem & Amorem inter omnes concilier, „non tantum in rebus corporalibus, sed etiam spiri„tualibus: Idcirco dicitur, convertet cor Patrum ad „filios, & filiorum ad patres. Nam nulla dissensio, „nulla lis aut controversia inter eos erit, uti antiqui „ajunt, in Gemara Eduyot: Quippe animos hominum „adeo permovere, immutare ac disponere valebit, ut

„in

„In die Judicii optime compositus sit futurus mundus; „neque caussa, cur destruatur aut in nihilum redigatur, ulla reliqua mansura. Sciendum nimirum ad hæc, Judæos ex Messiæ præcursore, desperatis plane rebus suis, præcursorem & nuntium resurrectionis facere; Messiæque adventum cum generali mortuorum resurrectione, ultimique judicii tempore commiscere.

§. CCLVII.

Ad solvendum hanc difficultatem præmittimus observationes sequentes. α. Ipsos Judæos incertos esse, quomodo Eliæ apparitio comparata futura sit, unde R. MAIMONIDES *halacha malachim*, Cap. XII. §. II. *Sunt*, inquit, *inter Sapientes, qui dicunt Eliam ante adventum Messiæ venturum. Atque hæc omnia & alia similia nemo novit quo modo futura sint, donec extiterint.* Et MENASSE BEN ISRAEL Lib. III. de Resurrect. Cap. VII. *Addit deinde Propheta Malachias, Deum ante diem illum magnum missurum Eliam Prophetam; Sed non explicat, an Elias iste venturus sit ante vel post adventum Messiæ. Hæc caussa est quod R. Moses Ægyptius hic dubius hæserit, neque alterutrum affirmare ausus fuerit. Sed & hac de re inter Sapientes controvertitur. Quidquid sit, veniet præcursor aliquis, qui animos hominum flectat, ac probe disponat, ne terra anathemate percutiatur.* Ex hisce Magistrorum Judaicorum verbis patet 1. Iis incertum esse, qualis hic Eliæ adventus futurus sit. 2. Ipsos nescire quandonam venturus sit, an Messiæ præcursor futurus sit, nec ne? Nec 3. sciunt, qui Elias ille sit, dum Menasses dicit saltem aliquem præcursorem venturum.

§. CCLVIII.

β. Altera observatio hæc est, in Libris Pro-

phetarum consuetissimum esse, propter similitudinem aliquam, duas Personas eodem consignare nomine; Ita Messias non una vice vocatur David, uti Jerem. XXX. 9. *Et servient Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis.* Quem locum ipsimet Judæi de Messia interpretantur, ut & illum Ezech. XXXIV. 23. *Et suscitabo super eos Pastorem unum, & pascet eos servus meus David, ipse pascet eos.* Adde versum sequentem & Cap. XXXVII. 24. *Et servus meus David Rex super eos & pastor unus erit universis ipsis.* Et Hoseæ III. 5. unde ABEN-EZRA in Psalmum XLV. 1. *Sunt, qui ajunt, hunc Psalmum de Davide loqui vel Messia filio ejus, nam & hoc ejus nomen, quomodo & David servus meus erit iis Dux in perpetuum.*

§. CCLIX.

Hisce nunc præmissis apparet, juxta eandem loquendi phrasim, alium propter similitudinem cum Elia eodem insigniri posse nomine, licet non sit idem; uti Messias ipse David Rex non est; ita sufficit, ut ante Messiam veniat aliquis, qui faciat opera Eliæ, qui indutus sit virtute & spiritu Eliæ; Uti ergo necesse non est ut ipsemet David redeat ad regendum & pascendum Populum suum, ita nec opus est ut ipse Elias Tisbites in Terram reducatur, modo Deus aliquem excitet, qui Eliæ munere eadem virtute atque spiritu fungatur, eique maxime similis existat. Sequitur ergo hanc Judæorum objectionem nihil impedire, quo minus firmiter credamus, jam venisse Messiam, ejusque præcursorem Johannem Baptistam fuisse, cui JOSEPHUS Antiquit. Lib. XVIII. Cap. VII. hoc exhibet testimonium: *Apud Judæos autem fuit opinio, justa ultione numinis deletum Herodis exercitum,*

propter Johannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis Pietatis ac justitiæ, simulque ad Baptismi lavacrum. Hoc autem Johannis Baptistæ singulare fuit officium, quod Messiæ nostri adventum præcurrit, eum annuntiavit, homines ad Messiam convertit, idque in spiritu & virtute Eliæ fecit, unde Angelus de illo dixit: *Ac Sacro Spiritu plenus erit jam ab utero matris, & Israëlitarum multos ad Dominum ipsorum Deum reconciliabit, eumque* (scilicet Messiam) *antecedet ipse, Eliano spiritu potentiaque præditus, ut patrum animos ad natos convertat, & contumaces ad justorum prudentiam perducat, Dominoque compositum populum præparet.* Luc. I. 15. 16. 17. Et Matthæi XI. 13. 14. *Omnes enim vates atque lex ad Johannem usque vaticinati sunt: Et si eum vultis accipere, is est Elias ille venturus.* Christusque scribis respondebat: *Venturus est quidem prius Elias, & instauraturus omnia; sed scitote, Eliam jam venisse, quem illi non agnoverunt, sed ei quæ voluere, fecerunt.* Matth. XVII. 11. 12. Cum igitur Johannes venerit ad hominum animos flectendum & probe disponendum, ne terra anathemate percutiatur, uti loquitur Menasse, omniaque habuerit criteria ejus qui Eliæ nomine promissus fuit, sequitur usitatissima loquendi phrasi, Johannem Baptistam à propheta Malachia Eliæ insigniri potuisse nomine.

§. CCLX.

Contra elapsum adventus Messiæ tempus Judæi nihil habent quod objiciant, sed ipsimet convicti sunt, dudum præterlapsum esse tempus illud quo venire debuit. Si autem ex temporum signis clarissimisque vaticiniis contra illos argumen-

mentamur: *Dudum Messiæ tempus præteriit, E. jam venit Messias;* illi excipiunt, propter Populi peccata dilatum esse ejus adventum, quamprimum Israëlitas peccatorum suorum pœnituerit, etiam Messiam venturum esse.

Vulgaris veterum Judæorum sententia erat, quater mille post mundi creationem annis Messiam venturum, unde celebris erat illa Eliæ, Rabbi cujusdam, inter Judæos traditio, quæ legitur in Talmude codice Sanhedrin, Cap. XI. & ita sonat; *Traditio domûs Eliæ, sex mille annis durabit Mundus. Bis mille annis inanitas & vastitas. Bis mille annis lex. Bis mille annis dies Messiæ.* Et MENASSE Lib. III. de Resurrect. Cap. III. „Præterea hoc ipsum colligi-„tur ex antiquorum dicto, quod extat in Gemara „Aboda Zara Cap I. Legitur in Schola Eliæ, (non „Thesbitæ illius, sed alicujus Rabbini) sex mille „annis mundum duraturum esse; bis mille annis „inane, bis mille annis legem, & bis mille annis „dies Messiæ, & propter peccata nostra, quæ quam-„plurima sunt, tot anni jam supra illud tempus elap-„si sunt. Dividit hic autor totam mundi duratio-„nem in tres ætates, tribuens unicuique ætati „bis mille annos. Considerans autem, homines us-„que ad Abrahamum, (qui universam legem Mo-„saicam optime observavit, uti ex Genesi constat) „absque lege vixisse, ideo vocat illud tempus to-„hu, id est, vacuum & inane. Ab Abrahamo vero „usque ad Messiam, qui sensum legis & Mysteria „illius Populum docebit, intervallum illud rursus fa-„cit bis mille annorum; ita ut elapsis quater mille „annis, illustris, ac mirabilis dies exoriturus sit, „quo Messias in has terras veniet, ad populum de „vera mente, ac genuino sensu legis erudiendum, „ac docendum.„ Judæos etiam olim fuisse persuasissimos tempus Messiæ advenisse, inde quoque patet, quod tantus illorum numerus à variis Pseudo-Messiis decipi se passus est, dum omnes temporis circumstantiæ ipsis indicabant ea nunc impleri debere, quæ à Prophetis fuere promissa; unde Chri-

stus

ſtus ipſis prædixit. *Ego in mei Patris nomine veni, nec accipitis me : Si alius in ſuo ipſius nomine venerit, eum accipietis.* Joh. V. 43. *Multi enim venient in nomine meo, qui ſe Chriſtos eſſe dicent, multosque decipient.* Matth, XXIV. 5. Et quæ Chriſtus prædixerat ſæpius fuere impleta. Ante nimirum Jeſu Nazareni tempora nemo ſe Meſſiam eſſe profeſſus eſt, poſt eum vero à multis hoc factum fuit, unde conſequitur, Jeſum Nazarenum primum fuiſſe, qui Meſſiam ſe eſſe dixit. Ex quibus patet, ante Jeſu adventum communem Judæorum fuiſſe ſententiam Meſſiæ tempus nondum adeſſe, poſt eum vero agnitum fuiſſe & communem fuiſſe conſenſum inter Judæos, nunc tempus manifeſtationis Meſſiæ adveniſſe, quæ cauſſa fuit cur Pſeudo-Meſſiis illis à plurima Judæorum parte aſſenſus fuerit præbitus. Ante nimirum Urbis vaſtationem Gamaliel, unus ex Judæorum Doctoribus, ex ea occaſione quod Apoſtoli Jeſum Nazarenum prædicaverant, duorum meminit, qui magni quid fuerint moliti, ingentemque habuerint aſſeclarum numerum. Venit deinde Imperatoris Adriani tempore, quinquaginta præterpropter poſt Urbis Hieroſolymæ vaſtationem annis, Judæus quidam, qui Meſſiam ſe jactabat, BAR-COCHABUM ſe appellitans, quod filium ſtellæ denotat, ſibi dictum illud Bileami applicans *prodibit ſtella ex Jacobo* Num. XXIV. 14 unus ex præcipuis illius aſſeclis fuit celebris ille R. Akiba; Sedem imperii Urbem Bitter in Palæſtina ſitam elegerat, ubi à Judæis Rex coronatus unctusque fuit. Vide EISENMENGERI entdecktes Judenthum pag. 654. 655. Ita de eo ſcribit Auctor Zemach. David, ad annum 880. millenarii quarti; Ben Cuziba (ita eum deinceps Judæi vocabant, nomen enim hoc filium mendacii denotat), *vocatus Bar-Cochaba, rebellavit Romanis, & fecit ſemetipſum Meſſiam; atque idcirco dictum fuit Bar-Cochaba, propterea quod myſtice interpretabatur & ſe dictum eſſe ajebat: Procedit Cochab, ſtella ex Jahakob, &c. R. quoque Akiba, cum illum videret, dixit de eo, hic eſt Rex Meſſias, ſicuti extat in Echa Rabbata (comm. in Thre-*

Threnos) ad versum: Absorbet Dominus &c. Et Judæi qui Bitheræ erant, ipsum unxerunt & coronarunt in regem super se, atque excusserunt jugum Romanorum à cervicibus suis. Magna autem clade affecerunt Romanos & Græcos in Africa, gentem magnam & multam instar arenæ in littore maris, cujus non erat numerus. Sic quoque fecerunt in Ægypto; incolas etiam Alexandriæ in Ægypto trucidarunt una cum Romanis, juxta verba Meor-Enajim Cap. XII. plusquam duo centena millia virorum. Judæi quoque in Cophri (quæ est Tzepharan) internecione deleverunt omnes gentiles, adeo ut nullus inter eos superstes relinqueretur, donec Cæsar Trajanus mitteret adversus illos ducem exercitus sui Adrianum filium Sororis suæ, & magnam iis intulit cladem, qualis non fuit audita aut visa tempore Nebusar-Adon, neque diebus Titi. De eo etiam agit JUSTINUS MARTYR Apolog. II. pag. 72. secutus & seductorem hunc Judæus quidam Cretensis, Theodosii junioris tempore, qui in Insula Creta Mosen antiquum illum Legislatorem se professus est, Judæosque se per Mare iterum in terram Cananæam ducturum promittebat, referente hoc SOCRATE, Lib VIII. & NICEPHORO Lib. XIV. Cap. XL. XLI. meminit etiam BARONIUS, Annal. Tom. VII. ad Annum 721. ex Theophane Syri cujusdam Impostoris, qui Messiam se dicebat, multosque sub Leone Isauro misere decipiebat. R. Maimonidis tempore, & R. Benjaminis Tudelensis, in Persia Pseudo-Messias quidam extitit David & David, qui prodigiis & incantationibus multos seducebat. Plura qui scire cupit ejusmodi hominum exempla, evolvat MAIMONIDIS Epistolam ad Rabbinos Messalienses, Librum continentem Historiam Judaicam Schebhet Juda dictum, Rabbi Benjamin Tudelensis itinerarium, DAVIDIS GANZII Zemach David, BASNAGII Histoire des Juifs, EISENMENGERI ent-

entdecktes Judenthum, A LENT Schediasma de Pseudo-Messiis. REINBECKII Betracht. über die Augsp. Confession XXXIX. §. LXII. seqq Cum à nonnullis ex Pseudo-Messiis hisce, præcipue à Bar-Cochabo illo & Sabbathai Sevi, qui unus ex ultimis fuit, & demum sæculo præcedente vixit, & Anno 1676. mortuus est, maxima Judæorum pars fuerit seducta, concludere licet Judæos & olim primo jam sæculo vel ab initio secundi, & nostris temporibus esse persuasissimos, tempus manifestationis Messiæ elapsum esse Si vero hoc ceu argumento contra ipsos utamur, eosque interrogemus: Qui fiat ut ipsimet confiteantur, tempus Messiæ à Deo definitum jam esse præterlapsum, & tamen Messiam jam advenisse agnoscere nolint? Dicunt, peccata sua in culpa esse propter quæ Messiæ adventus differatur; quæ caussa inter alia affertur in Talmude Cod. Sanhedrin Cap. XI. ubi dicitur: *Elapsi sunt omnes termini, & res non pendet, nisi à resipiscentia & bonis operibus. Samuel: sufficit lugenti persistere in luctu suo. Juxta traditionem, quæ R. Eliesers verbis fertur: Si Israëlitæ pœnitentiam agant, liberabuntur, sin, haud liberabuntur. Cui R. Jehosuas: Si pænitentiam (sua sponte) non agant, non liberabuntur. Veruntamen Deus excitabit super eos Regem, cujus edicta gravissima sint, veluti Hamanis. Is efficiet, ut se ad bonam frugem recipiant. Traditio alia. Dictitabat R. Elieser: Israëlitæ, si convertant se liberabuntur: Q. D. Revertimini filii aversantes, & sanabo aversiones vestras. Huic oggessit R. Josuas: Annon S. E. gratis vendidistis vos, & sine argento liberabimini? Gratis vendidistis vos, scil. Idololatria. Et sine argento vindicabimini. Id est, non per pœnitentiam & bona opera. Replicavit iste: Annon S. E. Revertimini ad me & revertar ad vos.* Idem asserit R. DAVID KIMCHI ad Jes. LVI. 1. *Ostendit hic textus, impœnitentiam impedire adventum*

tum Messiæ. Vide eundem ad Jesajæ LIX. 16. & Hos. III. 5. ita MENASSE Lib. III. de Resurrect. Cap. III. *Profecto*, inquit, *verissimum est, si Israëlitæ serio factorum suorum pœnitentiam egissent, Messiæ adventus non fuisset procrastinatus: At nunc quia profunde immersi jacent hærentque defixi in vitiis & peccatis suis, hinc est, quod differatur beatitudo illa usque ad finem dierum.*

§. CCLXI.

Ut Judæis etiam hocadimatur effugium observanda sunt sequentia. α. Deum, concedentibus ipsis Judæis, certum definivisse tempus, quo Messias venire debeat. β. Deum per Omniscientiam suam omnia præscivisse impedimenta, quæ adventui Messiæ obicem objicere potuissent, adeo ut Deus conditionate locutus fuisset, si Messiæ Adventum ab hac vel illa conditione, quam prævidit, pendere voluisset. γ. Tempus illud, quod Deus definite fixit, non negantibus id Judæis, in eam incidit ætatem, qua Christiani Messiam venisse contendunt, & quam ipsimet Judæorum antiquissimi probatissimique definiverunt. δ. Concedimus autem Messiæ adventum adeo exacte definiri minime debuisse, ut vel ipsemet annus sciri ab hominibus potuisset; at saltem jam septendecim Sæcula præterlapsa sunt, ex quo tempus illud exspiravit, quod sacri prædixere Vates. ε. Cum sub nulla conditione Deus aureum illud sæculum præfixit, veritas illa non potuit non esse firma & immutabilis, & Deus veracissimus non potuit non esse verax, ut præstet ea, quæ sæpissimi promise-

miserat, Deus qui falli non potest, nec etiam alios fallere potest; *Non enim est homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat; an ipse dixerit, & non faciet? An loquutus fuerit, & non præstabit illud?* Num. XXIII. 19. *Deus Abrahami non dereliquit benignitatem suam & fidem suam.* Gen. XXIV. 27. *Non excidit quidquam ex ullis rebus bonis, quas elocutus fuerat Jehova domui Israëlis, cuncta evenerunt.* Jos. XXI. 44. 45. *Cognovistis toto corde vestro, & toto animo vestro, non excidisse rem ullam ex omnibus rebus bonis, quam promiserat Jehova Deus vester vobis, omnia evenisse vobis, non excidisse ex iis rem ullam.* Jos. XXIII. 14. 5. Perpendendum porro Messiæ missionem rem maximi momenti esse, ut cogitari minime possit promissum Domini hic labascere, ubi Gloriæ illius quammaxime interest. Neque in ullum in quacunque re produci potest exemplum, quod Deus in promissis suis retardaverit implementum, quare ergo id in re maxima faceret nulla reddi potest ratio. Judicent ex his omnibus ipsimet Judæi, judicet quivis præjudiciis non imbutus judex, annon argumenta nostra Judæorum longe potiora sint.

§. CCLXII.

At *dicunt* Judæi, non quidem decurtatam esse Domini manum, neque mutatam esse ipsius voluntatem, dum Messiam certo missurus sit, sed obesse peccata quominus jam factum sit. Sed præcipuum adventus Messiæ finem Satisfactionem, Liberationemque à peccatis esse, à nobis demonstratum est; quod ipse etiam Propheta Daniel innuit, dicens: *Septimanas septuaginta decisas esse super Populum Israëlem, & super sanctam civitatem, ad cohibendum defectionem, ad obsignandum peccata, ad*

expiandum iniquitatem, & adducendum justitiam perpetuam: & ad obsignandum visionem & Prophetiam. Post septem & septuaginta septimanas excisum iri Messiam, sed non propter se, civitatem vero ipsammet, ipsumque sanctum perditum iri. &c. Dan. IX. 24-27. Dici propterea minime potest, propter id retardari Messiæ adventum propter quod venire debet. Ipsi denique Judæi in Talmude confitentur improba futura esse illa tempora in quibus Davidis filius venturus sit, dicit enim R. JOANNES in Sanhedrin Cap. XI. *Non veniet filius Davidis, nisi aut sæculo, quod omni vitio careat, vel quod universum vitio succumbat. Quoniam scriptum* Jes. LIX. 16. *Et vidit non esse virum, & obstupuit, non esse intercessorem.* R. JEHUDA autem, uti eodem loco traditur, dixit: *Quo sæculo filius Davidis venturus sit, domum conventus in lupanar conversum iri.* R. NEHORAI: *Quo Sæculo filius Davidis veniet, adolescentes viros provectæ ætatis pudefacient; seniores adolescentulis assurgent; filia insurget contra genitricem, & nurus contra socrum; frons sæculi canina erit, neque filius Patrem reverebitur.* R. NECHEMIAS ait: *Omne Regnum superstitioni & perversis Dogmatibus erit debitum: Neque erit qui redarguat.* R. JOHANNES idem asserit, scilicet: *Non veniet filius Davidis, donec omne Regnum prava de Deo & divinis opinione occupetur.* Quæ omnia tempore adventuts Messiæ nostri ita sese habuerunt, dum omnia scelerum genera ante Urbis & templi desolationem Hierosolymis nefando modo grassabantur. Testis est JOSEPHUS Lib. VI. de Bello Jud. Cap. XVI. *Non equidem,* inquit, *recusabo dicere, quæ dolor, jubet. Puto si Romani contra noxios venire tardassent; aut hiatu terræ devorandam*

dam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmina, aut Sodomæ incendia passuram, multo enim magis impiam progeniem tulit, quam illa protulerat.

§. CCLXIII.

Ultimum, quod contra tempus adventus Messiæ jam præteritum urgent, *argumentum*, inde desumtum est, quod ea non sint impleta, quæ à Prophetis eo tempore implenda promissa sint. Dicit nimirum Propheta Esajas postremis diebus, qui consentientibus Christianis & Judæis dies Messiæ sunt, montem Domini elatum fore super alios montes, ad quem confluxuri sint omnes gentes, gavisurasque tam tranquilla pace, ut gladii in ligones vomeresque convertendi sint. Ita nimirum modo dictus Vates habet Cap. II. 1. 2. 3. 4. *Verbum quod vidit Jesajas* filius Amos, super Jehuda & Jerusalem. *Erit autem ultimis diebus, præparatus erit mons domus Domini in vertice montium, & elatus supra colles, & confluent ad eum omnes gentes. Et ibunt Populi multi dicentque, venite, adscendamus in montem Domini, in Domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus, nam ex Zione prodibit Doctrina, & verbum Jehovæ Jerusalemo? Et judicabit inter Gentes, & corripiet Populos multos, & cudent gladios suos in ligones, & hastas suas in falces; non attollet gens in gentem gladium, neque discent amplius bellum.*

§. CCLXIV.

Ex quo dicto Judæi ita argumentantur. Si *nec* mons Domini hactenus elevatus fuit supra alios montes, *nec* ad eum confluxerunt omnes gentes, sed potius inde dispersæ fuere, *nec* universalis ubique obtinet pax, sed potius bella in-

ter Christianos præcipue, ubique grassantur, quod ipsemet Christus prædixerit, Matth. X. 34. Sequi, dies Messiæ nondum venisse, atqui ipsa experientia teste contrarium potius evenit. E. nondum venere dies Messiæ.

§. CCLXV.

Observandum ad hæc *α*. Vatem modo Prophetis familiari loqui, ut verba ejus non omnia ad litteram, sed improprie, mystice & spiritualiter accipienda sint; quem loquendi modum in Oraculis illis sacris frequentem esse, supra de Messiæ Regno spirituali agentes probavimus, quod etiam confitetur MENASSE Lib. I. *De Resurrect.* Cap. VI. & in Præfat. de termino vitæ. Et MAIMONIDES in fine *Jad Chazeka* cap. ult. *β*. Si ergo de monte Domini supra alios montes elevando sermo fit, id de elevatione Doctrinæ Christi intelligendum; dicitur enim: *Ex Zione prodibit Doctrina.* Montes subinde etiam Regnorum Emblemata sunt, quo sensu innueretur, Regnum Messiæ spirituale omnia reliqua hujus Mundi Regna antecellere, sublimitate nimirum & extensione sua, ut sensus planus ac facilis sit. *γ*. Dicitur porro: *Ad Montem hunc confluxum iri omnes gentes.* Si per Montem intelligamus *Doctrinam* significat omnes Populos ad eam conversum iri, ut vocatio ad eam universalis futura sit. Si significet mons Christi Regnum, idem sensus est; ex omnibus nimirum nationibus Messiam Regnum suum spirituale erecturum esse; ut ad eum veniant omnes gentes & nomen ipsius gloriosum fiat in universa Terra. *δ*. Excipere autem possunt Judæi, nec hoc sensu Vaticinium hoc impletum esse, dum parvus eorum numerus sit, qui Christi

Disci-

Disciplinam amplectantur, seque illius Sceptro subjiciant. At quis nescit, quanta mutatio inde à Christi temporibus ad hunc usque diem facta sit in toto universo? Quantus hominum numerus ad Evangelium conversus? Christianismus loco Ethnicismi in maxime dissitis Asiæ Europæque partibus obtinuit, Idololatria non in universo modo Romano Imperio, sed in aliis etiam Regionibus deleta est. Hoc autem non unius ætatis opus esse, sed pedetentim debuisse fieri ex ipso textu nostro, quem præ manibus habemus patet; dicitur enim: ad montem Domini *confluxum* iri omnes gentes, quæ vox hauddubie successivam Gentium conversionem denotat, uti aquæ fluminis alicujus successive in locum aliquem confluunt, ita Populorum ad Regnum Messiæ congregatio successiva erit. Minime ergo hic Prophetiæ hujus sensus est, quod tempore brevissimo Christi Regnum plane consummandum sit.

CCLXVI.

Dicitur porro, quod illi qui hanc admittunt Disciplinam omnem inimicitiam & hostilitatem deposituri sint. Et revera α. Christi Doctrina est Doctrina pacis, ipse enim est Rex *Salem* sive *pacis*, unde eò nato *pax* in Terra annuntiabatur. Lucæ II. 14. Christus enim est *pax nostra*, inimicitias, Legem præceptorum in placitis abolevit, & venit *pacem* nunciatum. Eph. II. 14-17. unde ipsius Doctrina vocatur *Evangelium pacis.* Eph. VI. 15. Discipulis suis dedit pacem. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis*, *pacem meam do vobis: non quemadmodum dat mundus*, *ego do vobis.* Joh. XIV. 27. Minime ergo illius Doctrinæ, sed hominum potius

 mali-

malitiæ adſcribendum, ſi inimicitia ac hoſtilitas non deponitur, ubique enim, ut inimicum noſtrum diligamus præcepit, omnem vindictæ cupidinem abjici juſſit. Si vero dicit, ſe ad diſcordiam in Mundum veniſſe. Luc. XII. 51. 52. 53. Id non naturæ Doctrinæ ejus aut Spiritui illius adſcribendum, ſed fit per accidens; uti res optimæ & in ſe innocentiſſimæ malis ſæpe effectibus, citra culpam ſuam, anſam dant; Ita prædicit Chriſtus: Homines propter pravos affectus ac malitiam diſſidiorum contentionumque anſam ex Doctrina ſua capturos, licet omnes ipſe ad pacem hortaretur, & ut ſeinvicem diligerent admoneret. β. Si per inimicitiæ depoſitionem, de qua apud Vatem ſermo eſt, intelligamus differentiæ inter Judæos & reliquas Nationes abrogationem, jam impleta eſt illa per Cultus Levitici plenariam abrogationem; quando paries intergerinus abolitus, & ex duobus unum factum eſt. Si per pacem illam conſenſum in Religione intelligimus, is ceu ultimus Doctrinæ hujus in hac Terra effectus expectandus eſt, quando ſuo tempore Paſtor unus & Grex unus erit. Si denique Pax illa ſit corporalis, de qua Propheta loquitur, aliquo modo vaticinium Chriſti tempore implementum ſuum habuit, dum Imperatoris Auguſti tempore, foribus Jani clauſis, alma pax in univerſo orbe floruit.

§. CCLXVII.

Prædicitur etiam Chriſtum *Populos multos correpturum eſſe.* Revera ipſa experientia teſte homines Gentiles, luce Evangelii ubivis Terrarum oriente, manſuefacti, animi ferociam, belluinosque abjiciebant mores, ut tot ferociſſimæ ſceleſti-

lestissimæque Nationes Christo nomen dantes plane aliter suam componerent vitam; ad id provocat EUSEBIUS *Demonstr. Evang.* Lib. I. Cap. VI. *Quis non*, inquit, *ipsa rei mirabilitate obstupescat? quum eos qui à condito ævo, lapidibus & lignis, & dæmonibus, belluisque humana carne victitantibus, & reptilibus venenatis, animalibusque omnis generis, & feris informibus, ignique, & terræ, & ipsius universi inanimatis elementis, divinum honorem & cultum tribuebant, altissimum Deum, & cæli & terræ opificem, ipsum utique Prophetarum Dominum, Deumque Abrahami, & Avorum ejusdem, post Salvatoris nostri adventum, videat invocantes? Et eos qui paulo ante à matribus, & filiabus libidine non abstinebant, seque mutuo inter se corrumpebant, & omnis generis cruentationibus & cædibus inquinabant, qui nihil ab immanibus feris, victu ipso differebant, nunc per Salvatoris nostri divinam virtutem mutatos, & quasi ex aliis alios factos, sermones de virtute, modestiæque præcepta ut discant, in communes Scholas assidue convenientes? Atque adeo quidem, ut tam fœminæ quam Viri, tam pauperes quam divites, tam vulgares & ignari, quam docti, etiam pueri, & mancipia non minus in agris, quam in urbibus, in loca certa conveniant, ut supremam illam Philosophiam ediscant?* Ex hisce omnibus quæ nunc ad Prophetiæ hujus solutionem attulimus, clarissime liquet, ea quæ in Oraculo hoc extant, sensu plane eximio, plurimam partem impleta esse.

§. CCLXVIII.

Hæc quæ nunc Judæorum protulimus argumenta contra *Nativitatem* Messiæ jam *præteritam* urgentur. Contra *locum* vero ubi nasci debebat hanc movent *objectionem*; quod nunquam ille in

Veteri Testamento fuerit prædictus, ut male inde etiam Messiæ nostri criterium desumatur.

Judæus ille apud LIMBORCHIUM Scripto III. Quæsito I. Num. XVIII. *Nec*, inquit, *locus suæ Nativitatis; maxime quod oriundus erit ex Bethlehem Ephrata; ubi non dicitur quod nasciturus; sed egressurus: Et omnis æquivocatio ut vitaretur, addit: Et egressiones ejus ab antiquitate: Non egressus, quasi nativitatem significaret.*

§. CCLXIX.

Sequentes autem observationes rem diluent; *α*. Merum hoc Judæorum subterfugium est, dum nimirum vident Palæstinam & in ea Civitatem Bethlehemum deletam, omnemque recuperationis & restitutionis spem amissam, ut impossibile sit Messiam inde ortum suum ducere, dum non prius Judæi in Palæstinam, ex ipsa sua hypothesi, reducendi sint, quam Messias venerit; inde ipsis etiam negandum fuit, vel hunc locum de Messia agere, vel in eo de ejus nativitate sermonem esse. Discedunt propterea etiam hac in re à veterum Judæorum sententia, cumque vident impossibile esse ut ibi nascatur Messias, locum Michæ ita interpretantur, quod de nativitate ejus non *actuali*, sed *originali* ibi agatur; ut notet egressum sive originem ejus, à diebus Regis Davidis ex Bethlehemo esse, dum ratione Majorum suorum inde à Davide ex civitate hac ortum suum trahat. *β*. At si Judæis concedamus, nonnisi Messiæ ortum per Davidem hic intelligi, ut sensus sit unum è Majoribus ejus Regem Davidem Bethlehemo oriundum esse, quid tum sequeretur? Hoc scilicet; nunquam hoc in casu

sciri

sciri posse an Messiæ egressus sit è Bethlehemo nec ne, dum nesciatur nunc, an aliquis è Davidis familia superstes sit nec ne? vel quisnam ex ejus stirpe adhuc reliquus sit? unde nec ex hoc criterio amplius cognosci posset Messias; adeoque inutile fuisset quod Deus hunc Messiæ Characterem dederit, quod de Deo dici nequaquam potest.

§. CCLXX.

γ. Gratis vero à Judæis locum hunc ita explicari ex sequentibus patet. 1. Nullius nimirum fuisset usus dicere, illo tempore quo David dudum mortuus erat, eum qui è Davidis familia oriundus sit, Bethlehemo oriturum esse, cum Davide Bethlehemo ortum suum trahat. Quorsum hæc? quid juvabat dicere Davidem Bethlehemi natum esse? 2. Novus hic Messiæ Character non fuisset, si nihil aliud significaret, quam Messiam è Davidis familia oriundum esse; & Christus ubique fere natus dici posset, si ibi ortus dicendus esset, ubi aliquis ex majoribus ejus natus fuisset, præcipue si demum sub mundi finem veniret. 3. Male excipiunt, non sermonem esse de loco Messiæ natali, sed de ejus egressu jam antiquitus facto, unde explicationis gratia addatur, *egressiones ejus ab antiquitate esse*; potius enim sequitur sermonem fieri de duplici ejus egressione, *primo* nimirum de temporaria atque humana, quæ Bethlehemi futura sit; *deinde* de divina, quæ dicitur esse מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *ab antiquo dierum seculi.* Quando de priori agitur, propheta utitur tempore futuro *exibit* יֵצֵא, quando de posteriori res est, nonnisi tempus vel præsens vel præteritum intelligi potest, dum

Messias quoad divinam suam naturam jam extiterit. Dici enim minime potuisset, egressiones ejus futuras esse inde à diebus sæculi, ab antiquitate, sermo enim esset contradictorius; unde patet duplicem indicari egressum.

§. CCLXXI.

Nec δ. denique hoc omittendum, quod 1. Messias noster Bethlehemi natus sit, id non negantibus ipsismet Judæis. 2. Observari debet admiranda Dei sapientia, quæ res ita dispposuit ut Jesus Christus in urbe illa nasceretur, & quidem in iis circumstantiis, ut ab omnibus qui è Davidis familia oriundi erant id cognosci posset. Cæsar enim Augustus eo tempore censum Capitum fieri jubebat, unde etiam Christi mater Nazaretho, ubi alias commorabatur, Bethlehemum se conferre cogebatur, dum è domo Davidis erat; pariebat ibi Jesum Benedictum Salvatorem nostrum, & quidem in omnium illorum conspectu qui è stirpe Davidica erant, ut nemo dubitationis caussam haberet, Jesum quoad naturam humanam ex Davidis prosapia oriundum esse, & quidem in ipsa Davidis Civitate; Davidis hæredem & filium omnibus sese monstravit; talisque mox à pastoribus agnitus.

§. CCLXXII.

Quoad Christi *Personam*, Judæi offenduntur tum quod Christus Deo se æqualem, adeoque ipsum Deum sese dixit; *tum* quod etiam quoad naturam humanam, sive quatenus homo fuit, parum respondit illorum opinioni. Perpendenda propterea tum ea quæ contra ejus divinitatem *objiciunt*, tum ea quæ contra eum qua hominem

minem afferunt. Ideo nimirum inter alia Judæi Jeſum Nazarenum rejiciebant, quod Dei filium ſe eſſe perhibuit, unde Pontifex hisce ipſum alloquebatur verbis: *Obteſtor te per Deum immortalem, ut nobis dicas, an tu ſis Chriſtus Dei filius? Cui Jeſus: Eſt ut dixiſti, tum Pontifex veſtimenta ſua laceravit, eum impie locutum eſſe dicens.* Matth. XXVI. 63-65.

Sic propterea Judæus ille apud LIMBORCHIUM Scripto III. Quæſito IV. Num. II. pag. 217. *Non cognoverunt eſſe Meſſiam, quia docebat ſe Deo æqualem, imo ipſum Deum, quem antea incorporeum, immortalem, impatibilem eſſe, crediderant: Nec putabant eſſe modum aliquem quo Deus per ſuam omnipotentiam poſſet ſe contrario modo facere: Sicuti nunc putamus eſſe impoſſibile, quod Deus fiat panis, aut panis ſit Deus, neque per transmutationem, neque per ſuæ naturæ aſſumptionem. Tali Doctrina erant Judæi à Deo imbuti: Poſt vero corporeus, patibilis mortalis proponebatur adorandus; duarum naturarum hypoſtatica unione non adhuc excogitata, neque à Chriſto neque ab Apoſtolis aliquando prædicta; quæ quamvis prædicaretur, minime admitteretur à Judæis, utpote impoſſibilis, & ſuo divino Dogmati contraria.* Addit tandem Adverſarius ſub finem: *Ideo tandem non crediderunt, quia XIII. Deut. nemo credibilis erat quantumvis feciſſet miracula & prodigia, qui Deum ſub ſpecie humana, vel ſub ejus individuo, vel alterius ſpeciei, adorandum ſuaderet: Cum nonniſi in puro Spiritu adorari voluerit: Non in alicujus creaturæ imagine, multo minus, ſubſtantia.*

Objectio

§. CCLXXIII.

Objectio hæc iterum resolvitur in πρῶτον Judæorum ψεῦδος, dum nimirum veram Justitiam ignorantes, verum etiam Messiæ finem nesciunt. *Respondemus* ergo α. demonstratum à nobis esse Propos. V. Messiam non merum debuisse esse hominem, sed Deum simul, ut pretium redemtionis pro peccatis nostris solvere posset infinitum, & ut humana ejus natura cum divina unita infinitis passionibus subeundis par esset. β. Non dicimus ullam Naturæ divinæ in humanam transmutationem esse factam, sed hoc convenienter Sacræ Scripturæ statuimus, divinam naturam cum humana Christi natura, modo extraordinario, ita esse unitam, ut unicam tantum ambæ naturæ constituant personam, sine ulla tamen ambarum naturarum confusione, commixtione aut transmutatione. γ. Et nos propterea divinam Christi naturam dicimus incorpoream, immortalem & impatibilem, firmiterque tenemus ne Deum quidem per infinitam suam omnipotentiam contrariam facere posse. δ. Si Adversarii dicant, Unionem hypostaticam talem qualem nos docemus impossibilem esse, negamus; nullam enim hac in re invenimus contradictionem, quod Deus, absque ulla tamen naturæ suæ immutatione, modo singulari cum humana uniri queat, unde licet cum Judæorum de Messiæ persona opinione hæc unio non conveniat, impossibilem esse minime sequitur: At probent impossibilitatem hanc si possint. ε. Dicunt ne Christum quidem & Apostolos hanc docuisse unionem. Sed si hoc non docuerunt certe nihil docuerunt; Christus enim sæpissime vocatur

Deus,

Deus, & Filius Dei, vocatur Filius hominis; quæ indicant Christum Deum simul & hominem esse; sed dicitur insuper ipsum IMMANUELEM esse: quod perinde sit ac si dicatur, NOBISCUM DEUS, hoc est, Deus cum humana natura unitus. Matth. I. 23. Unde Apostolus Paulus dicit: Magnum pietatis mysterium esse, *quod Deus apparuerit in Corpore*, qualis per Spiritum commendatus sit, ab angelis conspectus, prædicatus in Gentibus, creditus in mundo, & receptus in Gloria. 1. Tim. III. 16. Et Johannes Apostolus hoc ipsi exhibet testimonium: *Et sermo caro factus est, & apud nos gratiæ veritatisque plenus habitavit; ejusque Splendorem ut unigenæ à Patre Splendorem adspeximus.* Joh. I. 14. ¿. Et hoc denique Adversarius urget, quod Deus expresse prohibuerit, ne cuiquam credatur qui Deum sub specie humana adorandum esse doceat. Hoc equidem verissimum est, quod Deus sub ulla visibili specie coli nolit, sub tali scilicet quam ipsimet sibimet fabricarunt homines, quamque invisibilis Dei imaginem faciunt. Sed longe aliter hic res sese habet, nam nemo unquam Apostolorum aut Christianorum sibi imaginatus est, vel ipsam Christi humanam naturam esse Deum, vel illam divinitatis esse imaginem, sed caute hæc à seinvicem distinguunt; aliud est divinitatis fingere imaginem, illique cultum exhibere divinum, aliud discere divinam naturam cum humana in Generis humani Liberatore arctissimo nexu in personæ unitate esse conjunctam. Cæterum Deus jam Patriarcharum tempore in incarnationis præludium forma humana indutus apparuit, & ab ipso Abrahamo divino honore affectus legitur. Gen.

XVIII.

XVIII. Quis propterea Abrahamum Idololatram dixerit? Neque ille propterea Deum corporeum credidit, neque nos Deum corporeum fingimus, quando Personæ unitatem in divina humanaque Christi natura statuimus.

§. CCLXXIV.

Urgent porro contra Christi divinitatem nonnulla Scripturæ loca ubi Deus à Messia videtur distingui, ut Ezech. XXXV. 24-27. & Esajæ XI. 2.

Ex quibus locis ita argumentatur Judæus in amica disput. Quæst. IV. *Primum*, inquit, *Propheta Ezechiel ait Ezech. XXXV.* 24-27. *Eruntque mihi in populum, & ego illis in Deum, & Servus meus David rex eorum. Hic statim apparet differentia inter Deum & servum ipsius Davidem. Nam unus Deus erit, alter rex populi: Non verò dicitur Davidem fore Deum. Secundo Esajas de Messia sic loquitur; Esaj. XI.* 2. *adfuturum ei timorem Domini. In prima quæstione simplicem Dei unitatem adstruximus; at si Messias Deus simul & homo existeret, jam necesse esset eundem Deum illum unum esse, nec tum convenienter de eo diceretur quod semetipsum timeret. Atque hæc pro responso ad præsentem quæstionem sufficiant: Præterquam quod hinc solide demonstretur: Si talis nobis expectandus fuisset Messias, Sacram Scripturam innumeris locis hoc debuisse testari ac docere. Quod quia non facit, sequitur rem aliter se habere.*

§. CCLXXV.

Duplex in verbis hisce continetur argumentum; *alterum* à Sacræ Scripturæ silentio desumtum;

tum; *alterum* ex iis dictis quæ contradictionem involvere videntur, si Messias Deus esse statuatur. Quoad prius Judæi non habent cur se excusent, quod Mysterium hoc in Veteris Testamenti Libris nunquam revelatum fuerit, si modo aures ad audiendum & oculos ad videndum habuissent. Cum Adversarius ex Esaja argumentetur, ipsi duo clarissima Esajana Oracula opponimus. Alterum extat. Cap. VII. 14. *Ideo dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo prægnans, & pariens filium, & vocabis nomen ejus* GNIMMANUEL, sive NOBISCUM DEUS. Alterum reperitur Cap. IX. 6. 7. *Parvulus enim natus est nobis, filius datus est nobis. Et erit principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis. Ad multiplicandum principatum, & pacis non erit finis super solium David, & super regnum ejus, ut confirmet illud &c.* Quæ vaticinia clarissima si de divina humanaque Messiæ Natura Judæi intelligere vel nolint vel non possint, metuendum est, ut nihil omnino in prophetarum scriptis intelligant.

§. CCLXXVI.

Alterum quod attinet *Argumentum*, illud inde est quod Judæi nec Doctrinam de S. S. Trinitate nec de Filii Dei incarnatione intelligunt, unde distinguere non possunt ea quæ distinguenda sunt. Tenendum enim α. juxta ea quæ Tom. I. Cap. III. Sectione XVI. demonstravimus, & quæ infra Cap. XII. contra Socinianos vindicabimus, Deum duplici ratione considerari posse, nimirum vel ESSENTIALITER, vel PERSONALITER spectatum. β. Unde patet varios in Deo esse

esse respectus, varias relationes, ut aliquid de Deo essentialiter, absolute & sine ulla alia relatione considerato dici possit, quod eodem modo non semper de Deo personaliter considerato dici potest; Et vice versa aliquid de Deo personaliter considerato, adeoque alio quam antea respectu, affirmari potest, quod de Deo essentialiter considerato dici minime posset; notissimum enim est, de qualibet re quæcunque existit, si hoc respectu illa consideretur aliquid de ea affirmari, quod de eadem re affirmari non potest si alio consideretur respectu, quod nullam plane repugnantiam infert. γ. Cum quælibet divinarum personarum, uti suo loco demonstravimus, ab altera quoad existendi modum sit distincta, oportet una proprietatem quandam habeat, quam alia non habeat, sed aliam & distinctam. δ. Cum porro Messias ex Doctrina Sacra & juxta Christianorum dogmata talis sit personæ quæ divina humanaque simul gaudet natura, clarissime liquet quædam de ea dici posse si aliquo consideretur respectu, quæ si aliter consideretur de ea affirmari nequeunt. ε. Et cum varia ipsius sunt munera, respectu illorum nonnulla dicuntur, quæ si alio Messiam consideremus respectu, ipsi non competunt. ς. Et cum non unus illius sit status sed duplex, respectu unius status quædam de eo affirmantur, quæ ratione alterius dici neutiquam possunt. ζ. Si hæc nunc ad præsentem applicamus objectionem patebit, ea quæ Adversarii proferunt, nonnisi, ut vulgo dicitur, fallaciam à dicto simpliciter ad dictum secundum quid esse. Nam hæc non contradistinguuntur eodem respectu, si dicitur, ero illis in Deum & Servus meus David rex eorum; quædam enim Christo tribui

tribui possunt] qua Messiæ, quæ ipsi qua Deo absolute & nullo alio respectu considerato, tribui non possent; alia ergo sunt quæ ipsi ceu Messiæ, alia quæ ipsi ceu Deo competunt. Si igitur Servus Dei dicitur, epitheton illud ipsi ceu Messiæ tribuitur, alio vero respectu tamen Deus esse potest, ut Deum esse & Servum esse in tali persona, qualis Messias est, seinvicem non tollant, cum id dicatur alio respectu. Ita non pugnat eandem personam esse Regem & Servum, sed diverso respectu *n*. Ita si Messiæ timor Domini tribuitur, id non dicitur respectu divinitatis illius, sed quatenus Messias est, servi formam in se suscepit & humana indutus fuit natura.

§. CCLXXVII.

Evanescit propterea *illa* etiam *objectio*, quam Judæi toties repetunt & sæpissime contra nos urserunt; quod nimirum dicamus Messiam nostrum Deum esse, & tamen hominis filium, qui visus fuerit, qui ederit, biberit, passus ac mortuus sit, in quo ceu homine omnem nostram ponamus fiduciam.

Sic enim Judæi apud MUNSTERUM in Evang. Matthæi pag. 110. *Si Deus est, cur seipsum filium hominis appellat? Cum tamen multis S. Scripturæ locis lex admoneat, videamus, ne Deum homini similem faciamus: Ut cum scriptum est* Num. XXIII. 19. *non est homo Deus ut mentiatur; & filius hominis, ut pœniteat eum. Tam dicit etiam David* Psalm. CXLVI. 3. *Ne fidatis principibus, filio hominis, in quo non est salus. Alibi quoque scriptum est* Jerem. XVII. 5. *Maledictus vir si fidit homini, & ponit car-*

nem brachium suum, & à Jehova recedit cor ejus &c. Totum vero hoc ipsum in Jesu deprehensum est, qui filius hominis vocatus est. Et pag. 267. *Interroga hæreticum. Scriptum est in Lege Mosis: Non videbit me homo, & vivet.* Exodi XXXIII. *quomodo ergo viderunt Jesum omnes homines illius ætatis & supervixerunt?*

§. CCLXXVIII.

Ex iis quæ modo disputavimus patet, Messiam posse esse Deum & tamen vocari filium hominis; posse esse Deum invisibilem & tamen hominem visibilem, nobis in omnibus, excepto peccato, similem. Nec ergo Deum homini similem facimus, sed divinam ejus à humana natura constanter distinguimus, & duas has naturas absque ulla transmutatione vel commixtione in una Persona unitas esse asseveramus. Nec etiam in illo ceu homine fiduciam nostram collocamus, sed quatenus Messias est, etiam Deus Omnipotens est, in quo omnis nostra fiducia collocata est. Confundunt Judæi, semper divinam humanamque ejus naturam, dum Doctrinam nostram Apostolorumque male intelligunt. Ita nemo Christianorum dixit, quenquam invisibilem Messiæ Deitatem vidisse, sed nonnisi humana ejus natura visa est, in qua tamen nonnulli divinitatis radii resplendescebant, dum gratiæ veritatisque Jesus noster plenus fuit. Nec quisquam è Christianis dicit divinam Christi naturam esse passam, & mortuam, sed hoc nonnisi humanæ adscribitur natura, quæ à divina sustentata fuit, ut infiniti valoris passionibus subeundis par esset.

Huc

§. CCLXXIX.

Huc etiam illæ pertinent *Objectiones*, quas contra S. S. Trinitatis Mysterium afferunt, quæ desumtæ sunt vel à S. Scripturæ silentio, vel à nonnullis ratiociniis, quæ ex male intellecta hac doctrina fluunt.

Ita enim Judæus in amica Disput. Quæst. 1. „ Ex „magna, inquit, argumentorum copia, quæ simplicissimam Dei unitatem confirmant, brevitatis causa „unum duntaxat alterumve adferemus, partim ex S. „Litteris, partim ex naturali ratione. Primum erit „hoc: Videmus Deum nec apud dilectum suum populum, nec charos Prophetas, nec apud electos suos „sacerdotes mentionem ullam fecisse hujus Doctrinæ, „imò potius disertis verbis eos admonuit à tali doctrina sibi caverent, dicens, Deut, VI. 4. Audi Israël: Dominus Deus noster unus est. Et alio loco. „Deut. XXXII. 39. Ecce ego sum & nullus est alius „Deus mecum. Loquitur propterea per Esajam Pro„phetam in hunc modum, Esajæ XLIII. 9. Vos te„stes mei estis, dicit Dominus & servus meus quem „elegi, ut cognosceretis & crederetis in me & intel„ligeretis, ante me Deum nullum extitisse, nec post „me extiturum. Propheta Zacharias prædicens con„fessionem totius mundi de simplicitate essentiæ, sic „loquitur: Zach. XIV. 8. "Et Dominus pro Deo agno„scetur per universum terrarum orbem. In illis die„bus Deus unus erit, & nomen ejus unum. Perinde ac si diceret, unus erit essentia & unus nomine. „Idem compluribus aliis locis docetur, ut Scriptura„rum periti norunt.

„Hæc simplicissima Dei unitas demonstratur quo„que manifestis rationibus, quarum etsi multæ sint nu„mero, tres tantum adferemus.

I. Si in divina essentia diversitas personarum exi„steret, suppositum aliquod esse deberet quod eas di„stingueret, idque necessario in una persona reperiri „deberet, in alia non. Jam alterutrum necessarium „est, ut suppositum hoc perfectionem in se habeat „vel imperfectionem. Si perfectionem, tum personæ

„quæ illo carent sunt imperfectæ. Si imperfectionem, ea ubi reperitur imperfecta est persona Verum in Deo nulla potest esse imperfectio. Ergo „nec diversitas personarum.

II. Aut quælibet personarum quas in essentia divina esse asserunt, habet omnipotentiam ex seipsa, ita „ut non indigeat aliarum auxilio & opera. Si primum statuas, nempe quod quælibet persona sit omnipotens, jam duæ aliæ personæ non necessariæ sunt „& supervacuæ. Si secundum, quod quælibet persona auxilio aliarum indigeat, inde sequitur nullam „istarum ex sese infinitam & omnipotentem esse, „cum tamen divina essentia non possit esse supervacua; Sed reipsa infinita ac omnipotens esse debeat. „Non ergo est in ea diversitas personarum.

III. Quicquid actu est infinitum, ei nequit dari „mensura, qua mensurari possit. Deus est actu infinitus. Nequit ergo ei dari mensura qua mensuretur. At si diversi essent personæ in essentia divina, „jam una esset mensura aliarum, & sic nulla earum „esset infinita.

§. CCLXXX.

Respondemus. α. de Dei Unitate nullam inter nos & Judæos debere esse litem, cum & omnes Christiani in omnibus suis Confessionibus, libris Symbolicis & Systematibus Theologicis constanter doceant Deum Essentia nonnisi unicum esse, quod & nos suo loco (Tom. I. Cap. III. §. 663.) demonstravimus. Adeo ut non opus habuerit Judæus veritatem hanc contra nos probare, sed inde est quod Judæi hanc moveant controversiam, quia nostram Sacraeque Scripturae de Deo Doctrinam & praecipue de S. S. Trinitatis Mysterio non intelligunt. β. Dictum Deut. VI. nihil aliud probat quam Deum Triunum esse, hoc est, tres illos, qui Jehova & Deus appellantur, Essentia unum esse. Dicitur enim: *Audi Israël, Jehova,*

Deus noster, Jehova, unus est. Hoc ipsum & nos ex hoc dicto docemus: nempe *Jehovam* Patrem, Dominum nostrum, sive, uti extat, *Deum nostrum* Jesum Christum, quæ secunda Trinitatis persona est: & *Jehovam* Spiritum Sanctum, essentia *unum* Deum esse. γ. Quoad effatum illud Deut. XXXII. dicitur, *nullum alium Deum præter Deum* veri Israëlis *esse*, hoc ipsum est quod constanter docent Christiani, omnes enim Deos fictitios rejiciunt & nonnisi unicum Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi colunt; qualem in S. Litteris sese revelavit, ceu Spiritum perfectissimum Cœli terræque Creatorem, humani generis Liberatorem, Essentia unum, personis Trinum. δ. Esajæ XLIII. dicitur; nec ante Deum nec post eum ullum extitisse aut futurum esse Deum. Idem & nos dicimus, Deum solum illum, quem omnes veri Israëlitæ coluerunt, esse æternum, infinitum & immutabilem. At Judæi putant nos tres statuere Deos, quorum unus præ altero extiterit, quod oppido falsissimum est; tres enim subsistendi modos sive subsistentias in divinitate & tres proprietates personales statuimus salva invariabili essentiæ divinæ unitate ac identitate; unde repetendum semper est, quod jam supra innuimus, Deum considerandum esse vel *Essentialiter* vel *Personaliter*, hoc est, vel juxta proprietates illas, quæ divinæ Essentiæ tribus personis communi competunt, vel juxta eas quæ personarum distinctionem efficiunt. ε. Zach. VIII. nihil contra nos, cum nec nos Essentiæ divinæ unitatem negemus. Quomodo autem dictum hoc explicandum sit, de unitate scilicet Religionis & Deum colendi modi; non opus est, ut hic disquiramus.

§. CCLXXXI.

Objectiones illas *ex ratione desumtas* quod attinet, *respondemus* ad primam: Personas divinas distinctas esse proprietatibus personalibus, quibus una persona ab altera differt; dicit vero Adversarius illas proprietates esse aut perfectiones aut imperfectiones, si prius statuatur, inquit, reliquas personas aliqua perfectione carere necesse est. Si posterius, oportet personæ sint imperfectæ. Distinguendum autem est inter perfectiones toti essentiæ divinæ competentes & personales; quoad priores illæ omnibus tribus personis communes sunt, dum omnes tres eandem divinam essentiam possident. Quoad posteriores quælibet personalis proprietas respectu ejus personæ quæ illam possidet est perfectio, dum possidet id quod ad propriam pertinet essentiam; respectu vero alterius personæ nec est perfectio nec imperfectio, dum ad essentiam illius personalem non pertineat; ut illa salva personalitate sua, sive essentia personali carere possit. Ita Deus Pater omnibus gaudens perfectionibus quæ ad communem divinam essentiam pertinent, salva essentia sua personali carere potest proprietate filii, ut perfectioni ejus propterea plane nihil desit. Sic Filius omnes habens perfectiones, quas tota Divinitas possidet, carere potest Paternitate, & quidem ita ut perfectioni ejus, quatenus filius est, nihil plane desit, ut nihilominus omnes habeat perfectiones, quæ ad illius essentiam requiruntur. Ut adeo uni personæ aliquid deesse possit, licet perfectioni ejus propterea nihil desit, cum non pertineat ad illius essentiam.

§. CCLXXXII.

Alterum ratiocinium hoc eſt. Aut quælibet perſonarum habet Omnipotentiam divinam ex ſe ipſa, aut non habet? Si prius, duæ aliæ perſonæ neceſſariæ non ſunt; ſi poſterius, quælibet perſona alterius ope indiget, adeoque imperfecta eſt. Hæc *objectio* ex eodem quo præcedens fonte originem ſuam habet; quod nimirum Adverſarii Doctrinam de S. S. Trinitatis myſterio male intelligunt, putantque Tres nos credere Deos. Eandem vero omnibus tribus perſonis tribuimus eſſentiam communem, adeoque Omniſcientiam etiam communem, Omnipotentiam communem, Juſtitiam & Sanctitatem communem. Ea ergo, quam Filius habet Omnipotentia eadem eſt quam Pater & Spiritus S. habet; adeo ut Omnipotentiæ illæ quas Adverſarius Tribus divinis Perſonis tribuit, à ſeinvicem ſejungendæ non ſint, ſed revera una eademque numero ſit perfectio, quam omnes tres communem habent. Omnipotentia Patris eſt à ſe, & Filii eſt à ſe, nec non Spiritus S. quia eadem eſt & ad communem divinam eſſentiam pertinet. Neque propterea reliquæ Perſonæ dici poſſunt ſupervacaneæ præter primam, cum omnes tres faciant Deum Omnipotentem, qui Deus Omnipotens ſuas habere poteſt Proprietates perſonales, ut adeo hæc ſeinvicem minime tollant, nec procedit hoc Argumentum: Deus gaudet Omnipotentia infinita, ergo non habere debet proprietates perſonales; ſive quia Deus eſt Omnipotens, proprietates ejus perſonales ſupervacaneæ ſunt.

§. CCLXXXIII.

Tertia *Objectio* hoc involvit; quicquid eſt

infinitum illud mensurari nequit, si vero in divina essentia diversæ sint personæ, una est alterius mensura, ut adeo nulla earum dici possit infinita. At iterum male Adversarius hic essentiam divinam sejungit dum varias in Deo infinitates nos statuere arbitratur, cum Personarum diversitatem statuimus; at omnes hæ tres Personæ, uti reliqua divina Attributa, ita etiam infinitatem communem habent; ut una infinitas alterius mensura esse nequeat, dum unica tantum in Deo sit, neque quælibet Persona peculiarem habet infinitatem, sed omnes tres eandem habent; adeoque nec unius personæ infinitas alterius mensura est, & omnes tres personæ oportet sint infinitæ, dum eandem numero infinitatem possident.

§. CCLXXXIV.

Hæ sunt difficultates, quas Judæi contra divinam Christi naturam movent. *Contra humanam* vero nihil magis urgent quam miseram illam externam, quam induit, formam, quæ opinioni illorum minime respondit, & una etiam ex præcipuis caussis fuit cur illum reprobaverint.

§. CCLXXXV.

Mirum vero non est, quod Judæis hoc offendiculo fuerit, nam cum non intellexerint verum Adventus Messiæ finem, nil nisi bona temporalia ab ipso sperabant, contradictoriumque etiam aliquo tempore ipsis Christi Apostolis & Discipulis videbatur, quod Messias debeat pati & mori. Dicunt propterea: *De Jesu Nazareno, qui Vir Vates fuit, re verbisque potens, & in Dei; & in totius Populi conspectu: Utque eum tradiderint Pontifices magistratusque nostri ad capitale judicium, & in crucem*

crucem sustulerint: Et tamen nos eum esse sperabamus, qui Israëlitas liberaturus esset. Luc. XXIV. 19. 20. 21. Unde inimici ipsius petebant *ut descenderet à Cruce, & hoc modo probaret se Messiam esse.* Matth. XXVII. 42. Quæ petitio plane erat perversa, cum si à Cruce descendisset, nec passus & mortuus fuisset, etiam nec Messias esse potuisset. Hoc ipsum autem scandalum jam à Propheta Esaja erat prædictum, Cap. LII. 14. *Quemadmodum obstupuerunt super te multi, sic corruptus præ Viro aspectus ejus: Et forma ejus præ filiis hominum.* Et Cap. LIII. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit, & non reputavimus eum plaga affectum, percussum à Deo & humiliatum.* Quibus verbis prædictum fuit, valde despectum futurum Messiam in hominum oculis; unde Judæi non habent cur Jesum Nazarenum hanc ob caussam respuant.

§. CCLXXXVI.

Perpensis iis *Objectionibus* quæ contra Salvatoris nostri personam in genere afferuntur, ad eos nunc accedimus, quas contra Munera illius movent. Cum nimirum, ut à Prophetico incipiamus, ad confirmandam divinam suam missionem & Doctrinam etiam miracula patraverit, contra ea excipiunt, aut Christum ea non propria fecisse virtute, sed arte magica, quam vel in Ægypto didicerit & inde attulerit, vel per virtutem *Schem ham phorasch*, nominis tetragrammati; aut meram illa fuisse fraudem atque imposturam.

Nemo magis hac in re Judæorum caussam tuitus est, quam celebris ille Anglus WOOLSTON, qui sex edidit dissertationes sive discursus, qui in 8. separatim editi hac rubrica, *A Discourse on the*

Miracles of our saviour &c. Sive Gallico idiomate: *Discours sur les Miracles de notre Sauveur, relativement à la dispute qui s'agite aujourd'hui entre les incredules & les Apostats.* Nostrum est tantas componere lites. *Par Thomas Woolston, Bachelier en Theologie, & cidevant Membre du College de Sidney à Cambridge.* A Londres *pour l' Auteur, & se vend par lui-même.* Per Apostatas nimirum Clerum intelligit, qui à vetere Patrum Doctrina defecerit. Hunc autem præcipuum harum dissertationum finem esse contendit, ut ostendat, per Miracula divinam Christi autoritatem demonstrari neutiquam posse, omniaque, quæ in Historia Evangelica de Christi Miraculis narrantur, mystice & allegorice explicanda esse dicit. Ut autem appareat, qua ratione tam Judæorum quam Incredulorum caussam tueatur, præcipua ex primo ejus discursu hic adducemus, infra ad objectiones contra Christi resurrectionem plura dicturi. Capite præcedente id jam fecissemus ni & caput illud & Tomus jam alias satis prolixus fuisset. Primum hunc discursum præcipue ad hæc tria refert. 1. Quod miracula illa quæ Christus patravit varii generis morbos corporales sanando, proprie Messiæ non conveniant ceu Doctrinæ & divinæ Missionis criteria, neque sufficientia sint argumenta & documenta ad autoritatem suam probandam Religionemque fundandam. 2. Quod sensus & historia litteralis Miraculorum Jesu Christi, talis qualis ab Evangelistis narratur, res involvat plane absurdas, haudquaquam verisimiles, & omnino incredibiles. Quodque adeo Miracula nunquam facta sint hoc, ut hodie vulgo creditur, modo; sed nonisi propheticas parabolicasque narrationes esse contendit earum rerum quas Salvator aliquando modo mysterii pleno & multo magis miraculoso operaturus sit. Denique contendit, quod cum Christus ad miracula sua provocet, ceu ad authentica divinæ missionis & auctoritatis suæ testimonia, proprie non ob oculos habuerit ea quæ in carne versans patraverit, sed ea quæ aliquando modo multo excel-

excellentiori in Spiritus facturus sit, quorum priora nonnisi figuræ extiterint Typique. Omnia autem quæcunque Auctor dicit nonnisi huc tendere videntur, ut tam Miraculorum Christi veritatem quam divinam ejus missionem impugnet. Pagina deinde 6. primum articulorum horam probare allaborat, & ad Patrum Ecclesiæ authoritatem provocat, quos tantis ornat encomiis ut illorum autoritatem Sacræ Scripturæ fere parem faciat. Loca autem plurima ex iis mala fide corrupta affert, ex quibus probare conatur Jesu Christi miracula nonnisi mystice & allegorice intelligenda esse. Morbos corporales nonnisi morborum spiritualium figuras fuisse, quos sanare Messiæ præcipue officium sit. Pag. 11. ex S. Scriptura ea citat loca, ubi dicitur, Prophetas falsos & Antichristum præcipue, talia facturum esse Miracula quibus seduci possent homines; contendit deinde, ex Augustino præcipuæ, Patres veteris Ecclesiæ dixisse Antichristum non modo Christum imitaturum esse Miraculorum patratione, sed non minora facturum ac ipse Christus fecit. Miro insuper modo extollit ficta Apolonii Thyanæi, Vespasiani, & Geatrakii cujusdam Irlandici, superiori sæculo viventis, miracula, Unde concludit, Miracula à Jesu Christo patrata nequaquam divinæ missionis ejus argumenta esse. Eludere conatur postea ea argumenta quæ afferuntur ad differentiam ostendendam, quæ inter Christi Impostorumque miracula deprehenditur; nonnisi ea autem adducit, quæ maxime imbecillia & levissimi momenti credidit. Primum inde desumtum est, quod Christus miracula sua in maximum hominum bonum converterit. Respondet jam ante se perhibuisse Patres, quod, si Jesu Christi miracula ad litteram sint intelligenda, ille non minus absurdas ac ridiculas res commiserit, quas quiscunque Impostor facere posset, imo humano generi valde noxias; addit denique: *Que si ces Miracles sont vrais dans le sens litteral, comme nos Theologiens le croient, ils sont capables de nous revolter contre un tel Prophete, & de nous le faire regarder comme un*

Magi-

Magicien, un Enchanteur, & un Sorcier plutot que comme le Messie & le Prophete du Trés-Haut. Occurrit deinde illi Argumento, quod ipsimet Prophetæ prædixerint Messiam miracula patraturum ut Esaias Cap. XXXV. 5. 6. Transit postea Autor ad probandam secundam Thesin suam, quam ut probet citat ORIGINEM, HILARIUM & AUGUSTINUM imprimis, quos dixisse ait: Quod in historia Evangelica tales inveniantur res, quæ nunquam acciderint, nec accidere potuerint, aliaque narrari gesta, quæ quidem fieri potuerint, nunquam tamen facta sint, Plures in Libris Novi Testamenti inveniri historias, quæ ad litteram intelligi nequaquam possint, nisi ipsi contradicere velimus rationi, unde nullam nisi mysticam admittant interpretationem. His positis fundamentis autor ad ipsum Miraculorum Christi examen progreditur, ut ostendat illa ad litteram sumta res plane absurdas incredibilesque involvere, quod facit in reliqua Dissertationis primæ parte & in cæteris ad finem usque sextæ. Ex omnibus autem quæcunque disputat facile perspicitur, nullum alium ipsius scopum esse, quam ut ipsum Miraculorum realitatem Religionisque Christianæ veritatem impugnet. Quod observat A. LE MOINE in Dissertatione historica de Scriptis WOOLSTONII ejusque condemnatione, & refutationibus contra ipsum editis. Primum ex Miraculis, quæ WOOLSTONIUS ceu ridicula & falsa traducit, est illud quod describitur Matthæi XXI. 12. & Joh. II. 13. seqq. de ejectione illorum, qui in Templo emebant & vendebant, atque de mensarum Nummulariorum eversione; de quibus inter alia famosus hic Antiscripturarius ita habet „Comment Jesus Christ pouvoit-il, avec un fouet à la main, „chasser une grande multitude de peuple d'un lieu „ou il lui étoit permis de faire ce qu'elle faisoit? „Surtout, si l'on considére qu'il n'avoit aucune autorité parmi les Juifs, rien de frabant dans l'exterieur, ou plûtôt un exterieur fort abject, (& il „n'est point dit qu'il changeat de forme dans ce moment), qu'il avoit beaucoup d'ennemis, & qu'il „étoit particuliérement haï des Sacrificateurs qui de-

„voient

„voient être alors dans le Temple. Et puis, pour„quoi tant de zèle en faveur d'une maison qu'il ve„noit abolir lui - même, & qui fut peu de tems „après souillée & profanée par sa permission, ou plû„tôt par son ordre „ Ecclesiæ deinde Doctores citat; qui Historiam hancce Evangelicam mystice & allegorice interpretati sint, per Mercatores eos Evangelii Ministros intelligentes, qui mercenarii Evangelii prædicatione quæstum faciant, quos Spiritus Christi aliquando ex Ecclesia ejecturus sit. Ad interpretationem hanc confirmandam etiam ERASMUM citat, & debacchatur deinde misere in Evangelii Ministros, qui nugis suis Populum ita deciperent, talesque collybistæ existerent. Secundum, quod Author hic impugnat, miraculum, pag. 32. seqq. est illud quod describitur Matth. VIII. de Dæmonum ejectione, qui Christo permittente Porcorum gregem ingrediebantur; de quo summatim hæc habet 1. nihil plane hic deprehendi quod non quilibet Impostor facere potuerit vel fecerit. Matth. VII. 22. Luc. XI. 19. 2. Interrogat qui fiat ut hominis misericordia erga infelices hos obsessos commoti non fuerint eosque incluserint, sed per sepulchra eos errare siverint? 3. Quærit num credibile sit, quod catena illis continendis non suffecerit; Hoc vero si cum verum fuerit, cur non potius occisi fuerint, ne tantam ubique calamitatem efficerent? 4. Incredibile etiam ipsi videtur, inter Judæos tantum Porcorum agmen fuisse inventum. 5. Si vero dicatur vicinorum Gentilium eos fuisse, quanquam verisimile non sit, quærit: Ubinam Jesu Christi bonitas fuerit, quod tantum Populo illi attulit damnum? Quod cum iis characteribus qui miraculis Christi vulgo tribuantur minimè conveniat; Neque unquam boni quid eorum Possessoribus retributum esse ullibi legi, cum tamen nihil commisissent quod tanta pœna dignum fuisset, unde ad sensum mysticum hujus historiæ recurrendum sit. Blaspheme deinde pag. 38. addit. „Si cette histoire Mi„raculeuse avoit été rapportée de Mahomet, & non „pas de Jesus, j'ôse assurer que nos Theologiens s'en „seroient prévalu pour refuter le Mahometisme. Se„lon eux, Mahomet n'auroit été qu'un Sorcier,

„qu'un

„qu'un Enchanteur, qu'un homme en commerce „avec les Esprits familiers, qu'un Esclave juré du „Diable; & ses Musulmanis auroient eu bien de la „peine à le defendre.

„Quand nôtre Sauveur fut mené devant Pilate, pour „être examiné, jugé & condamné, ce Gouverneur „demanda aux Juifs, quel mal il avoit fait? Si les „deux, ou seulement l'une des deux histoires, que „je viens d'examiner, eussent été vraies à la lettre, „on n'auroit pas eu besoin de produire des faux Te„moins contre lui. Les Marchands du Temple étoient „à portée, & pouvoient jurer qu'il avoit causé une „Emeute un jour de Marché, dont on n'avoit enco„re jamais vu d'exemple; que leur negoce en avoit „beaucoup souffert, & que, soit que lui, ou ses „gens, eussent volé de leurs effets, ou qu'ils n'en „eussent pas volé, toujours y en avoit-il de perdus „& d'autres endommagés; tout cela, pal la violen„ce de ce Fripon, au mépris des loix & de l'auto„rité civile. Si cette Accusation n'avoit pas encore „été suffisante pour convaincre Jesus d'un Crime ca„pital, les Porchers des Gadareniens pouvoient de„poser, que c'étoit un Sorcier, qui, par ses En„chantemens, leur avoit fait perdre deux mille Pour„ceaux, qu'il ne pouvoit pas nier qu'il n'ent com„mandé aux Démons d'entrer dans ces Pourceaux; & „que si même il avoit delivré un ou deux de leurs „Compatriotes d'une violente Possession, cependant, „comme il étoit la cause de la perte de leurs Pour„ceaux, ce n'étoit pas sans raison qu'ils le soupçon„noient d'avoir éxercé un Art diabolique sur les uns „& sur les autres.

„Sur de semblables depositions, Pilate auroit de„mandé aux Juifs, comme il fit, *que pensés vous de* „*Jesus, & que voulés vous que j'en fasse?* Si tous l'a„voient declaré digne de mort, il n'en faudroit point „être surpris, puisqu'il n'y a pas un Jure en Angle„terre, qui voulut absoudre un homme atteint & „convaincu de pareils crimes. Bien en prend à nos „Docteurs attachés au sens Litteral, qu'on ne porta „point de semblable accusation contre Jesus; Autre„ment, ils seroient fort embarassé à justifier son in-

„no-

„nocence, & à prouver qu'il n'avoit pas merité le „supplice qu'on lui infligea. Mais par cette raison-„là même, quand il n'y en auroit pas d'autre, qu'on „ne lui imputa point de tels crimes, je ne crois rien, „ou très peu de chose, des deux Faits, en apparen-„ce miraculeux, que j'ai examinês.„ Tertium miraculum, quod Auctor hic in primo suo discursu impugnat, est Transfiguratio Christi in monte, de qua ita: „Peut on regarder comme une Transfiguration mira-„culeuse ce que les Evangelistes rapportent, que le „*Visage de Jesus-Christ devint resplendissant comme le Soleil, & ses Vetemens blanes comme la Neige*? 1. „Les Philosophes vous diront, que la reflection des „Raïons du Soleil change la couleur des objets; & „les Pyrrhoniens prétendront, qu'il ne faut pas s'é-„tonner si la face de Jesus paroissoit rubiconde, le „Soleil pouvant donner à plomb dessus. 2. Le mot „Grec, que l'on traduit per celui de transfiguré, si-„gnifie proprement metamorphosé: Et qu'est ce „qu'une Metamorphose, selon toute la force de ce „terme, & l'ancien usage, si-non un Changement „par lequel un homme prend la forme, la figure, l'Essen-„ce de choses entierement differentes de lui-même? „Mais, Jesus ne fut pas ainsi metamorphosé, suivant „tous nos Theologiens. 3. Qu'elle étoit la raison „particuliére, & l'usage, de ce miracle? On ne sau-„roit le dire, puisque l'Histoire de l'Evangile garde „là-dessus un profond silence. 4. Que faisoient Moi-„se & Elias avec Jesus, sur la Montagne? Appa-„rurent-ils en personne, ou, n'étoient-ce que des „Spectres qui en avoient la figure? De quoi s'en-„tretenoient-ils avec nôtre Seigneur? Et n'est-il „pas surprenant que les Apôtres, qui eurent tout cet „entretien, n'aient pas rapporté un seul mot dans „leurs Ecrits? A la verité, St. Luc. dit, suivant nos „Versions ordinaires, *qu'ils parloient de la Mort de* „*Jesus Christ*, qui devoit arriver à Jerusalem Luc. IX. „Mais, on donne *gratis* cette signification au terme „de l'Original, & ce seroit un Barbarisme, & une „expression tout-à fait impropre, de l'aveu de nos „meilleurs Critique. 5. Ce Miracle ne pouvoit-il „se faire dans la Vallée; aussi bien que sur la mon-

„tagne?

„tagne? Les Incredules diront, que c'étoit pour pro-„fiter de l'avantage des Nuées, qui s'arrêtent ordi-„nairement au sommet des montagnes, & qui pou-„voient favoriser l'Imposture. D'ailleurs, pourquoi „en présence de trois Disciples seulement, & non „pas devant toute la multitude? Plus il y a de Te-„moins d'un Fait, mieux il est attesté & plus les „raisons qu'on a de le croire sont convainantes: „Outre que les Apôtres n'avoient pas autant besoin „de voir ce Miracle de leurs yeux, que plusieurs „incredules qu'il y avoit sans doute parmi ceux „qui suivoient Jesus Christ.„ Ex hisce, quæ nunc ex primo WOOLSTONII discursu allegavimus, satis patet, nihil aliud illum intendere, quam ut cum Judæis vel Veritatem miraculorum Christi impugnet, vel ut adstruat cum iisdem, ea nonnisi magicas artes præstigiasque fuisse. Infra, ubi ad objectiones contra Christi resurrectionem allatas responsuri sumus, plura adhuc ex Sexto Adversarii hujus discursu afferemus, dum cum iis conveniunt quæ Judæi, & præcipue ille quem LIMBORCHIUS refutavit, affert.

§. CCLXXXVII.

Vix opus esset ut ad objectiones has *respondeamus*, Capite enim præcedente jam Christi miracula vindicavimus, nonnulla tamen hic addere supervacaneum non erit. Dum nimirum Judæi perhibent, Christum vi nominis tetragrammati, aut magicis, quas in Ægypto didicerit, artibus, miracula sua patrasse, eoipso α. concedunt Jesum Christum revera fecisse miracula. Si vero vi tetragrammati ea fecit, aut artibus magicis, qui quæso fit ut nemo vel ante, vel post eum, eadem ope tot tantaque commiserit miracula? quare solus ea facere potuit? quare Simon Magus argento Virtutem illam ab Apostolis emere voluit? β. Nos probamus vera illa fuisse miracula,

quæ

quæ patravit, ut nulla imposturæ fraus subesse potuerit, tot tantaque illa fuerunt ut omnes humanas vires excesserint; præcipuum autem illorum Resurrectio à mortuis fuit, cujus veritatem indubiis adstruximus argumentis. Probent nunc quoque Judæi illa quæ asserunt; probent Christum, infantem adhuc, magicas has artes in Ægypto didicisse; ostendant per illas fuisse possibile, ut talia patrentur miracula, qualia Christus fecit; si enim nulla opus esset probatione, sed sufficeret negasse aliquid, nulla amplius firma staret veritas. Probavimus etiam supra non minori certitudinis fundamento fidem historicam Evangeliorum niti ipso Pentateucho; non minoribus Christi disciplinam quàm Veterem Judaicam sive Mosaicam confirmatam esse argumentis.

§. CCLXXXVIII.

γ. At quis dixerit ea miracula Diaboli opus fuisse, quæ non immediate solum Diaboli destruebant Regnum, sed eam etiam confirmabant Doctrinam, quæ Satanæ directe erat opposita, machinasque ejus funditus evertebat. Quam responsionem ipsemet Christus olim calumniatoribus suis dedit, dicens: *Omne Regnum ab sese diffidens, desolatur: Et omnis Civitas aut familia secum ipsa diffidens, non stat. Quod si Satanas Satanam expellit, ipse sibi adversatur. Qui fieri potest igitur, ut stet ejus Regnum?* Matth. XII. 25. 26. Unde divus Joannes testatur, *patefactum esse Dei filium, ut Diaboli opera aboleret.* 1. Joh. III. 8. Et ipsos Adversarios meos Judices posco, num ita comparata sit Christi Doctrina atque miracula, ut aliqua veritatis species adsit illis favisse Diabolum, ut ea in commodum suum convertere possit. Neque

infesissimi Christi hostes ipsum in Synedrio magno accusantes id tacuissent, si ulla magiæ suspicio adfuisset. *δ*. Si autem Christus in miraculorum patratione magicis usus est artibus, eadem etiam ope sua patrarunt Apostoli; at qui tum fit, ut illi magiam detexerint profligâverintque. Ut Petrus Simonem Magum Act. VIII. 9, Paulus Elymam. Act. XIII. 8. 9. 10. *Sed obstabat eis Elymas magus, Pro - Consulem à fide studens avertere. At Saulus, qui idem Paulus est, Sancto repletus Spiritu, illum intuitus dixit: O omni fraude ac scelere referte, diaboli fili, totius justitiæ hostis, non desines rectas domini vias pervertere?* Addesis etiam Pythonissam Act. XVI. 16. 17.

§. CCLXXXIX.

Ut aliquid addamus ad ea quæ WOOLSTONIUS de Miraculis Christi dicit, observandum est. *α*. Quod omnia ea falsa sint, quæ de Eclesiæ Patribus dicit, quod nimirum sensum litteralem Historiæ Evangelicæ non admiserint, contra vero nonnisi mysticum & allegoricum statuerint; licet enim illi cum multis hodiernis S. Scripturæ interpretibus dixerint: Miracula illa à Christo patrata rerum etiam spiritualium imaginem gessisse emblemataque extitisse; propterea tamen sensum litteralem minime excludunt, sed eum potius stabiliunt. Ita si ex. gr. dicunt variorum morborum sanationem imaginem fuisse sanationis à morbo spirituali sive peccatis; si porro dicunt miraculum illud quod Christus cibando tot hominum millia fecit, curæ Christi spiritualis imaginem fuisse, qui fidelibus suis vera fide ésurientibus semper prospiciat, neque eos, qui ipsum in hac vita sequuntur, esurientes dimit-

tat,

tat," si inquam hoc dicunt, sensum propterea litteralem minime inficiantur, sed eoipso quo rem ita explicant eum fundamenti loco ponunt. Si deinde dicant, nummulariorum é templo ejectionem, illorum significasse reprobationem, qui Evangelii Doctrinam totumque divinum Cultum in quæstum convertunt, nihil plane absurde deprehendo, sensusque historiæ litteralis præmittitur. β. At hæc ipsemet WOOLSTONIUS bene vidit, unde mala fide loca illa ex Patribus desumta citat, pro lubitu omittens ea quæ non in rem suam faciebant, immutans ea quæ ipsi contradicebant, textumque corrumpens, quod observat erudit. LE MOINE in Diss. de Scriptis WOOLSTONII cujus verba hic apponemus.

„Ita nimirum Autor hic §. IV. Mais, *inquit*, ce qui „achève de soulever contre lui les personnes même „qui ont le plus de charité & de support, c'est la „mauvaise foi qui règne dans ses Citations des Péres, „En General, il suppose que les Péres ont tous été „pour l'interpretation allegorique des Miracles de „Jesus Christ, á l'exclusion du sens litteral; ce qui „est absolument faux, puisqu'il n'y en a pas un seul „qui n'ait reconnu en termes formels, ou par conse„quence, la verité & la realité de ces Miracles. „Mais pour en imposer á cet egard aux lecteurs, que „fait Mr. WOOLSTON? Quelque fois, il cite des „ouvrages supposés, comme les Ecrits de St. Jean de „Jerusalem, ün traité de l'Anti-Christ attribué à St. „Augustin, les commentaire de Theophile d' An„tioche sur les Evangiles, &c. D'autrefois & le plus „souvent, il supprime une partie des Passages qu'il „allegue, ou il y fourre des mots qui n'y sont point „ou il les détache de la suite du discours; & tout, „cela, pour les rendre plus favorables à ses vues.

„Par exemple il cite St. Hilaire, pour prouver qu'il „n'y avoit point de Marché dans le Temple de Jea-

„rusalem, comme les Evangelistes se supposent, I. „Disc. pag. 25. mais, il tronque ses paroles. Car „au liu de ces mots qu'il en a detachés, & qu'il a „même rapportés un peu différement de l'Original, „non habebant Judæi quod vendere possent, neque erat „quod emere quis posset, le passage entier est con„çu en ces termes, Hilar. Comment in Matth. sed „neque emere Judæos in Synagoga, neque vendere „Spiritum Sanctum existimandum est; non enim ha„bebant ut vendere possent, neque erat quod quis „emere posset. St. Hilaire parle d'acheter & de ven„dre le St. Esprit dans la Synagogue; Mr. WOOL„STON le cite comme s'il parloit d'acheter & de „vendre dans le Temple de Jerusalem, ce qui étoit „necessaire pour les sacrifices. Se peut-il rien de „plus infidèle? Ailleurs, il fait dire à St. Jerome, „dans son Commentaire sur St. Mathieu, qu'il y a „des Absurdités dans le sens litteral, quoique St. Je„rome ne parle que des absurdités du sens mystique, „comme on peut s'en convaincre par la lecture de „ce passage. Il rapporte d'un air triomphant les Ob„jections qu' Origine se fait à lui-même au suget „de ce qui est dit, que Jesus Christ chassa du Tem„ple les acheteurs & les Vendeurs, in Joh. Tom. XI. „tandis qu'il omet à dessein la Réponse que ce Pere „y fait immediatement, & par laquelle il paroit qu'il „ne songeoit à rien moins qu'a revoquer en doute „la verité litterale de cette Histoire. Mais la mau„vaise foi de l'Auteur n'est nulle part plus sensible, „que dans la maniere dont il cite St. Augustin; car, „il lui fait dire (p. 11.) que les Miracles, que Jesus „a operés, pourroient être attribués à un Art magi„que, & avoir été faits par Art magique; Au lieu „que ce Pere dit expressement (contra Faustum Lib. „XII. c. 42.) que quoique ces Miracles fussent bien „attestés, il ne manquoit pas de gens (comme il y „en avoit) qui les attribuoient tous à un pouvoir ma„gique. Il commet la même infidélité dans un au„tre endroit (pag. 41.) ou, parlant du Miracle de „la Transfiguration de nôtre Seigneur, il a l'audace „de soutenir, que St. Augustin avoue que tout cela „pouvoit se faire par art magique; car, rien n'est plus

„faux,

„faux, puisque ce Pére dit au contraire (in Serm. „XLIII. §. 5.) que les Infideles peuvent par des con„jectures humaines, & une criminelle curiosité, rap„porter la voix, qui vint du Ciel, à des Arts magi„ques. Et ce qui prouve, que ce n'est pas par igno„rance, ou par inadvertance, que Mr. WOOLSTON „a peché à cet égard, c'est que les passages qu'il al„legue en sa faveur, sont cités tout au long, au „bas des pages, dans la langue Originale; Ce qu'on „ne sauroit assurément regarder que comme la suite „d'un dessein premedité d'en imposer aux gens sans „lettres, qui font bien plus des trois quart de Le„cteurs.„ Prolixiora hæc adduximus, ut ex iis appareat, quisnam WOOLSTONIO fuerit animus, hic nempe ut Lectores suos decipiat, ipsisque fucum facere posset.

§. CCXC.

γ. Miratur Adversarius Jesum Christum tantam hominum multitudinem ex templo potuisse ejicere; idque varias ob caussas ridiculum plane & impossibile illi videtur. Neque mirum est, cum Autor hic Salvatorem benignissimum non nisi merum hominem fuisse agnoscat, & revera impossibile fuisset hoc factum, nisi Majestatis divinæ radii omnipotensque ejus manus id effecissent. δ. Historiam Porcorum Gadarenorum quod attinet, varias inutiles quæstiones format Autor, cur scilicet obsessi illi non fuerint à quoquam inclusi aut interemti? Hujus rei variæ adduci possent caussæ, si inutiles tractare vellemus controversias; forsan infelices hi homines vel inclusi vel interfecti fuissent, si eruditus WOOLSTONIUS tunc temporis in Judæa Rempublicam moderatus fuisset. Porcos autem illos Gentilium non fuisse, Autor quidem verisimile putat, nullibi vero probat. Ratio cur Christus Dæmonibus permiserit, ut eos in Mare præcipites dent,

nobis quidem satis perspecta non est, at hoc nihil ad rem. Potuit hic Christus secundum Omnipotentiam suam agere, potuit Gadarenos, gratia & bonitate sua indignos, quocunque voluit modo punire; & licet omnia reliqua miracula insignia Bonitatis ejus fuerint documenta, nihil tamen impedit quo minus Christus etiam jure ostendere potuerit, se illum esse, qui possit servare & perdere. Deplorat Autor miseros Gadarenos, qui talem pœnam non meruerint. At undenam hoc scit Adversarius? An putat eos omni modo coram Deo fuisse insontes? An scit illos non singulari etiam ratione divina Gratia Christique Bonitate indignos se fecisse? Novitne denique Adversarius, num damnum hoc ipsis allatum non aliquo modo fuerit resarcitum, licet Historia Evangelica hujus rei nullam mentionem faciat? Non ergo Adversarius habet cur tantopere in Benignissimum nostrum Salvatorem debacchetur, ipsumque ultima pœna dignum judicet; qui enim Dæmonia ejiciendi potestatem habet; qui ipsemet Dominus Templi est, is etiam, hominibus bona sua auferendi, Templumque ab iniquitatibus purgandi jus & potestatem habet; prius vero cum Adversarius nesciat, mirum non est quod & posterius negat.

§. CCXCI.

1. Quoad Christi in Monte transfigurationem, dicit Adversarius: Solis radios in facie ejus potuisse resplendescere; at quis unquam vidit ope radiorum Solis vultum alicujus Solis adinstar splendere? Vox autem *metamorphoseos* alius formæ assumtionem denotat, quod vel physice vel moraliter fieri potest; *physice* si externa alicujus rei

species

species aliquo modo mutatur, integra enim totius essentiæ mutatione ad id opus non est, sed vario modo res aliqua vel magis vel minus transfigurari potest, pro diversis illius qualitatibus. *Moraliter* si aliam aliquis induit Personam, uti Apostolus de Christo dicit quod μορφὴν formam Servi induerit, Phil. II. Ut ad metamorphosin minime totius essentiæ alicujus rei immutatio requiratur, sed pro vario alicujus rei respectu atque qualitatibus varia etiam ea esse potest. Multas deinde Adversarius format quæstiones, quas solutu impossibiles arbitratur. Quisnam nimirum singularis hujus miraculi fuerit usus? At sufficit scire Christum miraculo hoc ad futuram mortem fuisse præparatum, de novo eum divinæ missionis suæ testimonium à Patre accepisse, Prophetias de Christi passionibus ac morte agentes explanatas fuisse, Discipulorum animos, qui passionis ejus testes esse debebant, hoc modo fuisse præparatos, ne postea Cruce Christi offenderentur, cum opinio de Regno mundano à Messia erigendo nondum plane ex illorum animis esset eruta. Eoipso cæteræ etiam quæstiones cadunt. Quidnam nimirum Moses & Elias in Monte fecerint? de quanam re loquuti sint? quæ quæstio ideo supervacanea & inutilis, quia Lucas Cap. IX. 31. hujus rei vel colloquii mentionem fecit. Quærit porro, quare transfiguratio hæc non in valle, sed potius in monte facta sit? licet ratio aliqua in promtu esset, respondisse sufficit, quod si hæc in valle accidissent, Adversarius eadem ratione quæsiturus fuisset, quare transfiguratio non potius in monte quam in Valle facta sit? Quærit denique, quare Christus non fuerit transfigura-

tus præsente tota multitudine, sed nonnisi in conspectu trium discipulorum fini transfigurationis consequendo suffecisse, qui minime hic fuit, ut extraordinario hoc modo multitudo universa nolens volens converteretur.

§. CCXCII.

Hæc sunt quæ contra munus Salvatoris nostri Propheticum & in specie contra Miracula afferuntur. Contra *Officium* ejus *Sacerdotale* & præcipue *Satisfactionem* illius pro peccatis sequentes movent *difficultates* α. Dicunt: Cum mors Christi temporalis tantum fuerit, illam minime suffecisse destruendo mortem hominum æternam & spiritualem; Jus enim divinum postulare videtur, ut æquale æquali substituatur, id vero neutiquam factum fuisse Adversarii asserunt; quod vel per ipsam pateat experientiam, cum homines Christi morte ne ab ipsa quidem morte temporali liberati fuerint.

Vide JAC. ABEN AMRAM Porta Veritat. N. 931. 932. 933.

§. CCXCIII.

Duo *Objectio* hæc continet membra, *primum* hoc est: quod mors Christi temporalis ad abolendam mortem æternam & spiritualem minime suffecerit. *Alterum* mortem temporalem nostram per Christi mortem non ablatam respicit. *Primum argumentum* cum Socinianis commune habent; ad quod Judæis respondemus: α. Illos contra propriam pugnare hypothesin; ea enim ipsis hæret opinio, quod Sacrificia olim mactata, cærimoniæque magno expiationis die peractæ, revera ex-

piave-

piaverint totius populi peccata; idque ob institutionem divinam, qua bestiæ hominibus fuerint substitutæ; Si autem ea Sacrificiis illis vis fuit ut homines ab æternis liberarint pœnis, quidni hoc potius à Messiæ Sacrificio, licet mors ejus nonnisi temporalis fuerit, expectandum est? ℞. Justitia divina compensationem pœnæ æquivalentem postulat (Tom. I. Cap. III. §. 900.), cum vero pœna quam peccator meruit sit infinita (Tom. I. Cap. III. §. 1727 - 1731.); sequitur, pœnam Liberatoris, quæ substituitur, debere esse infinitam. Cum vero Salvatoris persona tantæ sit dignitatis, ut infinitam compensare potuerit pœnam (Tom. I. Cap. III. §. 1089. 1090. 1095.); Consequitur mortem ipsius infiniti potuisse esse pretii, ut tot hominibus pœna æterna dignis redimendis suffecerit. Non ergo pœnæ duratio, sed dignitas potius personæ, quæ eam luit, respicienda est; ut pœna potuerit esse infinita, licet non sit æterna ratione durationis.

§. CCXCIV.

Alterum argumentum inde desumtum est, quod Satisfactio Christi tam late sese debuerit extendere ac effectus ex peccato Adami fluentes; cum vero juxta ipsius Apostoli verba mors sit peccati stipendium, sequi dicunt, quod morte Christi ipsa enim fidelium mors temporalis debuerit aufferri. Unde Paulus Apostolus dicat; 2. Tim. I. 10. *Jesum Christum Servatorem nostrum mortem abolevisse, & viam ac immortalitatem collustrasse per Evangelium.* Quam objectionem ipsimet etiam Mahommedani contra nos urgent, dicentes: Secundum Doctrinam nostram Justitiam divinam etiam post satisfactionem adhuc punire,

debitumque exigere, postquam solutionem jam acceperit. Vide ACHMET BEN ABDALLA, Mahommedica, pag. 24. 25. Altdorf. 1700.

§. CCXCV.

Respondemus Judæis α. Et hic ipsos propriam impugnare hypothesin, si enim Taurorum & Arietum sanguis, si cærimoniæ nonnullæ externæ, si hominis pœnitentia magno expiationis die facta, hominem à pœna peccati liberandi vim habet, quare homines à morte temporali liberare non potest? β. Ex Doctrina nostra minime sequitur, omnes peccati sequelas atque effectus unico momento tollendos esse; sed pedetentim id fieri asserimus, per varios gradus donec homo ad consummationem tandem perveniat. Omnium autem ultimum hostem mortem temporalem esse cum Apostolo statuimus 1. Cor. XV. 26. minime enim sequitur: Christus nos à peccati pœna liberavit, ergo unico momento omnes peccati effectus desinere debent. γ. Mors Fidelium temporalis non amplius pœnæ rationem habet, licet ultimus hostis sit, qui abolendus est; sed potius ea peccati reliquiæ in corpore adhuc residuæ purgantur & aufferuntur; unde etiam S. Scriptura Mortem ceu beneficium, ceu requiem à laboribus atque peccato, ceu transitum ad vitam æternam considerat. δ. Si vero Apostolus dicit Jesum Christum destruxisse mortem, ita intelligendus est, ut significet Christum per sacrificium suum mortis effectus atque sequelas removisse atque destruxisse, non amplius enim cum metu atque terrore æterni interitus & supplicii conjuncta, sed potius solatii omnis fons est. Hanc vero Apostoli mentem esse inde patet, quia

1. alibi dicit: *Hominibus semel moriendum esse.* Heb. IX. 27. & alio loco: *Oportet enim eum regnare, donec ille omnes hostes sub ejus pedes subjecerit: Ultimus hostis delebitur mors.* 1. Cor. XV. 25. 26. quibus verbis indicatur, homini moriendum esse, & Christum gradatim suos & fidelium suorum hostes abolere. 2. Apostolum in dicto illo 2. Tim. I. 10. non plenariam mortis remporalis cassationem indicare, sed nonnisi effectus & sequelas, inde etiam patet, quia etiam alibi eandem adhibet loquendi formulam, quando ex. gr. dicit: *Sapientiam, inquam, non hujus Saeculi, neque principum hujus Saeculi, qui abolentur,* 1. Cor. II. 10. Ubi sensus non est, Deum per Evangelii praedicationem actu destruxisse quicquid potentis est, tam inter Judaeos quam inter Gentiles, sed quoad effectum, quod nimirum Deus conatus Sapientiae hujus Mundi, Potentium illius contra Evangelii progressum, inutiles reddiderit. 3. Neque dici potest, Deum praestita satisfactione adhuc poenam, & facta solutione adhuc redemtionis pretium exigere; pro omnibus enim peccatis Christus plenarie satisfecit, unde *plane potest servare eos qui per eum ad Deum accedunt,* Heb. VII. 25. At applicatio pedetentim fit, ut adeo inter ipsum meritum & meriti applicationem distinguendum sit.

§. CCXCVI.

Et, quae nova *Objectio* est, non habent Judaei cur humili Jesus Nazareni forma, ejus morte ignominiosa atque crucifixione offendantur, scandalumque accipiant, si modo attendere velint tum ad humilis ejusmodi status atque mortis necessitatem, si pro nostris peccatis satisfieri debeat (Propos. II. §. 98. & Propos. V. §. 104.),

tum

tum ad ea, quæ ab ipsis Prophetis de Christi passionibus & morte prædicta fuere (§. 138. 139.). Vetustissima autem hæc omnium contra Jesum Nazarenum fuit objectio; unde illam jam (Tom. I. Cap. III. §. 1237. in Scholio) præoccupavimus.

§. CCXCVII.

Ad eas nunc progredimur *Objectiones*, quæ contra Munus Christi Regium formantur, quarum præcipua eo tendit, ut ostendatur, nullam post Jesu Nazareni vitam in Mundo factam fuisse mutationem, Regni illius cœlestis nullum visum fuisse signum, neque in Gentibus, neque in Israële, neque in Ecclesia Christiana, ubique terrarum omnia scelerum genera grassari, Idololatriam, superstitionem, Ignorantiam crassissimam, ad hunc usque diem omnibus in locis obtinere, ut adeo dici minime possit, jamjam venisse Messiæ Regnum.

Hac ratione argumentatur Judæus ille apud LIMBORCHIUM scripto III. Quæsito I. Num. XIX. dicens: „Siquidem (Israël) nil hucusque vidit de eis „quæ de Messia fuere prædicta: Neque erga Deum „neque erga Israëlem, neque erga Gentes, neque „adhuc erga Christianismum. Deus à majoribus mundi partibus ignoratur, Gentibus in Idololatriæ luto „hærentibus: Israël in eadem, & majori dispersione, „quam ante ejus adventum per quingentos annos patiebatur; Christianismus totus in varias sectas divisus, & fere totus à principio Idololatricus: Vitia „in toto genere humano non minus regnant, quam „ante Christi adventum, nisi sit in aliquibus regeneratis, quos nemo novit: Diabolus etiam regnat ut „antea, & fere totum mundum cum Judæis in infernum præcipitat. Quos ergo effectus Israël istius „novi regni periclitatur, ut suum Messiam credat „jam ex cœlo regnum exercere in terris? Profecto „neque

„neque in Israële, neque in toto Christianismo ali„quam peculiarem Providentiam experimur, sive spi„ritualem, sive corporalem respicias. Paucis inter„jectis pergit: Sed ubi Israël vidit hanc Ecclesiam „(in qua nimirum Messias ut Rex regnet) plusquam „per mille & trecentos annos, ut ibi cognosceret „Regem cœlestem? Nondum venerunt Reformatores; „& quando venerunt, non meliorem locum obti„nuere in Christi Ecclesia quam Judæi, qui nec pos„sunt tales Christianismi dissensiones discernere, & „securiorem partem eligere: Ergo nunquam, clare & „plane, ut asseritur, viderunt Regem cœlestem.

§. CCXCVIII.

Omnino hæc omnibus Infidelibus & Incredulis communis est objectio, à vita Christianorum minus Christiana & à variis in Christianismo Sectis desumpta; sequentia autem difficultatem hanc tollent. α. Magna omnino in Mundo per Jesu Nazareni Doctrinam mutatio facta fuit, uti jam supra annotavimus; unde repetenda hic quæ §. 266. 267. à nobis dicta fuere, ex quibus abunde patet falsum esse, quod ratione scientiæ rerum divinarum atque vitæ omnia post Christi adventum in eodem manserint statu, in quo antea fuerunt. β. Ex quibus colligimus, quod hodierna etiam testatur experientia, Gentilismum dum Idololatria per Christi disciplinam longe lateque fuisse profligatum. Israëlem quod attinet, conqueretur eruditus Adversarius, in eadem, imo majori quam antea, dispersione esse At hoc ipsum est quod & Doctrina nostra & Regni Christi Natura requirit, ut rebelles nimirum subditi, Regni hujus expertes sint; an quæso Doctrinæ Christi id tribuendum, quod Judæi patria sua extorres sunt? Nonne potius Judæi adhucdum in Terra

patria

patria sua sospites atque tranquilli viverent, si vitam suam ad Christi disciplinam atque præcepta Evangelica composuissent? Neque ergo in omne nefas ruissent, ut justo Deo judicio, propter nefanda scelera, Evangelio è diametro contraria, miserrimo exilio fuerint puniendi. Non ergo Doctrinæ Christi sed propria culpa est, quod nullum adhuc Regni Messiæ signum inter ipsos reperiatur. Christianos denique quod spectat, fatendum omnino est, illorum vitam, si majorem spectes numerum, cum Christi Apostolorumque Doctrina minime convenire, & in varias partes Christianismum misere discissum esse; At 1. à parte majori ad nobiliorem argumentandum non est; licet subditi in regno hoc reperiantur rebelles atque immorigeri, inde tamen concludere minime licet, non ingentem numerum verorum Messiæ subditorum dari, qui omni allaborant studio, ut Doctrinæ Evangelicæ conformiter vivant, Legique Christi obediant. 2. Si vero plurima pars nonnisi Christianorum nomen gerat, id interno Christi regno nullum plane detrimentum affert; totus enim Sponsæ Messiæ ornatus internus est, oculis mundi non semper observabilis. Hoc volo dicere: quod licet veri Christi subditi hypocritis sint intermixti, sive talibus qui externe Christianos se esse mentiuntur, reperiuntur nihilominus, & quidem multi, qui sincero corde Christo sese subjiciunt, quique proprie Christi Regnum constituunt. Si vero magnus illorum sit numerus qui sceleratam agunt vitam, ii eoipso ostendunt Christi regnum in ipsis non esse, nec ipsos in Christi regno esse. γ. Non diffitemur tandem, Regnum Christi varios habere gradus, ut mox majus mox minus

sit,

ſit, quale illud etiam ipſimet deſcripſerunt Prophetæ; habet illud hoſtes ſuos, quibus Deus mox majorem mox minorem vim permittit, qua Regnum hoc divinum infeſtare poſſint, legatur Pſalmus XLVI. ubi David ſtatum illius, quatenus inter hoſtes Dei Eccleſia verſatur, graphice depingit. Ortum eſt Evangelium Solis ad-inſtar in oriente; nunc tenebris ibi, propter hominum vitia atque ingratitudinem, omnia tecta ſunt: at nova hæc lux jam in Occidente orta eſt, ut mox in Regione aliqua ignorantiæ nox atque tenebræ ingruant, mox alibi Evangelii dies oriatur, donec tandem cognitio Domini totam Terram, aquarum maris adinſtar, teget, & nomen Salvatoris unum erit in univerſa terra.

§. CCXCIX.

Alia, quam Judæi omnes afferunt, *difficultas* à bello à Meſſiæ cum Gog & Magog gerendo deſumta eſt, quod deſcribatur Ezech. XXXVIII. XXXIX. Cum vero Jeſus noſter bellum hoc non geſſerit, concludunt, eum etiam nec Meſſiam eſſe.

§. CCC.

At α. probandum ipſis incumbit in capitibus illis de Meſſiæ adventu ejusque bellis ab ipſo, perſonaliter præſente, gerendis ſermonem eſſe; plane enim nulla de hoc à Propheta mentio fit, quod ipſe nimirum Meſſias bellum hoc adornaturus ſit. β. Certamen hoc ipſimet Judæi in Mundi finem rejiciunt, quo demum tempore (deſperata cauſſa ſua), etiam ipſius Meſſiæ adventum exſpectant; unde duos hos eventus conjungunt, licet nihil de hoc Propheta dicat.

γ. Si

γ. Si vero nullum adsit fundamentum, cur duo hi eventus immediate, nullo interjecto temporis spatio, conjungantur, omnis etiam argumenti hujus vis perit. Neque vero prælium hoc, licet concedatur illud demum futurum esse, adventui Messiæ jamjam facto quidquam præjudicat.

§. CCCI.

Argumentum denique à templo tertio, Messia adveniente ædificando, *desumunt*, quod cum nondum impletum sit, concludunt, nondum venisse Messiam; adeoque nec Jesum nostrum illum esse posse. Quod argumentum prolixe urget MENASSE Lib. III. *de Resurrect.* Cap. VIII.

§. CCCII.

At α. in hoc contradicunt sibimetipsis Judæi, statuunt enim templum hoc demum post mortuorum resurrectionem extruendum esse. Ita enim MENASSE loc. cit. *Ex his igitur omnibus patet, quod Domus Domini Dei demum extruetur, ac dedicabitur, & terra sancta dividetur, post resurrectionem mortuorum, ut judicium extremum*; Et ipsum ergo Messiæ adventum demum post mortuorum resurrectionem futurum esse statuant oportet; quod quantopere S. Scripturæ adversetur dici vix potest; ut adeo Judæi semel à veritatis tramite discedentes ab uno absurdo ad alterum prolabantur. β. Sed nulla insuper Messiæ, ceu Templi hujus Architecti, apud Ezechielem mentio fit, unde omni caret fundamento, quod Judæi templi hujus exstructionem cum tempore Adventus Messiæ conjungunt. γ. Probent oportet Judæi Templum illud Ezechieli in visione monstratum non spiritualiter, sed corporaliter esse

intel-

intelligendum, quod impossibile est; siquidem multa in ejus descriptione occurrant, quæ sensum litteralem admittere nequeunt; dicitur enim inter alia, aquas ex sanctuario fluxuras, per quas incedere primum deinde natare cogebatur Propheta, quæ aquæ totam perfluunt Judæam, tandemque in mare magnum sese effundunt, pisceseque & animalia sanant. Omnia etiam in hoc templo mensura sua longe excedunt ea, quæ vel in primo Salomonis vel in secundo Zorobabelis Templo fuerunt; Imo tanta hujus templi est magnitudo, ut in loco, ubi priora extiterunt templa, ædificari propter amplitudinem suam minime posset. δ. Dicitur denique Templum secundum ultimum futurum esse, Hag. II. 10. quod vastandum dicitur. Dan. IX. 26. Ad quod Templum Messias venturus erat, non ad tertium aliquod, quo etiam facit dictum Malach. III. 1.

§. CCCIII.

Ad eas nunc accedimus *objectiones*, quæ contra veritatem Resurrectionis Christi ab Adversariis moventur. Quum WOOLSTONIO nemo melius Judæorum hac in re caussam agat, illius argumenta infra in Summam redacta allegabimus, adjungemus deinde nonnulla ex Judæo illo apud LIMBORCHIUM, quæ cum iis quæ WOOLSTONIUS dicit plane conveniunt. Ad tres nimirum classes omnia ea, quæ hic ab infidelibus ac incredulis contra Benedicti Salvatoris nostri historiam afferuntur, referri possunt. *Prima* ea continet, quæ Christi scopum in rebus à se dictis & factis respiciunt. *Secunda* classis ea comprehendit, quæ mortem illius spectant. *Tertia* denique

argumentorum classis Resurrectionis ejus veritatem impugnat. Dicunt nimirum Increduli, ut primæ classis argumenta enumeremus, Jesum Nazarenum cum nonnullis asseclis ad rem magnam aliquam moliendam conspirasse, ut ipsius Resurrectio non eum solum in finem fuerit excogitata ut homines fallerentur; sed ut hac fictione maximi momenti molimina ad actum perduci possent. Fundamenti loco propterea Increduli tria supponunt α. Maximam Populi Judaici partem admodum fuisse superstitiosam. β. Quod Judæis nonnulla fuerint Prophetarum oracula, quæ prædixerint aliquando magnum inter ipsos extiturum Principem, qui illorum caussam adversùs hostes tuiturum sit. γ. Augusti tempore miserrimum Judæorum fuisse statum, ut Liberatore nunquam magis indiguerint. Adeo ut nullo tempore magis Judæi talem liberatorem exspectaverint optaverintque. Factum inde esse ut nonnulli extiterint homines audacissimi, qui promissum illum liberatorem se esse dicere ausi sint. Inter illos autem Impostores, absit Blasphemia dicto, Jesum etiam Nazarenum fuisse asserunt, qui cum optime viderit, impossibile plane esse ut armis atque vi contra Cæsarem ejusque Legiones pugnari posset, longe eum alio modo rem adgressum esse dicunt, Regnumque non mundanum sed spirituale ac cœleste à Prophetis promissum esse perhibuisse; unde in statu admodum humili Messias illas comparere debuerit, Ut autem finem suum consequeretur Christus, duodecim ipsum ex infima plebe elegisse Asseclas, qui magnos in futuro Regno honores sperantes ipsi constantissimé adhæserint ; Cumque Judæi admodum creduli miraculis Religionem suám à

Mose

Mose confirmatam persuasissimi fuerint, Jesum etiam hanc credulitatem in usus suos convertisse, sibique miracula patrandi vim atque potentiam vindicasse. Commotam propterea fuisse totam Judæam; cumque viderint Jesum & opere & verbis potentem admodum esse, Plebem aliquando Regem ipsum coronare molitam esse, alio tempore ipsum triumphum agentem comitatam, ut si rei felix semper fuisset successus, haud dubie Regnum illud cœleste, quod Christus præ se ferebat, in mundanum fuisset mutatum. Nimia autem Plebis impatientia, nimiique motus ab ingenti multitudine excitati in caussa erant, ut Primores populi, & ipse etiam Præfectus Romanus, seditiosis hisce motibus sedandis operam dederint. Jesus vero videns moriendum sibi esse, veteres prætexebat Prophetias, dicebatque, in Cruce sibi moriendum, tertio autem die se resuscitatum iri perhibuit, ut inceptum semel opus à Discipulis suis continuaretur; omnia enim alias, quæ Jesus inceperat, irrita fuissent facta, si ipsum in sepulchro mansisse à plebe creditum fuisset; ut adeo Christus moriturus Discipulis suis Regnum propagandi curam mandaverit, modumque ipsis ostenderit, quo felicissimo cum successu à se inchoatum opus perficere possent.

Incredulorum hac de re Systema in summa exhibet Autor tractatus sexta vice Anglico sermone editi, in Galliam deinde linguam versi, qui hanc præ se fert rubricam: *Les temoins de la Resurrection de Jesus Christ, examinés & jugés selon les Regles du Barreau, pour servir de Response aux objections du Sr. Woolston & de quelques autres Auteurs.* Ubi Pag. 17. & seqq. ex WOOLSTONIO aliisque Incredulis ipsorumque Systema de Jesu Nazareni vita

operibusque hisce exponit verbis: „Je vais mainte„nant exposer à vos yeux une scene des plus surpre„nantes. *Il y a long-tems qu'on parle de la Re„surrection de Jesus; &, au grand étonnement „de tout homme qui peut penser librement, elle a „été crue dans tous les âges de l'Eglise* (c'est ainsi „que parle le Sr. WOOLSTON, dans son VI. Disc. „p. 17.) Cette creance constante, & universelle, „fait presumer à la plûpart des gens, qu'il faut qu'el„le soit bien fondée. En tout autre cas, l'evidence „du temoignage demontre la verité de l'histoire; „mais ici le cours qu'a eu l'histoire, en fait toute la „certitude (WOOLSTON pag. 4.) il feroit à sou„haiter, que les Livres publiés par les anciens Juifs „contre Jesus, n'eussent pas été perdus; car, ils nous „auroient sans contredit découvert toutes les circon„stances de ce complot. Mais, par bonheur pour „nous, le Recit même, que les prétendus témoins de „cet évenement noux en font, suffit pour en détrui„re la créance. La Resurrection de Jesus ne fut point „controuvée pour le seul plaisir de tromper les hom„mes. Non! ce fut pour soutenir de grandes vües, „& pour l'amour des suites avantageuses qu'elle de„voit, naturellement avoir. Ainsi il est nécessaire „de vous exposer ces vües, afin que vous puissiez „mieux juger de cette partie du complot, quand „je vous en aurai decouvert tout le mystére. Le „Juifs étoient un Peuple credule, & superstitieux; „& comme cela est ordinaire à des gens de ce cara„ctére, ils ajoutérent foi à quelques Prophéties „transmises par la tradition, lesquelles concernoient „leur Pais. Ils avoient, outre cela, quelques an„ciens livres qu'ils regardoient comme le Ecrits de „certains Prophétes, qui avoient autrefois vecu par„mi eux, & dont la memoire leur étoit en grande „veneration. Se fondant sur ces anciens Livres, & „sur ces traditions, ils conçurent plusieurs espéran„ces chimériques, & entre autres celle-ci: qu'un „jour, il s'éleveroit au millieu d'eux un grand Prin„ce, un illustre conquerant, qui détruiroit tous leurs „ennemis, & qui leur assujettiroit toute la terre. Du

„tems

„tems *d'Auguste* (voiés *the Schem of litteral prophe-*„*cy*, attribué à Mr. COLLINS pag. 26.) ils étoi-„ent reduits à un triste état, sous le joug des *Ro-*„*mains*: Et comme ils n'avoient jamais eu plus de „besoin d'un Liberateur qu'alors, aussi ne l'attendi-„rent-ils jamais avec plus d'impatience, & leur at-„tente se changea bien-tôt, comme c'est l'ordinaire „des esprits foibles, en une forme persuasion que ce „grand Liberateur ne tarderoit pas à venir. Cela „fournit à quelques hommes adroits, & entrepre-„nans, l'occasion de se faire passer dans le monde, „pour le Prince si long-tems, & si passionement at-„tendu. *Et il n'y a rien de plus naturel, ni de* „*plus ordinaire, pour exciter, & pour autoriser* „*des séditions, que de les fonder sur nouvelles* „*Prophéties anciennes; les Prophéties étant con-*„*formes au génie superstitieux du vulgaire, &* „*aiant sur lui un pouvoir égal à celui de la Re-*„*ligion* (ibid. 26.) Aussi vit-on paroitre alors plu-„sieurs Imposteurs, qui se vantoient d'être le Libe-„rateur promis; mais, & eux, & le Peuple qui les „suivit, périrent dans leur folle entreprise. Mais „*Jesus*, sachant bien, que les victoires & les triom-„phes ne sont pas des choses susceptibles d'illusion; „sachant bien, que la nation ne pouvoit être delivrée du joug des Romains par des tours de passepasse; „& n'aiant aucune espérance de pouvoir faire tête à „Cesar & à ses Legions prit une route plus sure, pour „executer son dessein. Il dit qu'il étoit le prince „prédit par les anciens Prophétes; mais, en même „tems; il soutint qu'on s'étoit jusques-là trompé sur „le sens des Prophéties qui l'annonçoient. Il préten-„dit, que ses Prophéties ne regardoient point les „Roiaumes de ce Monde, mais le *Roiaume des Cieux*, „que le Messie devoit paroitre dans l'humiliation & „les souffrances, & non comme un grand Conque-„rant; & qu'il devoit venir, non pas avec des che-„vaux & des Chariots de guérre, mais *monté sur un* „*âsne & dans un Esprit de paix & d'humilité.* Par-„là il s'assura le fondement ordinaire & necessaire „des nouvelles Revelations, savoir qu'elles soient fon-

„dées & établies sur une Revelation precedente (voiés „*the discourse of the Grounds* &c. Ch. IV.)

„Pour conduire adroitement son dessein, Jesus choi-„sit douze hommes sans biens, sans education, & „d'un génie si grossier, qu'il n'étoit pas à craindre „qu'ils découvrissent le complot. Et ce qu'il y a de „plus merveilleux, & qui montre bien leur capacité, „pendant que leur Maître prechoit le *Roiaume des* „*Cieux*, ces pauvres gens, toujours imbus des préju-„gés de leur Nation, attendoient à toute heure qu'il „s'en declarât le Roi, & se disputoient entre eux à „l'avance l'honneur d'être son premier Minister. Cet-„te attente produisit ce bon effet, qu'elle les tint „constamment attachés à la personne & aux interêts „de leur Maître.

„Il faut remarquer, outre cela, que les *Juifs* avoient „d'étranges idées de certains Pouvoirs surnaturels; „& comme leur Religion étoit fondée sur la Créance „de certains Miracles, qu'on disoit avoir été faits par „Moïse leur Legislateur, aussi les voioit-on courir sans „cesse aprés tout ce qui avoit l'air de prodige, & „prêts à ajouter foi à toute sorte de Contes, dés „qu'il y avoit du merveilleux. Or, comme il falloit „quelque chose d'extraordinaire, pour mettre *Jesus* „en état de soûtenir ses prétentions, il profita adroi-„tement de cette credulité du Peuple, & s'erigea en „Faiseur de Miracle. Ses disciples étoient tels qu'il „pouvoit les souhaiter, pour se laisser eblouir par-„là; ils virent, ou ils crurent voir, plusieurs choses „surprenantes, & se trouvérent tout disposés à en „repandre le bruit. Cette conduite eut le succés qu'il „desiroit. Toute la *Judée* fut émuë, & retentit de „la nouvelle de la venuë d'un grand Prophéte. Le „peuple étoit trop infanté de ses propres chiméres, „pour faire attention à l'idée d'un *Roiaume Celeste*: „Il voioit un homme *puissant en œuvres, & en pa-„roles*; & de la il conclut, que c'étoit effectivement „le Prince que toute la Nation attendoit. Aussi en-treprit-il une fois de l'etablir Roi, & une autre fois „il l'accompagne en triomphe à Jerusalem. Cette „consequence naturelle découvre le but naturel de ce „complot. Si les choses fussent bien allées jusques

„au

„au bout, il eſt probable que le *Roiaume des Cieux* „auroit été changé en un Roiaume de ce Monde. Le „malheur voulut quo ce deſſein échouât, par l'impatience & la precipitation de la multitude, qui „alarma, non ſeulement les principaux *Juifs*, mais „encore le Gouverneur *Romain*.

„Les choſes étant venuës à ce point, & *Ieſus* „voiant qu'il ne pouvoit éviter d'être mis à mort, „il declara que les anciens Prophétes avoient pré„dit que le Meſſie mourroit ſur une Croix, & reſu„ſciteroit le troiſiéme jour. Par ce moien, il facilita „la continuation d'un Complot, qui, ſans cela, ſeroit „mort avec lui. Ce fut le Legs qu'il laiſſa à ſes diſci„ples, & que tant eux, que leurs ſucceſſeurs, ont ſi bien „ſû fare valoir, qu'il a enfin produit effectivement „un Roiaume. un Roiaume de Prêtres qui ont gou„verné le Monde pendant pluſieurs ſiécles, & ont „été aſſez forts pour braver les Empereurs & les „Rois. Mais, heureuſement, les Ecrits des anciens „Prophétes, aux quels on en appelle, ſubſiſtent enco„re; & comme un n'y trove point ces prétenduët „Prophéties de la Mort & de la Reſurrection du *Meſ„ſie*, ils ſont une preuve conſtante de la fauſſeté de „cette hiſtoire. Cependant, ce à quoi *Jeſus* s'étoit „attendu arriva en effet; il mourut ſur une croix, & „il laiſſa a ſes diſciples & à ſes Sectateurs le ſoin de „pourſuivre le Complot qu'il avoit formé.

§. CCCIV.

Breviſſimas ſolidiſſimasque Autor tractatus ſupra citati adjicit ſtricturas, ex quibus nonnulla hic retinebimus, alia autem adhuc rejiciemus, quanum licet brevitati ſtudebimus. α. Unica *Reſponſio* ſufficeret ad totum hoc ædificium deſtruendum, ſi nimirum ab Incredulis poſceremus, ut ſua eodem modo probent, quemadmodum nos noſtra probamus; Illi enim argumentis ad cauſſam ſuam tuendam plane deſtitui, aut res factas

ſimpliciter negant, aut aliud aliquod ſyſtema excogitant, quod nullo alio nititur fundamento quam ſola Autoris inventione; proptereaque nec inter ſe nec cum aliis rebus, quarum veritatem ipſimet Adverſarii inficiare nequeunt, Syſtema eorum cohæret; ſed novis ſemper figmentis opus eſt. Fit inde, ut maximus inter Incredulos ſit diſſenſus, ut unus hoc, alter alio modo rem concipiat; contra omnes Chriſtiani quoad ipſam Hiſtoriam Evangelicam maxime inter ſe conſpirant, cum Fides illorum certiſſimis atque infallibilibus nitatur documentis. β. Deplorant Adverſarii, quod perditi ſint illi libri, quos Judæi olim contra Chriſtianam ſcripſerint Religionem. At undenam Incredulis conſtat unquam ejusmodi extitiſſe Libros? Sciuntne, ſi tales exiſterent, num ad cauſſam ſuam tuendam multum conferrent? annon potius ipſa veritas Evangelica, licet certiſſima, ex iis ſtabiliri poſſet? Et ſentiunt Adverſarii alia ſibi deeſſe argumenta, optant propterea ut tales exiſterent Libri, quos unquam extitiſſe non conſtat. γ. Mirantur omnes Increduli cum WOOLSTONIO Chriſti Reſurrectionem conſtanter omnibus Chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis à tanto hominum numero fuiſſe creditam. Conſtantem vero illam nunquam interruptam, nec unquam corruptam Librorum Evangelicorum per tot generationes, inter tot longiſſime à ſeinvicem diſſitas Nationes, Traditionem, ſolidiſſimum veritatis Hiſtoriæ Evangelicæ fundamentum eſſe (Propoſ. VII. §. 164 - 169.) probavimus. Mirantur vero Adverſarii illam conſtanter fuiſſe creditam, & hanc quidem ob cauſſam mirantur, quod illa fuerit inventa & conſtanter tamen credita. At undenam ſciunt eam

inven-

inventam esse? certe aliud argumentum non habent, quam hoc, quod incredibile ipsis videatur Jesum Christum à mortuis resurrexisse. Fides autem nostra nititur necessitate adventus Filii Dei in Carnem, nititur certissima Fide Historica, cujus omnes circumstantiæ cum reliquis veritatis partibus conspirant; cui nullum ex iis requisitis deest, quæ ad Historiam Fide dignam pertinent, quæ constanter, ipsis Adversariis confitentibus, à Patribus, non interrupta serie, Filiis fuit tradita, & à primis Christianæ Ecclesiæ incunabilis semper credita. Judicent ergo ipsimet Adversarii nostri, à quanam parte veritatis certitudo stet, si rem sepositis omnibus falsæ sapientiæ præjudiciis perpendere velimus.

§. CCCV.

δ. Judæos Adversarii describunt ceu Populum admodum superstitiosum ac credulum, omnibus Pseudo-Prophetis ac Miracula venditantibus facile fidem habentem. Nec ergo in hoc sibi constant Adversarii, mox optant ut Libri illi adhuc superessent, quos Judæi contra Jesum Nazarenum scripserint; quique adeo Pseudo-Prophetæ sese opposuerint, minimeque creduli ac superstitiosi fuerint; mox vero tales ipsos describunt, qui seduci se facillime passi sint. ε. Nonnullos Libros Judæis fuisse dicunt, quos Prophetias in se continere crediderint. Mosen vero Prophetam reliquosque ab impostura jamjam vindicavimus, ostendimusque talia in Libris V. Testamenti contineri Oracula, quibus veræ Prophetiæ characteres inesse negari neutiquam possit, unde ea quæ contra Atheos & Naturalistas probavimus hic non repetimus. ς. Ajunt Judæorum

communem fuisse opinionem in Libris Propheticis illis promissum esse strenuissimum aliquem Principem, qui illos ab inimicorum suorum servitute liberaturus, & Regnum illorum, reformatis rebus, in optimum restituturus sit statum. Cum vero Judæi nullo tempore magis opus habuerint tali principe, inde maximam ejus fuisse exspectationem. Hanc fuisse caussam cur Jesus Nazarenus, tempori inserviens, hunc se Principem simulaverit, sibique Prophetias illas applicaverit, Populique præjudiciis conformiter egerit. At si decipere Populum Jesus voluit, hancque arripere occasionem, cur quæso Prophetias illas alio plane modo explicavit ac communiter à Judæis factum fuit, talemque induit personam, quæ Judæorum opinioni minime respondit? quare Populi Principibus atque Doctoribus ubique se opposuit? quare tales præscripsit vitæ regulas, quæ Doctrinæ receptæ erant adversæ? quare Judæorum traditiones refutavit & emendavit? quare nonnisi de humilitate, de paupertate, de perferendis injuriis, de Cruce aliisque rebus ingratis locutus est. Etiam in hoc Adversarii sibi contradicunt, mox perhibentes, Jesum Nazarenum Populi præjudiciis ac opinioni sese accommodasse, mox aliam plane interpretationem Prophetiis illis eum dedisse, dicentes, ut Messias, qualem ipse docuit, desideriis & exspectationi Judæorum minime conveniret.

„Je ne sai, (*inquit citatus Autor*,) comment accorder „les prémisses de ma partie adverse avec sa conclu„sion; jusqu'ici il symble qu'il y ait une grande op„position. Si le meilleur moien qu'un imposteur „puisse emploier pour reüssir, est, de se fonder sur „des opinions populaires, sur des préjugés & des ora„cles

„cles généralement reçus; dans ce cas, certainement „un Imposteur ne sauroit suivre de plus mauvaise „methode, que de se declarer contre les préjugés, „& les prophéties de son païs. Où étoit donc l'ar„tifice, & l'habilité en *Jesus* de prendre ce dernier „parti? Que pouvoit-il en attendre, qui de la hai„ne, du mépris, & des persecutions? Eprouva-t-il „en effet autre chose de la part des Juifs? Et ce„pendant quand il vit, comme Mr. A. le suppose lui „même, qu'il ne pouvoit manquer de périr dans son „entreprise, changea-t-il de plan? Se mit-il à re„pandre dans le public, ou lui échapa-t-il seulement „la moindre chose, qui fut conforme aux préjuges du „Peuple; C'est ce qu'on ne prétend pas. Cette „conduite, qui dans tout autre cas, seroit regardée „comme une marque évidente de grande probité, ou „de grande stupidité, ou de tous les deux ensem„ble, est éstimée, dans celui-ci, artifice, politique „& finesse toute pure. . . . de sorte que, quand „*Jesus Christ* combattit cette opinion (d'un Prince „temporel), au peril manifeste de sa vie, il est à „présumer que ce fut pour l'amour de la Verité qu'il „le fit, puisqu'l avoit inconteſtablement la Verité „de son coté.

§. CCCVI.

Judæorum ergo præjudiciis in omnibus sese opponebat Jesus Christus. Ipsi Principem exspectabant mundanum ac bellicosum, Jesus dicebat quod fallantur in hoc. Illi nihil magis sacrum habebant Traditionibus suis, Christus vero illas Legi contradicere pronuntiabat. Non majus ipsi habebant palladium quam quod Abrahami, Isaaci & Jacobi Filii essent; Christus hanc prærogativam nullam esse ipsis monstrabat. Judæi in hoc maxime gloriabantur, quod peculiari modo populus Dei essent, quod non solum ipsorum essent Patres, sed & Fœdera, Legislatio, promissiones, quod sibi solis concredita essent

divina

divina oracula; Christus vero docebat etiam Gentes ab omnibus mundi plagis ad Evangelium & veram Ecclesiam conversum, Populum vero Judaicum propter incredulitatem rejectum iri. Judæi existimabant nullo in loco Deum colendum adorandumque esse quam solis Hierosolymis; Jesus autem dicebat, omni in loco verum Dei cultum peragendum, Deumque ubique in Spiritu & veritate adorandum esse: Nihil majori in pretio Judæi habebant quam rigidam Sabbathi observationem; Jesus vero se Sabbathi Dominum profitebatur, cui jus fasque esset de ejus observatione dispensandi. Imo Christus Doctrinam suam in omnibus Judæorum præjudiciis opposuit, ut publice accusatus fuerit, quod Legem, Prophetasque transgrediatur & aboleat. In omnibus ergo quæcunque Christus fecit dixitque ab omni Impostorum more longissime recessit, & tamen Adversarii asserere audent, Jesum Populi præjudiciis sese accommodasse. Et quod Christus fecit, post ejus ex hac terra discessum etiam Apostoli fecere.

§. CCCVII.

ζ, Dicunt Increduli, ad introducendam novam aliquam Religionem revelatam, hoc communi & necessario fundamento opus esse, ut ostendatur jam præcedentem aliquam existere Revelationem jamjam receptam, cum qua nova illa Revelatio, quæ jactatur, conveniat; inde Christum semper ad Prophetias à Judæis divinas habitas provocasse. In quantum assertio hæc vera sit nunc inquirere nolumus, nonnisi hoc jam monuisse sufficit; quod si Christus per Imposturam, hanc novam Religionem fundandi viam

elige-

eligere voluisset, etiam communi Judæorum prophetiarum harum interpretationi sese accommodasset, neque omni occasione falsa ipsorum interpretamenta rejecisset. Quisquis enim Impostor, qui jam receptam Religionem fundamenti loco ponere vult, illique novam inædificare, id curare debet, ut hominum opinioni faveat, neque omnia, quæ hactenus pro veris habuerunt, respuat; Christus vero contrarium fecit (§. Præced.); unde quidem Prophetias & præcedaneas revelationes fundamenti loco posuit, at non eo sensu, sed contrario potius, quam hactenus creditum erat.

Apponere hic lubet COLLINI verba quæ extant pag. 24. *Discursus ejus* des fondements, & des raisons du Christianisme: „*C'est parce qu'il doit être difficile, „si-non impossible, d'introduire parmi les hommes, „qui dans tous les Païs civilisés, sont élevés dans la „créance de quelque Religion revelée, une Revela„tion entiérement nouvelle, ou telle qu'elle n'ait „point de rapport à une revelation précédente; „car, ce seroit combattre le sentiment de tous les „hommes à trop d'égards, & ne pas agir sur un „nombre suffisant de principes qui doivent être „necessairement reçus par ceux à qui l'on se pro„pose de donner les premiéres impressions d'une „nouvelle Religion.*„ Si ergo, unquam, Impostura usus esset, Principia illa in Prophetarum Oraculis contenta, ad novam fundandam Religionem, eo adhibere debuisset, sensu, quo à plurima Judæorum parte fuere intellecta, nec contrariam planè ipsis significationem dare.

§. CCCVIII.

Contendunt Adversarii, Christum ad moliminis sui executionem tales elegisse discipulos

atque

atque Consilii sui Consortes, qui ad exsequendum opus hoc maxime fuerint idonei, neque propter stupiditatem illorum metuendum erat, ut consilia illa clandestina detegerent. Sed quæsumus *a.* Quis ingenti alicui operi exsequendo aptior sit, num homo aliquis simplex, indoctus, stupidus? quales ipsi Adversarii Christi Discipulos describunt: An vero callide moratus, astutus & doctus, qui simulare & dissimulare potest; haud dubie posterior: *ß.* Contradicunt sibi Increduli quando ab una quidem parte Apostolos ceu ignaros stupidosque considerant, ab altera vero parte ceu tales, qui post Jesu Nazareni mortem ingens illud Opus soli efficere potuerint. Qui quæso factum fuit ut antea stupidi, ignari, simplices existentes, nunc unico momento fiant callidissimi, magno operi suscipiundo aptissimi, doctissimi, sapientissimi? *ϑ.* At quodnam opus illud fuit, quisnam scopus ille quem Christus intendebat? Hic nempe, ut Populo persuaderet se magnum illum Principem Populi Liberatorem à Prophetis promissum esse; & ut Regnum aliquod mundanum erigeret. Sed quibusnam mediis Chtistus ad finem hunc consequendum usus est? Ipsis Adversariis confitentibus Opinioni Populi sese opposuit, minime ejusmodi Principem exspectandum esse dicens, qualem ipsi optarent; Tales insuper elegit asseclas qui erant stupidi, simplices atque ignari; Cumque Regem ipsum Populus coronare vellet, recusat. Omnibus ergo fini consequendo adversis utitur mediis; & tamen ipsum callidissimum Increduli Impostorem vocant; hæc quomodo conciliari possint non video. At, inquiunt, Christus Populo callidior fuit, vidit nimirum circumstantias nondum

dum satis ipsi favere, ut publice Regem se declararet, unde ad commodius aliquod tempus illud distulit; prævidens vero ultimum de se sumtum iri supplicium, cum Populi Magnates jamjam consilia caperent, quomodo ipsum ceu hominem seditiosum tranquillitatique Reipublicæ valde noxium è medio tollerent, prædixit cruci se affigendum esse; nihilominus tamen, fatentibus Adversariis, Hierosolymam sese confert, triumphans acclamante Populo Urbem ingreditur, ut ipsimet Populi Principes ipsum attrectare non auderent; nec tamen Christus hac utitur occasione, ut Regem se creari permitteret, sed iterum eam prætermittit; & licet jamjam sibi moriendum esse præviderit, nec tamen Populi favore utitur ut mortem ignominiosam illam evitaret, nec Hierosolymis fugit ut ab inimicorum insidiis tutus esset. Quis quæso omnia hæc ænigmata solvere poterit, nisi simplicem assumamus Evangelistarum narrationem, quam si veram agnoscimus, clavis ad omnia habetur.

§. CCCIX.

1. Ne tamen omnia Christi consilia irrita fierent, sed ut ingens illud Regni erigendi opus etiam post ejus mortem perficeretur, hujus rei curam Discipulis suis reliquit; ut tamen scirent qua ratione aut quo prætextu agere possent, Jesus se tertio die se resurrecturum dixit, qua fraude Apostoli ad Regnum illud stabiliendum uti possent. *Ut* paucis *respondemus*, tot hic occurrunt impossibilia atque absurda, ut concipi fere non possit, quomodo homines singulare ingenii acumen jactantes, uti Increduli, huc delabi potuerint, ut, nisi fictionibus delectarentur, hoc cre-

crederent. Discipuli hactenus stupidi, illiterati, simplices, nunc unico momento fiunt callidissimi & magno operi moliundo aptissimi. Hactenus Christus omnem curam solus gessit, nunc ubi res sunt periculosissimæ illam Discipulis relinquit; idque ipsis mandat, ut Jesum à mortuis resurrexisse fingant, huicque fundamento totum opus inædificent. At quomodo Christus credere potuit fictionem illam cum veritatis specie possibilem esse? quomodo sperare potuit simplices illos, quos elegerat, discipulos in posterum astutissimos agere posse Impostores? longe enim opus illud tunc temporis quam antea difficilius erat. Quis quæso Discipulis fidem habere potuit à mortuis eum resurrexisse, à quo ceu rebelli modo ultimum sumtum erat supplicium, nisi certissima hujus veritatis fuissent indicia? Cogitavitne Christus, homo astutus atque callidus, Discipulos suos ita tegere posse Imposturam illam, ut à Populi Primoribus illa non detegeretur. Quantopere igitur Incredulorum figmentum ab omni Veritatis specie abhorreat dici vix potest.

§. CCCX.

Ajunt Adversarii nostri, per Conspirationem hanc tandem quoddam Regni genus fuisse erectum, quod ad hunc usque diem ab Ecclesiasticis administraretur. Sed non considerant Adversarii 1. Regimen hoc Ecclesiasticum Doctrinæ Christi plane adversum esse, qui Discipulis suis Primatum ambientibus dicebat: *Hoc vobis confirmo nisi mutati fueritis, & pueris similes redditi, non intrabitis in cœleste Regnum: Quisquis ergo seipsum submiserit, ut est hic puer, is erit in Regno cœlesti maximus.* Matth. XVIII. 3. 4. Et ex Christi mente

Apo-

Apostolus Petrus dicit: non imperio utendum, sed pascendas esse oves Domini: *Igitur seniores*, inquit, *vestros cohortor, ipse quoque senior, & Christi suppliciorum testis, & idem repræsentandæ gloriæ socius, pascite istud ovile Christi, id non inviti sed sponte curantes: non avare, sed alacriter: neque ut gregibus imperantes, sed ut qui ovilis exempla sitis.* I. Pet. V. 1. 2. 3. Et Christus & Apostoli nihil magis inculcabant, quam Magistratibus Politicis obtemperandum esse. 2. Regimen illud Ecclesiasticum, aliquot demum sæculis post Christum ortum, ad exitium Ecclesiæ tendebat, ut nihil fere ex Christi Doctrina rententum fuerit. Si ergo Dogmata à Christo Apostolisque tradita; cultusque ab ipsis institutus, plane immutatus fuit, ipsi Christi Doctrinæ id neutiquam adscribendum est; siquidem & Christus & Apostoli prædixerunt falsos extituros Doctores; Discipulosque tam verbis quam Scriptis monuerunt, ne seduci se ab ipsis paterentur. Quis ergo dixerit Jesum eum in finem mortuum esse, ut Papas & Cardinales constitueret? Quantacunque igitur Doctrinæ Christi corruptio oriretur, ex Incredulorum mente, ea semper Christo tribuenda esset, semper fuisset finis à Christo intentus.

§. CCCXI.

2. *Inquiunt* tandem *Increduli*, Jesum mortem & resurrectionem suam prædicentem ad Prophetarum provocasse oracula; Libros autem propheticos illos adhucdum esse superstites, neque ibi inveniri ea quæ Christus dixerit, dum Resurrectionis ejus plane nulla in iis mentio fiat; unde facile pateat nonnisi fraudem hæc omnia fuisse. *Respondemus* 1. Non prudentis & callidi

fuisse impostoris, provocare ad testimonium aliquod Librorum nemini non notissimorum, si nihil ibi occurreret quod ad præsentem casum applicari deberet & posset; Unde si vel Christus (absit blasphemia dicto) merus fuisset impostor ad scripta illa non provocasset, nisi invenirentur in iis quæ Messiæ morti & resurrectioni applicari possent & deberent; ut hoc in casu nonnisi Personæ errorem commisisset, sibi ea applicans, quæ alii cuidam personæ quæ nondum extitit adplicanda essent. At hoc nihil ad rem, num Increduli prophetias in Libris Veteris Testamenti inveniant nec ne, quæ Messiæ passuro & morituro applicandæ sunt; sed hoc sufficit, ipsum Christum prædixisse mortem & passionem suam, id ergo Adversariis incumbit, ut ostendant, hanc Christi prædictionem non impletam esse. 2. Christus hunc resurrectionis eventum divinæ missionis suæ fundamentum faciebat, neque Judæis signum ab ipso poscentibus aliud dare volebat quam hoc, se tertio die resurrecturum esse; omnis ergo controversia huc redit: Num Christus revera resurrexerit nec ne? Hunc maxime proprium Messiæ Characterem esse ipsimet Adversarii non negant Si autem Jesus Christus revera Impostor fuisset, ad hoc divinæ missionis suæ testimonium provocare non ausus fuisset, siquidem bene prævidere potuit, omnem inimicos suos curam gesturos, ut hujus rei falsitas manifesta fieret.

Car, par sa propre prédiction, il a fait de cela même un des caractères du Messie. Si l'évenement a justifié sa prédiction, c'est une preuve, qu' aucun homme de bon sens ne sauroit rejetter. Il semble naturellement, qu'en prédisant sa Resurrection

rection d'une maniére si formelle & si publique, que ses plus mortels ennemis en furent pleinement instruits, il ait donné la plus grande marque de sincerité qu'on puise desirer. Vide Authorem Tractatus supra citati pag. 40.

§. CCCXII.

Objiciunt hic cum Judæis Increduli, effractum fuisse Præfecti sigillum, & dormientibus vigilibus corpus Christi ablatum, cujus rei manifestum sit indicium, quod ante prædefinitum tempus, sive tres dies, hoc evenerit. Neque publice unquam Christum se post mortem populo monstrasse ajunt, cum juxta Evangelia omnia reliqua miracula publice in urbium plateis fuerint facta; qui tum factum, inquiunt, ut solum hoc miraculum, in quo omnis Christianæ Religionis versatur cardo, clam factum sit, cur Christus Pontificibus reliquisque populi Primoribus nunquam sese ostenderit. *Quod si,* inquit Judæus apud LIMBORCHIUM Scripto III. Quæsito IV. Num. III., *Christus jam ex mortuis suscitatus toti Israëlis cætui publice dixisset: Audi Israël, ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: & nunc de majore captivitate peccati, quem tu sacrilegus occidisti; Abs dubio totus Israël credidisset usque in præsentem diem, nec dubitationi locus relinqueretur.* Addunt, multa in historia apparitionis Christi post mortem inveniri, quæ conciliari minime possint; neque sufficientibus totam historiam illam firmatam esse testibus.

Omnes difficultates atque objectiones huc pertinentes Auctor libri modo citati pag. 42. seqq. & pag. 74. seqq. iis comprehendit verbis quæ nunc apponemus: „Aprés que *Jesus* eut été crucifié, on porta

„son corps mort dans un sepulchre ; & l'on crût gene„ralement, que c'étoit la fin du complot. Mais les „principaux *Juifs*, attentifs à la sureté du peuple, „se souvinrent qu'il avoit dit pendant sa vie, qu'il „resusciteroit le troisiéme jour. On peut d'abord „être surpris qu'ils fissent quelque attention à une „confiance & de présomption, & qui, à en juger „par le sens commun, portoit avec elle sa refutation, „(*Et il n'y a aucune autre Nation au Monde*, „*qui n'eut méprisé un si vain Pronostic d'un Impo*„*steur reconnu pour tel* (sunt verba WOOL„STONII Discours VI. pag. 6.) Mais les „*Juifs* avoient été avertis de se tenir sur „leurs gardes. Il n'y avoit pas long-tems, „que *peu s'en étoit fallu que le peuple n'eut* „*été fatalement abusé, & trompé par Jesus*, „*dans la prétenduë Resurrection de Lazare* (loc. „cit. pag. 8.) Le Magistrat avoit pleinement de„couvert la fraude dans cette rencontre, & avoit „eu bien de la peine d'en prévenir à tems les dan„gereuses consequences. Et quoique *Jesus* fut „mort, il avoit un grand nombre de Disciples & „de Sectateurs vivans, qui étoient assez disposés „a entrer de concert dans quelque fourberie que „ce fût pour vérifier la prédiction de leur Mai„tre. Le Conseil prévit, que si un Complot de „cette nature venoit à reussir, les suites en seroi„ent encore plus fatales que celles qu'il avoit au„paravant heureusement prévenuës. Et voila pour„quoi il s'adressa au Gouverneur *Romain*, & lui re„présenta la chose ; le priant de lui donner des „Gardes pour poser auprès du sepulchre ; & l'assu„rant que ce ne seroit pas pour longtems, la pré„diction aint fixè la Resurrection au troisiéme jour, „& que quand ce jour-là seroit écoulé, les Soldats „pourroient être déchargés. Pilate leur accorda „leur demande ; & l'on mit une garde auprès du „sepulchre, pour en prendre soin. Ce ne fut pas „tout. Les principaux sacrificateurs prirent une au-

„tre

„tre voie, pour prévenir toute espèce de fraude, & „la meilleure assurément qu'il fut possible de pren- „dre ; ils scellérent la porte du sepulchre. Pour „comprendre a quel but ils usérent de cette prè- „caution, vous n'avés qu'a vous rappeller ce que „l'on se propose en apposant le sceau à une porte, „à un coffre, ou à un Ecrit. N'est ce pas pour la „satisfaction de tous les interessés, afin qu'ils puis- „sent être aussurés que les choses sont bien dans le „même état où ils les ont laissées, quand ils re- „viennent & qu'ils trouvent que leurs sceaux n'ont „point été rompus ? C'est ainsi qu'en usa *Darius*, „lorsque *Daniel* eut été jetté par son ordre dans la „fosse des Lions ; il scella la porte de la fosse. Et „a quel propos la scella-t-il ? Ne fut-ce pas pour „s'assurer lui-même, & pour convaincre toute sa cour, „qu'on n'avoit emploié aucun artifice pour préser- „ver *Daniel* ? Et quand il vint, & qu'il vit que son „sceau étoit en son entier, & *Daniel* sain & sauf, „il fut satisfait. Et certes, si nous examinons la cho- „se avec soin, un sceau ainsi apposé emporte un „traité : si vous remettés des papiers scellés à une „personne, & que cette personne les accepte dans „cet état, ce que vous faites de part & d'autre, „suppose que vous êtes convenus auparavant que „les papiers seront delivrés, & que le sceau restera „en son entier. Et si le sceau étoit rompu, ce se- „roit une fraude manifeste, & une brêche à la con- „fiance publique. Cette convention antecedente est „même si bien supposée, qu'il n'est pas besoin d'un „accord particulier dans ce cas. C'est un Contract „auquel les hommes sont soumis en vertu du Droit „des gens, & du commun consentement du Genre „humain. Quand vous envoiés une lettre cachetée „à la poste, vous n'avés assurément pas fuit un ac- „cord particulier avec toutes les personnes par les „mains de qui elle doit passer, qui porte, que qui „que ce soit ne l'ouvrira, que celui-là seul à qui elle „est addressée. Cependant, chacun sait que c'est là „une loi à laquelle il faut se soumettre, & qu'il est éga- „lement injuste, & mal honnête, de violer. Puis „donc que le sepulchre fut scellé, & que le sceau

„emportoit une convention tacite; voions qui „étoient les Parties interessées dans cette convention. Ce ne pouvoit être que les Chefs de la Na„tion d'une part, & les Apôtres de l'autre. Pour „le prouver il n'est pas necessaire de produire un „contract particulier. D'un côté, l'on étoit interessé „a voit la Prediction de *Jesus* accomplie; de l'au„tre, l'on avoit un égal interêt a prévenir a cet „ègard toute espèce de fraude. La convention taci„te quil y avoit entre eux, revenoit naturellement „à ceci: Que les sceaux seroient levés au tems „marqué pour la Resurrection, afin que les Parties „pussent voir & s'assurer par leurs propres yeux, si „le Corps étoit resuscité, ou ne l'étoit pas.

„Les choses étant ainsi, à quoi est-ce que tout „homme raisonnable s'attendroit naturellement? Ne „seroit-ce pas d'apprendre, que les principaux „*Juifs*, & les Apôtres, se rencontrérent, à l'heure „marquée, auprès du tombeau de *Jesus*, levérent „le scellé de concert, & entrérent dans le sepul„chre, de manière que la dispute fût pleinement „terminée en faveur des uns ou des autres? Mais, „voiés ce qui arriva: les sceaux furent rompus, les „Disciples enlevérent de nuit le Corps de leur „Maître; aucun des Chefs de la Nation ne fut „présent, lorsqu'on leva le scellé, ni sommé de s'y „trouver Les Gardes, quand on les examina, fu„rent forcés d'avouer la Verité, quoi qu'en recon„noissant leur faute ils s'exposassent au danger ma„nifeste d'en être punis par Pilate; ils confessérent „qu'ils s'étoient endormis, & que pendant ce tems„là les Disciples étoient venus, & avoient emporté „secrètement le corps Ce temoignage des Soldats „*Romains*, & cette manière clandestine de rompre „les sceaux qui est encore beaucoup plus concluan„te, sont des preuves suffisantes de fraude. Mais, „il y a une autre circonstance dans ce cas, égale„ment forte. Quoi que l'apposition du scellé ne „prèvint pas entiérement l'imposture, elle décré„dita efficacément la prèdiction. Selon cette prè„diction, *Jesus* devoit resusciter au troisième jour, „ou après le troisième jour. Les Principaux Sacrifi„cateurs

„cateurs vouloient se transporter sur les lieux dans „ce tems - là, probablement ils auroient été sui- „vis d'une grande multitude de peuble. La fraude „eut été alors impracticable; les disciples le savoi- „ent bien; & voila pourquoi ils hatérent l'exe- „cution de leur complot. La Resurrection se fit un „jour avant le tems marqué; car le Corps fut en- „terré le *Vendredi* au soir, & ne se trouva plus le „*Dimanche* de bon matin. Addit Author citatus „pag. 74. seqq. Nous allons maintenant entrer dans „le dernier & Principal Chef de cette Cause; je „veux dire la natura du temoignage sur lequel est „fondée la créance de la Resurrection de *Jesus*. „Mais, avant que d'examiner la qualité des Témo- „ins particuliers à la parole desquels l'on veut que nous „nous en fions ici; qu'il me soit permis de de- „mander, d'où vient que ce témoignage, qui re- „garde évidemment un des Points les plus essentiels „du Christianisme, n'a pas été mis au dessus de „toute exception. La plûpart des Miracles de *Je-* „*sus* ont été faits, dit-on, dans les Ruës, dans le „Temple même, & en présence de tout le Monde; „Mais a l'Egard de celui-ci, on ne prétend rien de „semblable: au contraire, nous savons sur la décla- „ration de *Pierre*, le Chef de la faction des Apô- „tres, que *Jesus* étoit apparu après sa Resurrection, „*non pas à tout le Peuple, mais aux Témoins que* „*Dieu avoit auparavant choisis.* Act. X. 4 Pour- „quoi choisir des Témoins dans ce cas plûtôt que „dans tout autre? Cette conduite n'emporte - t-elle „pas quelque crainte, ne fait-elle pas naitre quelque „soupçon, que ce prétendu Miracle étoit de nature „à ne pouvoir pas soûtenir le grand jour? Je voudrois „bien demander, en particulier, pourquoi *Jesus*, „après sa Resurrection, ne se montra pas ouvertement „aux principaux Sacrificateurs, & aux Chefs du „Peuple? Puisque sa Commission les regardoit d'une „maniére particuliere, d'où vient qu'il ne leur pro- „duisit pas ses lettres de Créance? On convient que „la Resurrection est la principale Preuve de sa Mis- „sion, pourquoi donc fut-elle cachée à eux, qui „plus que tous les autres, étoient interessés dans le

„succès de cette Mission? Supposons qu'un Ambassa-„deur de quelque Prince étranger vint en *Angleterre*, „qu'il fit son entrée publique dans cette Ville, qu'il „fit & rendit des visites, qu'à la fin il refusa de „montrer ses Lettres de Créance, ou d'être admis „à l'Audience du Roi, que penseriez-vous de lui? „Quelque Idée que vous vous en fissiés, vous de-„vés vous la faire de *Jesus* dans le cas dont il s'a-„git; car, il n'y a point de différence. Mais il „faut que nous prenions ce témoignage tel qu'il est; „l'on crut qu'il étoit à propos, dans cette circon-„stance, d'avoir des témoins particuliers & choisis; „voions donc qui furent ces Témoins & quelle rai-„son nous avons de les en croire sur leur parole.

„Les prémiers qui se présenterent, ce sont les „Anges, qui apparurent sous une forme humaine à „quelques Femmes, qui allérent le Dimanche de „bon matin au sepulchre. Mais, s'ils parurent des „hommes, sur quel fondement devons-nous les „prendre pour des Anges? Les Femmes virent des „hommes, par consequent elles ne peuvent témoi-„gner autre chose, si non qu'elles ont vû des hom-„mes. Mais, peut-être que c'est au jugement des „femmes, & non pas à leur témoignage; que nous „devons nous en tenir. Nous avons donc ici l' Hi-„stoire d'une prétendue apparition; & cette préten-„due Apparition n'est pas même fondée sur le témoi-„gnage des femmes, mais sur leur superstition, „leur ignorance, & leur crainte. Il n'y a point de „Pais, qui ne puisse fournir cent Exemple de cette „espèce; & ils ont tous ceci de commun, qu'à me-„sure que le savoir & le bon sens gagnent le dessus, „ils tombent dans l'oubli, & l'on n'en parle plus. „Les Témoins qui paroissent ensuite, ce sont les „Femmes elles mêmes. Les hommes les plus raison-„nables ont bien de la peine à se garentir de crain-„tes superstitieuses; & l'on veut que de pauvres „Femmes simples & crédules soient ici des Témoins „irreprochables & propres à être mises au nombre „des Témoins choisis pour attester ce fait. Une „partie de ce qu'on en rapporte est très vraisem-„blable, c'est qu'ellos furent extrémement surpri-

„ses

„ses & effraïées; & je laisse à vôtre Grandeur & „à cette Cour à juger, si elles étoient bien capa- „bles de donner une juste relation de ce qui se „passa alors.

„Ensuite *Jesus* se montre à deux de ses disciples sur „le chemin d'Emmaus; après les avoir joints, il „fait tomber la conversation sur lui-même, & em- „ploie beaucoup de tems, jusqu'à ce qu'il commen- „çoit même à se faire nuit, à leur expliquer les „Prophéties, qui regardoient la Mort & la Resur- „rection du Messie. Tout ce tems là, les Disci- „ples ne le connurent point. Mais, lorsqu'étaut en- „trés avec lui dans une Maison, pour y loger en- „trés avec lui dans une Maison, pour y loger en- „semble, il rompit le pain à soupé, & le leur di- „stribua; aussitôt ils reconnurent, & sur le champ „il disparut. Voici donc deux nouveaux Témoins; „mais, quel nom leur donnerés vous? Les appelle- „rés vous des Témoins oculaires? Leurs yeux étoient „ouverts, & ils àvoient le libre usage de leurs sens, „lorsque *Jesus* raisonnoit avec eux en chemin; & „cependant ils ne le reconnurent point; jusques- „là, par consequent, ils sont témoins que ce n'é- „toit pas lui. Dites nous donc, pourquoi vous re- „jettés le témoignage de leurs sens avant qu'il eut „rompu le pain, & pourquoi vous y insistés après „cela. D'ailleurs, d'où vient que *Jesus* disparoit „au moment qu'il est reconnu; ce qui a bien plû- „tôt l'air d'une Apparition, que de la présence d'un „homme vraiment ressuscité? *Cleopas* l'un de ces „deux Disciples, va trouver les Apôtres, pour „leur faire le recit de ce qui leur étoit arrivé. A „peine l'a-t il fini, que *Jesus* paroit au milieu d'eux. „Ils furent tous effraiés & confondus, & crurent „de voir un spectre. Mais, *Jesus* leur reproche „leur incredulité, & leur lenteur à croire les Pro- „phéties qui regardoient sa Resurrection; &, quoi „qu'il eut refusé auparavant de se laisser toucher „par les Femmes (circonstance que je n'aurois pas „dû omettre); il invite à présent les Apôtres à le „faire, à examiner ses mains & ses pieds, & à „visiter les plaies qu'il avoit reçues sur la Croix. „Mais, quel Corps est-ce qu'ils examinérent? Le

„même qui étoit entré dans la maison où ils étoient, „les portes étant fermées; le même qui avoit dispa- „ru aux yeux des deux disciples à *Emmaüs*; le mê- „me que les femmes ne purent toucher. En un „un mot, un corps tout à fait différent d'un corps „humain, que nous savons ne pouvoir passer au „travers des murailles & des portes, ou paroitre & „disparoitre à plasir: De quoi est ce donc que leurs „mains & leurs yeux pouvoient les instruire dans ce „cas? D'ailleurs, est-il croiable que Dieu ressusci- „te un corps dans un état imparfait, avec les mé- „mes blessures dont il est mort? Ou si les blessures „étoient telles, qu'elles détruissent le corps aupara- „vant, comment un corps naturel pouvoit-il sub- „sister avec elles ensuite? On rapporte d'autres „Apparition de *Jesus*, mais elles sont si fort sem- „blables, si sujettes aux mêmes difficultés & aux „mêmes objections, que je ne fatiguerai point vo- „tre Grandeur & cette Cour en les detaillant. Si „ma Partie adverse tire avantage de quelques-unes „de ces apparitions, plus que de celles que je viens „d'exposer, cela me donnera occasion de les exami- „ner dans ma replique. Il vous paroit peut être „étrange, qu'un fait de cette importance ait été „crû sur un si foible Témoignage: Mais, vous se- „rés bien plus surpris encore, si vous considerés „que les Peuples, qui ont reçu l'Evangile, & qui „se sont soûmis à la foi de cet Article particulier, „n'ont pas même eu ce Témoignage. Car quel „Peuple ou quelle Nation a jamais eu le Témoi- „gnage des Anges, des femmes, ni même celui de „tous les Apôtres? Bien loin de là, chaque Pais a „eu son Apôtre particulier, & a embrassé la foi „Chrétienne sur son simple Témoignage. Nous „avons suivi nos Ancêtres sans examen; & si vous „examinés la chose à fond, vous trouverés que nô- „tre croiance est originairement fondée sur la pa- „role d'un seul homme. Je ne ferai plus qu'une „Reflexion; c'est que, quoique dans les affaires de „cette vie nous agissions en mille rencontres sur la „foi & l'Autorité du témoignage humain; cepen- „dant, la raison qui nous y porte n'est pas la même

„dans

„dans le cas que nous examinons. Dans le affai„res du monde, où l'on n'avance rien qui ne soit „probable & possible, & selon le cours ordinaire „de la nature, un degré raisonnable d'évidence doit „determiner les hommes; car la probabilité, ou la „possibilité même d'une chose, concourt à en éta„blir l'évidence; & dans de tels cas, nous ne dou„tons nullement que les sens d'un homme ne le „rendent capable de témoigner. Mais, quand la „chose attestée est contraire à l'ordre de la Nature, „& que, du moins, elle paroit d'abord impossible, „quel témoignage peut être suffisant pour renverser „le témoignage constant que la nature nous donne „dans l'uniformité & la regularité de ses opérations? „Si un homme m'assure qu'il a été en *France*, je „dois produire une raison pour ne pas le croire; „mais, s'il me dit qu'il sort du tombeau, quelle „raison peut-il alleguer pour m'obliger à ajouter foi „à sa parole? Dans le cas que nous examinons, „puisque le Corps ressuscité differoit des Corps ordi„naires & naturels, comme nous l'avons vû ci-de„vant; comment puis-je m'assurer que les sens des „Apôtres les rendirent capables de juger si ce corps „étoit, ou n'étoit pas, le même qui avoit été mis „dans le sepulchre? Ils le touchérent, quoi qu'il fût „de nature à pouvoir passer au travers des portes & „des murailles; ils le virent, & quelque fois ils „le reconnurent, mais d'autre-fois ils ne le recon„nurent pas. En un mot, ceci paroit être un cas „qui n'est pas du ressort du témoignage humain. „Les hommes ont des sens bornés, & une raison „aussi bornée: quand ils se renferment dans les bor„nes qui leur ont été assignées, nous pouvons ajou„ter foi à leur témoignage; mais quand ils parlent „des choses qui passent la portée de leur raison, „il faut que nous renoncions à ces mêmes facultés „qui sont en nous, si nous nous en rapportons „aux leurs.

§. CCCXIII.

In verbis hisce quæ nunc allegavimus omnia fere argumenta concluduntur, quæ contra verita-

ritatem resurrectionis Christi ab Incredulis moveri solent. Ad quæ succincte nunc *respondebimus.* Fundamenti autem loco tenenda sunt ea, quæ capite X. contra Naturalistas probavimus, Resurrectionisque Christi veritatem ibi contra varias carnis murmurationes vindicavimus; ut tamen & hic parti nostræ satisfaciamus, sequentia addimus. α. Increduli, plurima saltem eorum pars, concedunt, Jesum Christum fuisse mortuum & sepulchro illatum; nullum enim dubium est, quin Principes sacerdotum, reliquique Christi hostes, bene sibi præcaverint, omniaque circumspexerint, ne vel Christus vivus adhuc sepeliretur, vel alius ejus loco sepulchro inferretur; vel ne denique Jesus alio transferretur, sepulchrumque vacuum esset; quibus omnibus bene provisis admoto lapide eum obsignarunt, militibusque custodiam commiserunt, ne fraus aliqua à Christi Discipulis patraretur.

§. CCCXIV.

β. Hisce concessis Adversarii etiam admittunt, hanc Christi prædictionem Senatui universoque populo fuisse cognitam, quod nimirum tertio die resurrecturus sit; unde factum, ut tantam gesserint curam, ne Apostoli dolum aliquem committere possent. Summa inde Christi apparet sinceritas atque probitas, qui publice se resurrecturum testatus est, ne inimici, hoc non præscienres propterea que nullum hujus rei curam gerentes, caussari deinceps possent, facile ab Apostolis committi potuisse fraudem. Patet inde Providentia divina, quæ Magnatum Populi animos ita direxit, ut summam adhiberent curam ad Christi sepulchrum muniendum

&

& custodiendum, quo cautum fuit, ne postea aliquis, dolum quendam commissum esse justo titulo, & cum veritatis aliqua specie, pretexere posset. γ. Hoc autem Adversarios nostros maxime torquet, quod Senatus Judaicus hac in re tantopere sollicitus fuit, ut nihil omiserit, quo omnem fraudis suspicionem amoveret. Vident Increduli, manifestum hoc esse indicium, quod conscientia sua non satis convicti fuerint Magnates hi Jesum Christum revera Impostorem esse. Si enim in clarissima luce fuisset positum, Jesum Christum seductorem esse, risissent hanc ejus prædictionem, & de sepulchro custodiendo & sigillo illud muniendo ne cogitassent quidem. At dum nihil quidquam in vita, in Doctrina, in actionibus ejus deprehenderunt, quod Seductoris speciem ullam præ se ferebat, hinc de re sua incerti, caussæ suæ diffidebant; de prædictionis hujus eventu metuebant, ejusque implemento præcavere volebant. Hoc est illud quod Religionis Christianæ Adversarios male habet; non modo quia manifestum hoc est argumentum, Jesum Imposturæ convinci nequaquam potuisse, sed hanc præcipue ob caussam, quod ipsimet infensissimi Christi hostes metum suum hac in re prodebant, & omnem fraudis commissæ suspicionem avertebant.

§. CCCXV.

δ. Cum miracula præcipue in caussis fuerint quæ Christus in Terra Judæorum passim & præcipue in Lazari è mortuis resuscitatione patravit, cur metuerit Senatus Judaicus ne Christus mortuus resurgat; hinc Adversarii nostri id agunt ut sibi aliisque persuadeant, Fraudem in Lazari è mor-

è mortuis resuscitatione fuisse commissam, eamque à Senatu detectam. At licet propterea Cajaphas totusque Senatus de Christo perimendo consilium ceperint, ne universus Populus fidem ei adjungeret; ne minima tamen produci potest circumstantia, quæ minimæ fraudis speciem habeat; sed & hic sibimetipsi adversantur Increduli, si enim fraus, in Lazari vivificatione commissa, fuit detecta, jam sufficiens hoc fuit argumentum, Jesum nonnisi Impostorem esse, neque quisquam in ulla re ipsi amplius fidem habere potuit. Ad quid tum Summi Sacerdotes etiam post ejus mortem illius sepulchrum custodiri curant? Cur metuunt ne illius prædictio impleatur? Cur opus est, ut de novo ipsum impostorem esse ostendat; dum hoc ex impostura illa in Lazari resuscitatione commissa jam satis notum erat? s. Contendunt Adversarii tacitam aliquam inter Senatum Judaicum & Christi Discipulos fuisse conventionem, ne sigillum Romani Præfecti frangeretur, uti inter illos tacitus est consensus, quorum unus alteri obsignatum aliquid committit, sive sint litteræ sive alia quæcunque res. At inter quos est mutuum illud Pactum? Haud dubie inter eum ad quem res obsignata illa pertinet, & eum cui res illa concreditur. Sed cuinam quæso sepulchri Christi custodia commissa fuit? An Christi Discipulis, qui hic illic erant dispersi? Hoc Adversari nostri non dixerint. An ergo Apostoli spondere potuerunt sigillum intactum integrumque mansurum? An ab ipsis ut salvum illud maneat requiri potuit? Pactum ergo illud inter Senatum Militesque custodes erat; ne nimirum Discipuli Jesu Corpus

ejus noctu è sepulchro aufferrent, à Pilato milites petunt Judæorum Proceres, qui omnem ad sepulchrum aditum custodirent; at Judæi anxii, ne forsan & ipsimet milites corrumperentur, insuper à Præfecto Romano petunt, ut proprio suo sigillo sepulchrum obsignari curaret, quo à militibus effracto capitale illis supplicium fuisset perferendum. Nulla ergo Discipulorum culpa factum fuit, si sigillum illud, non ipsis, sed Romanis Militibus concreditum, effractum fuit. Quo jure igitur Apostoli commissi hujus criminis accusari possunt? Quibus nec sepulchri custodia fuit commissa, nec quidem accessus ad illud permissus.

§. CCCXVI.

5. Asserunt porro Increduli, Christi Corpus, dormientibus Custodibus, ablatum fuisse; quod ipsi Romani milites uno ore confessi sint. Ad quæ duo regessisse sufficiet. α. Enim, jubentibus principibus sacerdotum, pecunia prius corrupti Romani milites hoc exhibuerunt testimonium. *Euntibus* enim illis, quidam Custodum venerunt in Urbem, & Pontificibus rem omnem enuntiarunt. Atque illi cum Senatoribus coiverunt, &, capto consilio, satis grandem pecuniam militibus dederunt, atque ita dixerunt: Dicite, ejus discipulos venisse noctu, & cum vobis dormientibus surripuisse, & illi accepta pecunia, fecerunt ut erant edocti: *Estque res illa divulgata apud Judæos ad hunc diem.* Matth. XXVIII. Provocat igitur Evangelista ad historiam illam ceu rem tunc temporis notissimam; majus ab ipso testimonium peti non potest. Aliud proferant Adversarii si possint, quod huic contrarium sit. β. Anne vero credibile est dormivisse Custo-

Custodes, qui Capite fuissent plexi, quæ omni ævo consueta Vigilum dormientium pœna fuit? Anne ullo modo probabile quod, sicunque dormivissent Custodes, non satis præcaverint, ne vel ipsis dormientibus ad sepulchrum accedere & lapidem ipsis intactis amovere quisquam posset? Quis denique unquam de iis rebus testari potuit, quæ se dormiente contigerunt? Et quis unquam eos, qui illo dormiverunt tempore quo res aliqua evenit, Testes provocavit? At cum Adversarii Testes oculatos non habeant, oportet dormientes provocent.

§. CCCXVII.

¿ At quinnam fuere audaces illi homines qui furtum hoc commisere? Fuere Christi Discipuli Apostoli, inquiunt Increduli. Fuerunt homines illi, quales eos Adversarii describunt, simplices, rudes, superstitiosi, Regni mundani spe, cum Christus ad huc in vivis esset, lactati. Sequentia autem ut Adversarii nobis ostendant petimus. 1. Qui factum fuerit, ut homines illi modo rudes & simplices, nunc una vice fiant callidissimi, maximæ fraudi committendæ, moliminique Magistri sui exsequendo, & quidem in Circumstantiis periculosissimis, aptissimi? 2. Cur Discipuli non potius cum Josepho ab Arimathæa de Corpore Christi in alium locum transferendo convenerint, ubi fraus facilius potuisset committi, cur ipsum hoc in loco sepeliri permiserint, ubi nulla illum surripiendi spes superfuit? 3. Quomodo meticulosi illi homines, qui Christo capto omnes diffugerant, ausi fuerint obniti Romano Præfecto Senatuique Judaico, & non obstante militum Custodia sigillum frangere, lapidem devolve-

volvere, Corpus Magistri sui alio transferre, & ita quidem ut nunquam quo illud transtulerint detectum fuerit? 4. Quomodo hæc omnia efficere potuerint Apostoli, quomodo lapidem amovere, corpusque ex sepulchro efferre, ut nullus tamen evigilaverit miles, quomodo accedere ad sepulchrum fuerint ausi, cum scire nequaquam potuerint, an milites ad unum omnes dormiant nec ne; tempore præcipue Plenilunii, quale tunc erat, res difficilior adhuc fuisset, cum detegi conspicique facile potuissent? 5. An Discipuli illi numero undecim, omnibus noti, facinus ejusmodi committere potuissent, ita ut Magistratus, in re maximi momenti, ne minimum quidem commissi criminis vestigium deprehendere & deinceps ab uno vel altero Discipulorum confessionem facinoris hujus extorquere potuerit? Qui deinceps ausi fuerint Discipuli præsente Senatu publice protestari, & ceu ad rem notissimam provocare, Jesum Christum à Judæis crucifixum à mortuis resurrexisse. Act. III. & IV. V. Stephanus Cap. VII. 7. Cur non plane à Christo alienatus fuerit Apostolorum animus, cum ab ipso fuerunt decepti, ut pudefacti plane à proposito illo, de Regno erigendo, suscepto destiterint, metuerintque ne & ipsi ceu Impostura seditionisque consortes ultimis afficiantur suppliciis; adeoque misere à Magistro suo seducti, majus potius periculum effugere, quam pœnæ gravissimæ sese exponere quæsiverint?

§. CCCXVIII.

n. Caussam, cur Apostoli Crimen hoc commiserint, Increduli hanc fuisse dicunt; quod vivente adhuc Magistro suo spem conceperint, quod

quod Monarcha mundanus atque potens futurus sit, quam spem etiam post ipsius mortem non plane amiserint, uti contendit Autor du *Discours sur les fondemens, & les raisons du Christianisme.* pag. 33. At hoc si fuerit, concipere non possumus, cui bono corpus mortuum hoc ipsis inservire debuerit, an illud Regem voluerint creare, vel an illud resuscitatum iri adhuc speraverint? Prius dici non potest, unde oportet sit posterius; si vero hoc sit, illud æque in sepulchro ac alibi resurgere potuisset, quod bene cognovissent Apostoli tantam de Magistri sui potentia spem concipientes. Contendunt vero Adversarii, eum in finem Apostolos corpus Christi abstulisse, ut hominibus persuaderent è mortuis ipsum resurrexisse, & hac ratione Regnum illud mundanum facilius erigerent. Prætet ea vero quæ jam diximus, quod Corporis ablatio impossibilis plane fuerit, observandum adhuc: Apostolos simplices illos atque rudes, quales ab Adversariis describuntur, sperare nullo modo potuisse, id se effecturos, quod ipsorum Magister non potuit, & quod nunc magis adhuc impossibile erat postquam factionis Antesignanus ceu seditiosus atque rebellis ultimo affectus erat supplicio; cujus miserabilis exitus meticulosos illos Asseclas ab instituto suo deterrere debuisset. Et cum Apostoli ex communi Judæorum opinione Principem speraverint mundanum, qualem Prophetarum descripserint Oracula, propriæ adversi fuissent hypothesi, si hominibus persuadere voluissent Jesum Christum illum ultimis nuper affectum suppliciis, nunc redivivum, in cœlum sublatum, adeoque invisibilem, Principem illum mundanum esse, inter Judæos Regnum erectu-

rum

rum, Judæosque à Romanorum jugo liberaturum.

§. CCCXIX.

ϑ. Fraudis vero manifestum indicium esse contendunt Adversarii, quod ficta Christi Resurrectio integrum diem citius evenerit, quam ipsemet Christus prædixerit; cujus rei hæc fuerit caussa, quia designato tempore fraus illa committi nequaquam potuerit, dum illo die Pontifices, Senatores ingensque Populi multitudo ad Sepulchrum conventura fuisset; unde Apostolos prævenire oportuerit, ne consilium ipsorum irritum fieret. Ad solvendum hanc difficultatem fundamenti loco α. ponendum, quod Resurrectio Christi eo tempore facta sit, quo sepulchrum à militibus custodiebatur, adeo ut nulla fraus locum habere potuerit; si nimirum demum post tertium diem, militibus jamjam remotis & sepulchro à Judæorum Proceribus visitato Christum resurrexisse perhibuissent, tum fraudis commissæ suspicio locum habere potuisset, at in hisce circumstantiis ut furtum hoc committeretur impossibile plane erat. β. Sed & in hoc falluntur Adversarii, quod Christus integro die citius quam prædixit resurrexerit. Dicit nimirum Joh. II. 19. *Dissolvite hoc templum, & tribus diebus id excitabo.* Et Marci VIII. 31. *Eosque docere cæpit, oportere homine natum multa pati, & à Senatoribus, & Pontificibus, & Scribis improbari, ac interfici, & tribus post diebus resurgere.* Matth. XII. 40. *Ut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies, & totidem noctes: Sic erit homine natus in terræ meditullio tres dies & totidem noctes.* Sed non Judæis modo, sed reliquis etiam Populis consueta hæc locutio est, ut si certum designent dierum vel annorum nume-

rum, primum & ultimum, sive eum quando res aliqua incipit, & ultimum quo desinit, licet integer uterque non sit, numero includant; Ita si dicimus octo abhinc diebus; hodiernum & octavum cum intermediis simul intelligimus, licet nec hodiernus nec octavus integer sit, ut proprie nonnisi sex integri dies sint. Ita si ex. gr. hodie, qui dies Martis est, dico: *Octo abhinc diebus*, (von heute über acht Tage) absolvam hoc caput, nonnisi sex integros intelligo dies, cum hodiernum diem & futurum diem Martis in hoc numero comprehendam, licet forsan octavi diei horis matutinis jam finiturus sim hoc caput; alias ut afferamus responsiones opus non est, cum hæc sola sufficiat omneque dubium tollat.

Supra laudatus Auctor tractatus cui titulus est: *Les Témoins de la Resurrection de Jesus Christ examinez & jugez selon les regles du Barreau*, pag. 65. 66. optimè ad hæc respondet: „Mr. A. croit qu'il n'auroit du resusciter que le *Lundi*. Examinés un peu, je vous prie, ce que le langage ordinaire exige que l'on entende en pareil cas. „Supposé qu'on vous dit que vôtre Ami tomba malade le *Vendredi*, qu'il fut saigné le *Samedie*, & qu'il „mourut le troisième jour; quel jour croiriés vous „qu'il est mort? Si vous hesités le moins du monde „là-dessus, proposés cette question au premier homme que vous rencontrerés, & il la resoudra. Les „Juifs ne pouvoient avoir aucun doute à cet égard; „car, c'est ainsi qu'ils l'entendoient dans l'un des „plus grands Points de leur Loi. Tout Enfant male „devoit être circonçis le huitième jour. Comment „comptoient-ils les jours? Le jour de la naissance „en étoit un, & le jour de la circoncision un autre; „&, quoique l'enfant fut né vers la fin du premier „jour, il pouvoit être circoncis à quelque heure que „ce fût du huitième jour. Ce n'est donc pas une „chose

„chose nouvelle ni étrange, que dans le cas que nous „examinons, le troisième jour soit compris dans le „nombre marqué, quoique *Jesus Christ* resuscita au „commencement même de ce jour-là. Il paroit „bien plus étrange de compter les années de cette „manière; & cependant c'est la methode constante „du canon de *Ptolomée*, le plus excellent ouvrage „d'ancienne *Chronologie*, après l'Ecriture Sainte, que „nous ayons aujourd'hui. Si un Roi a vecu du de-„là du premier jour d'une année, & qu'il soit mort „la semaine d'aprés, cette année entière est mise au „nombre des années de son regne.

§. CCCXX.

ι. Nonnulla adhuc restant quæ omnem furti commissi suspicionem plane removent, & ad quæ Adversarii nostri respondere nunquam poterunt. Cur scilicet α. Apostoli postquam fraus illa, in Corporis mortui ablatione commissa, fuit detecta, Hierosolymam nihilominus intrare ausi fuerint, publiceque se ibi in Templo ostendere conati sint, cum tamen nonnisi mortem ignominiosissimam propter commissa illa crimina exspectare potuerint? Cur β. Pontifices Senatusque Judaicus minis, verberibus, carcere Apostolos ab Evangelii inter Judæos prædicatione cohibere voluerint, nunquam tamen furti hujus patrati illos accusaverint publiceque convicerint, cum tamen solum hoc suffecisset omni Evangelii progressui coercendo, & sat caussæ fuisset ad supplicium de Apostolis sumendum. γ. Cum Senatui nota fuerit fraus illa, neque hoc Apostolos latere potuit, qui fit ut simplices illi ac rudes homines ipsimet à Magistro suo decepti, spe erigendi regni plane frustrati, integro Senatu præsente Judæorum proceres accusare ausi sint, quod principem Gloriæ crucifixerint? *Deus*, inquiunt,

majorum nostrorum Jesum suscitavit, quem vos in patibulo suspensum interfecistis. Act. V. 30. Si Senatores illi certi fuere totum illud Christi Apostolorumque negotium nonnisi meram esse Imposturam, qui fit ut Apostolos ad enormem illam accusationem dimiserint, Gamalielique aures præbuerint dicenti: *Nunc quoque vobis suadeo, ut vobis ab his hominibus temperetis, eosque missos faciatis. Si enim ab hominibus est hoc consilium atque opus, abolebitur; Sin à Deo est, id abolere non potestis, ne forte cum Deo pugnare comperiamini. Huic illi obtemperarunt.* Cap. cit. vers 38. 39. Concipere non possum, quomodo Gamaliel hoc Senatui consilium dare potuerit, & cur Senatores voci illius obediverint, si sciverint Jesu Christi Resurrectionem nonnisi figmentum esse? Nulla plane fuisset caussa, cur Gamaliel supponeret, hoc illorum opus posse à Deo esse, siquidem Deus per fraudes & imposturas agere nequaquam possit.

§. CCCXXI.

id. Objiciunt porro increduli, quam difficultatem Judæi etiam quam maxime urgent; Cur nimirum Jesus à mortuis resuscitatus Magistratui Judæorum se nunquam monstraverit? hoc enim si factum fuisset, omnes statim dissipatæ essent difficultates, certitudo facti hujus in clarissima luce posita, sufficiensque fuisset Testium fide dignissimorum numerus. Quam difficultatem ut denuo diluemus ad sequentia attendi debet. *α.* Ad certitudinem rei alicujus probandam nonnisi certo fide dignorum Testium numero opus est; in Foris enim humanis nullibi consuetum est, ut aliquot Testium millia ad rem aliquam probandam producantur, nonnulli enim omnia Testium re-

qui-

quisita habentes sufficiunt; supponamus ergo nonnisi duodecim Apostolos, Paulum enim hic illorum numero comprehendimus, Testes Christi resuscitati oculatos esse, jure major numerus requiri non posset, cum hi optimorum Testium Characteres omnes habeant. Si autem duodecim Testes oculati fide digni non sufficiunt, nec major etiam sufficit numerus, dum certitudo rei gestæ hac ratione nequaquam augeatur. Si vero Christus redivivus apparuisset Judæorum senatui, requiri posset, ut Præfectum etiam adivisset Romanum, dum major adhuc resurrectionis certitudo fuisset. Si etiam hoc fuisset factum, Increduli poscerent, ut omnibus & singulis Hierosolymorum Incolis sese monstraverit; & cum non iis solum qui in Urbe illa habitabant, Evangelium prædicari debuit, sed & reliquis Terræ Cananææ habitatoribus, necessum fuisset ut iis omnibus conspiciendum sese præbuisset. Nec Judæorum solum, sed & Gentilium debuit esse Servator, quare ergo non Romanis etiam & Græcis eo tempore viventibus apparuit, omnibus Asiæ, Africæ & Europæ Incolis? At non iis solum prædicatur Christus, qui ea vixerunt ætate sed seris etiam posteris; si ergo & his, ipsum à mortuis resurrexisse, certum esse debet, & iis sese ut monstret requiri posset; imo si magnus testium numerus rei certitudinem efficere debet, necessum omnino esset, ut inde ab ejus Resurrectione ad finem usque sæculorum omnibus hominibus conspiciendum se dare & in illorum oculis miracula, ut & ipsi fidem habeant Jesum redivivum esse, patrare debuisset. quod non absurdum modo sed impossibile plane esset. Ex quibus apparet Incredulorum animo sceptico satisfieri

tisfieri nunquam posse. β. Si Christus ad Judaicos post resurrectionem suam accessisset Magistratus, & se iis videndum præbuisset, contra propriam suam egisset prædictionem, quam Urbi Hierosolymorum valedicens pronuntiavit: *Sic enim, inquit, habetote, vos non esse me visuros deinceps, donec dicatis: bene sit venienti in nomine Domini,* Matth. XXIII, 39. γ. Christus eos Resurrectionis suæ testes elegit, quos ad veritatem hanc in universa terra prædicandam adhibere voluit, quibus, infallibilitatis suæ certissima edentibus Documenta, si Gentiles fidem non habuissent, etiam nec Magistratui credidissent judaico; sed potius magis suspecta Ethnicis veritas hæc visura fuisset, si integer Judæorum Magistratus, imo universa illa gens testimonium huic rei præbuisset; putassent enim hæc nonnisi ad Religionem Judæorum pertinere, à qua aversus erat Ethnicorum animus; cum vero Judæorum Sacerdotes Testimonium Apostolorum ceu Religioni suæ, qualem ipsam docebant, adversum respuerent, viderunt Gentiles Dogma hoc non judaicis Sacerdotibus privum, sed peculiare plane esse & extraordinarium, quod & necessitate sua & veritate, solidissimis confirmata argumentis, omnium sese commendaret conscientiis, qui non data opera cœcutire vellent. Patet inde ad finem Evangelii universalem, qui Gentilium salutem comprehendit, obtinendum longe fuisse melius, ut Dogma hoc non Judæis privum ab Ethnicis crederetur. Neque Judæi habent cur de hoc conquerantur, dum mysterium hoc primum ipsis fuit revelatum, & nonnisi obstinatus illorum animus in caussa fuit cur Doctrinam hancce cœlestem respuerent. δ.

Omnia

Omnia ea fecit Jesus, quæ erga Proceres Judaicos facere tenebatur, non una enim vice prædixit, publiceque ipsis præsentibus testatus est, *tertio se diem resurrecturum*, ut nemini Judæorum, hoc ipsum dixisse, ignotum fuerit; imo hoc ipsis signum dedit, ceu certissimum divinæ missionis suæ criterium; unde sincere cum ipsis egit, non reticens ea, ad quæ deberent attendere, si certi esse vellent non Impostorem se, sed divinum Apostolum esse. Quid quæso majus à Christo requiri potuit? An magis aperte atque sincere cum ipsis agere potuisset? An Impostor infallibile ejusmodi veritatis criterium prædiceret? Judæorum ergo fuisset attendere, an hæc, qualia ea Christus prædixit, futura sint nec ne? Hanc etiam ob caussam militibus custodiri & obsignari sepulchrum curant, ne fraus aliqua committi posset, milites custodes de iis quæ contigerant nuntium ipsis ferunt, evidentia habuerunt veritatis testimonia, nisi animum suum obfirmassent, & perniciosum illud punctum honoris sive ambitio intervenisset. Nihil ergo Christus omiserat quo, si voluissent, de veritate hac convinci potuissent Judæorum Magnates. An, quæsumus, dici potest Christi fuisse culpam, quod Senatus veritatem hanc cognoscere non potuerit? 5. Si vero non Christi fuit culpa, sed sincere notius cum ipsis egit, resurrectionem suam prædicendo, Criteriumque veritatis, cui intenti esse deberent, ipsis indicando; ipsi vero veritatem noluerunt cognoscere; An quæso Christum decuisset, ut Senatorum illorum, qui maximis ipsum affecerant opprobriis, ostia accederet, ipsisque se nunc redivivum esse monstraret; iis inquam, qui omni sua gratia se porro indignos fecerant; iis qui Christum non

ſincere egiſſe conqueri minime poterant, dum nihil ad ipſos veritatis convincendos intentatum reliquerat. 5. Tam perverſus etiam Incredulis animus eſt, ut licet veritas in clariſſima poneretur luce, data tamen opera veritati reſiſtant, oculosque, ne eam videre teneantur, claudant. Quid enim fuiſſet factum, ſi Chriſtus Judæorum Senatoribus ſe redivivum oſtendiſſet? Ii qui antea ipſum præſtigiis uti, opeque Diaboli omnia efficere dicebant, non minus etiam nunc, Chriſtum crucifixum jam denuo apparentem nonniſi ſpectrum eſſe, & diabolicum aliquod phantasma prætexiſſent, adeo ut Incredulitas mille ſemper habeat effugia, ut qui Moſi, Prophetis, Chriſto Apoſtolisque non credat, etiam non crediturus eſſet ſi vel mortuus reſurgeret. Lucæ XVI 31. 6. Omne veritati robur accedere putant Adverſarii noſtri, ſi Principes hujus Sæculi ei calculum ſuum addidiſſent, illique teſtimonium dediſſent. At quid inde ſequeretur? Deus teſtimonium ab hominibus acciperet, & non amplius proprio ſuo fundamento ſtaret divina veritas. 7. Chriſtus etiam cum nihil intentatum reliquiſſet, ut Judæorum tunc temporis viventium animos ad ſe converteret, multisque Doctrinam ſuam miraculis publice confirmaſſet, tandem Urbis Hieroſolymæ incolis valedixit, futurum quod ipſos propter Incredulitatem manebat Judicium iis annuntiando, ut muneri ſuo paſtorali jam ante mortem ſuam ſatisfecerit, ipſique inexcuſabilis eſſent; cum ad Doctrinam ejus attendere noluerint, ſed pertinaciter reſtiterint; unde ab eo tempore maximam ſuam curam ad Gentilium vocationem convertit. 8. Nullius propterea momenti eſt *ob-*

jectio

jectio illa, quod Christus ad Judæos præcipue fuerit missus, adeoque ipsis imprimis post resuscitationem suam manifestare sese debuerit; nihil enim omiserat quod conversionem ipsorum promovere potuit: *O Jerusalem Jerusalem, quæ vates occidis, & ad te missos lapidas, quoties volui tuos congregare natos, quomodo Gallina suos pullos sub alas congregat, & noluistis, non videbitis me amplius donec dicatis, benedictus sit veniens in Nomine Domini*, Matth. XXIII. 37. 38. 39. Sed non ad Judæos solum sed & ad salvandos Gentiles erat missus; unde eodem Jure peti posset, ut redivivum se Tiberio Romanorum Imperatori totique Romano Senatui coram monstrasset, quo petitur ut Judæorum Pontifici Senatuique à mortuis resuscitatus manifestare sese debuerit; nec minus quævis etiam natio ad hodiernum usque diem poscere posset, ut Jesus suo etiam Regi, Principi vel Magistratui vivum sese monstraret, cum alterius Populi testimonium suspectum sit. Et ita nova semper testimonia poscendi nec finis nec modus esset. 2. Senatus Judæorum eos hujus rei Testes habebat, quos ipse ordinaverat, milites nimirum Romanos; quid ergo amplius exigere poterat? His propterea fidem habere debebant, si vel Apostolorum testimonium nihil fecissent. Si milites fide digni non fuissent, quare non ipsi sepulchrum custodiverunt, cum resurrectionis tempus Christus ipsis designaverat. *id.* Addunt denique, Christum Senatui Judæorum sese non ostendendo, postquam è mortuis resuscitatus fuisset, similem sese exhibuisse Legato alicui ad Regem quendam misso, qui *Litteras*, uti vocant, *creditivas* ei monstrare recusaret. At falluntur in hoc Adversarii, non Doctrina enim solum multisque

tisque miraculis Christus universo Populo divinitus se missum esse multifariam demonstravit, sed resurrecturum se prædixit, *Litterasque* adeo *creditivas* publice commonstravit; si vero Judæorum Proceres eas inspicere recusarunt, non illius culpa erat, sed Senatorum pertinaciæ adscribenda illa est.

§. CCCXXII.

β. Ad *aliam* nunc accedimus *objectionem*, quæ ab ipsorum Resurrectionis Christi Testium conditione desumta est. Hos vel Fœminas fuisse dicunt, vel Angelos humana specie mulieribus illis visos, vel denique Apostolos qui ipsum non cognoverint. *Respondemus* 1. Evangelistas totam hujus rei historiam narrantes, nonnullorum, quibus Christus apparuit, nonnisi ex occasione mentionem facere, ut ad ipsos non ceu Testes provocent, sed omne facti hujus Testimonium proprie nonnisi Apostolorum ad id electorum erat. Ita vero comparati erant duodecim hi testes, ut alio jam loco vidimus & porro videbimus, taliaque habebant requisita, ut nemini sanæ mentis homini & præjudiciis non imbuto dubium ullum remanere potuerit, verissima omnia eà esse quæ de Christo prædicabant. 2. At ut ab initio incipiam, *Fœminas* quod attinet, si vel supponeremus ad illas etiam ut Testes provocari; quid tum? nonne illæ, simplices licet & credulæ fuissent, oculis suis videre potuerunt sepulchrum esse apertum neque amplius ibi Christum reperiri, sed nonnisi seposita lintea atque convoluta adesse? Nonne & illæ oculis suis Jesum videre auribusque suis eum audire potuerunt? Si vero Mulierum ex cordis simplicitate loquentium Testimonium cum

Apo-

Apostolorum consentit, an propterea veritati quidquam decedit. 3. Angeli vero si humana apparuerunt specie, an absurdi quidquam hoc involvit, quod à Mulieribus cognitum sit, eos Angelos esse? Annon multa hujus rei certissima potuerunt esse indicia? 4. De paucitate vero testium non habent Adversarii cur conquerantur, non enim soli fuerunt Apostoli Testes oculati, licet vel illorum testimonium solum suffecisset, cum enim loco Judæ alius eligendus erat Apostolus; cujus prærogativa etiam hæc debuit esse, ut cum Domino Jesu consuetudinem haberet, ejusque resurrectionis testis sit. Act. I. 21. 22. Horum autem ibidem capitum sive omnium numerus centum & viginti erat. *versu* 15. Et Apostolus Paulus 1. Cor. XV. 5. 6. dicit: *Christum adparuisse Cephæ, deinde duodecim: deinde adparuisse plusquam quingentis fratribus simul, quorum plerique sint adhuc superstites, nonnulli obdormiverint.* 5. Pauli ipsius, hæc scribentis, antea Ecclesiæ persecutoris & maximi Christianæ Religionis Inimici testimonium hic negligendum non est, qui repente constantissimus Jesu Nazareni à mortuis resuscitati testis ac confessor ad mortem & supplicia usque factus fuit; qui propterea fuit in plagis, in custodiis, in mortibus sæpenumero. A Judæis quinquies undequadragenis adfectus plagis: ter verberatus, semel lapidatus. Ter naufragium fecit: noctem & diem in profundo egit: sæpe versatus in itineribus, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis à suis civibus, periculis ab extraneis, periculis in Urbe, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & fatigatione, in vigiliis sæpe-

nume-

numero, in fame & siti, in jejuniis frequenter, in frigore & nuditate, quique miserrimum se omnium creaturarum dicebat, si suum de Christi resurrectione testimonium verum non esset. 6. Neque soli homines hujus rei testes erant, sed & Spiritus Sanctus veritatis illius certitudinem suo firmabat testimonio: *Quum autem*, inquit Christus, *venerit Confirmator; quem ego vobis à Patre mittam, scilicet Spiritus veritatis qui à Patre proficiscitur, is de me testabitur. Quin & vos testes estis, qui mecum fueritis ab initio.* Joan. XV. 26. 27. Unde & Petrus ad hoc provocat testimonium dicens: *Et nos sumus ei testes harum rerum, sanctusque Spiritus, quem Deus ei obedientibus impertivit.* Act. V. 32. Maxime vero veritatis hujus Testem sese exhibuit, Spiritus Sanctus, quando decem post Christi adscensionem diebus in Apostolos, præsente universo Populo, fuit effusus; & ita potestate desuper induti, extraordinaria linguarum acceperunt dona, ut ubique locorum Evangelium prædicare potuerint; acceperunt Spiritum Sapientiæ, Consilii & Fortitudinis ut coram omnibus Tribunalibus se sistere caussamque suam defendere potuerint. Acceperunt dona Miracula patrandi, mortuos resuscitandi, ægrotos sanandi & quidem in nomine sive Virtute Jesu, quibus convincere poterant eos, quibus Jesum annuntiabant resuscitatum, se Dei Virtute agere, omniaque quæ prædicarent vera esse; ut adeo quot Apostoli patrarunt miracula tot etiam resurrectionis Jesu Christi novi fuerint Testes. Imo Apostoli etiam Dona extraordinaria illa aliis communicare potuerunt; quis ergo miretur, fidem ipsis testantibus habuisse homines; si vero

Jesus

Jesus Christus à mortuis non resurrexit, quis quæso dona illa Apostolis communicavit, quæ omnia in ipsius patrarunt nomine?

§. CCCXXIII.

Objiciunt ad Testium paucitatem monstrandam singulis nationibus nonnisi unicum fuisse Testem, dum Apostoli non omnes in unico prædicaverint loco, sed singuli seorsim in varias discesserint Regiones. Sed concedamus nonnisi binos & binos fuisse Christi Discipulos, veritati Testimonii propterea nihil plane detrahitur, nam *α*. Fides Apostolis erat habenda non propter testantium numerum, sed *tum* propter extraordinaria illa quæ habebant dona potentiamque patrandi miracula; *tum* propter Veritatis evidentem ad omnium hominum conscientiam demonstrationem & commendationem. *β*. Putandum non est, singulis nationibus ad Religionem Christianam conversis nonnisi id notum esse potuisse Testimonium, quod Evangelista vel Apostolus ille exhibebat, qui eo in loco Evangelium prædicabat, sed ex aliis etiam cognoscere potuerunt Populis, an eodem etiam modo eædemque veritates iis etiam annunciatæ fuerint quæ aliis fuere prædicatæ. Et passim Apostoli à se invicem dispersi & ore & scriptis docuerunt, unde magnum certitudini veritatis testimonii ipsorum accedebat robur, quod omnia ea quæ Apostoli in diversis mundi hujus partibus sermone scriptisque docebant, optime tamen omnia cum seinvicem collata collectaque consentiebant. Si Apostoli quotquot fuerunt nunquam à seinvicem discessissent, sed semper simul mansissent, dicerent Increduli, ipsos semper ex composito potu-

potuisse agere; & cum unus alterum prædicantem audiverit, facile ipsos omnem in Doctrina potuisse evitare dissensum. Ast id nunc non habent cur dicant Adversarii; cum longissimo terrarum intervallo ab invicem dissiti in omnibus tamen quæcunque dixerunt & scripserunt, maximus semper deprehensus fuit consensus. Vident ergo Increduli hæc ipsa, quibus veritatis certitudinem debellare volunt, arma, in ipsos converti posse, & hoc ipso magnam Veritati Evangelicæ accedere Auctoritatem.

§. CCCXXIV.

Ad eas nunc accedimus *Difficultates*, quæ ab ipsa Corporis Christi natura, quale post ejus resurrectionem ab Evangelistis describitur, desumtæ sunt. Non enim corpus reale & naturale, sed nonnisi phantasma & spectrum ab Evangelistis describi contendunt Adversarii; unde sensibus illud recte percipi non potuerit, adeoque nec sensuum testimonium ad probandam Christi resurrectionem valere possit. α. In genere monendum, tale Christi corpus describere Evangelistas, quod carnem & ossa habuerit & quod proin attrectari potuerit. Ita enim Christus Thomæ dicit: cum Jesum mortuum resurrexisse plane ipsi impossibile videretur: *Adfer huc tuum digitum, & vide meas manus; tuamque manum adfer, & meo lateri admove: Neque incredulus esto, sed credens.* Joh. XX. 17. β. Primus ad rem suam probandam, quem Adversarii afferunt, locus extat Joh. XX. 17. ubi Christus Mariæ Magdalenæ: *Ne me tange, nondum enim adscendi ad Patrem meum: Sed adi fratres meos, eisque dicito, adscensurum me ad Patrem meum &c.* At nihil plane

hic

hic invenimus, ex quo Christi corpus non sensuale fuisse juste concludi possit, statim enim ac Maria ad eum erat conversa ipsum noscebat, ad pedes ejus provoluta eos amplecti volebat; unde patet Christi corpus ita fuisse comparatum ut ab illa cognosci potuerit.

„Il y a, inquit modo citatus Autor pag. 101. quel„que difficulté dans ces parolles, je l'avoue; mais „l'on voit sans peine qu'elles n'ont aucun rapport „avec la nature du mot. Le sens naturel de ce „passage, comme il me paroit en le comparant „avec Matth. XXVIII. 9. est celui-ci: *Marie Ma„delaine*, ajant vû *Jesus Christ*, se jetta à ses pieds, „les embrassa, & les sera comme si elle eût vou„lu ne s'en séparer jamais: Là deissus il lui dit: „*Ne me touchés point, ou ne vous attachés pas „si fortement à moi; vous aurés d'autres occa„sions de me voir, car je ne monte pas encore „à mon Père; ne perdés donc point de tems, „mais allés vîte rapporter à mes Frères que „vous m'avés vû, & dites leur de ma part* &c. „Je ne suis point interessé à défendre cette interpré„tation particulière, il suffit pour mon dessein, de „faire voir que ces paroles ne sauroient, en façon „que ce soit, se rapporter à la nature du Corps de „*Jesus Christ*.

§. CCCXXV.

Alia difficultas desumitur ex Lucæ XXIV. 15. seqq. ubi narratur Christum redivivum duobus Emauntem proficiscentibus sese adjunxisse, & cum illis miscuisse sermonem, quem ipsi non cognoverint, donec mensæ accubuerunt; post hæc autem Christum iterum ex illorum oculis evanuisse. Unde Adversarii concludunt, nonnisi phantasma aliquod ab Evangelistis describi, nec de vero Christi corpore mentionem fieri, cum

illud nec à Discipulis cognitum fuerit, & dein in coena evanuerit. At omnia hic plana sunt, si attendimus 1. fieri facile posse, ut hominem antea nobis non ignotum non statim cognoscamus, si alta nobis mente sedet illum non amplius in vivis esse; si porro aliis indutus vestimentis alioque nobis appareat cultu atque externa specie; & si denique jam vesperascit, ut facies illius tam facile & distincte cognosci nequeat. Quid tum, inquam, absurdi involvit, si non statim ipsum noscamus, in communi enim vita saepius hoc nobis accidere solet. 2. Quando autem Christus evanuisse dicitur, id minime spectri adinstar factum fuisse necesse est, siquidem phrasis illa καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ᾽ αὐτῶν nihil aliud significet, quam ipsum discedentem non amplius apparuisse sive conspectum esse ab iis.

§. CCCXXVI.

Ex loco porro Joh. XX. 19. probare conantur, Evangelistas Christo nequaquam verum adscribere corpus, dicitur ibi: *Quum esset vespera illo ipso die, qui proximus erat à Sabbatho, clausis prae Judaeorum metu ejus loci portis, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, in medioque stetit, & eis dixit, salvete.* Nihil autem plane hic dicitur quod veram corporis naturam excludat; dicit Evangelista clausas fuisse portas, addit Christum inopinato in medio suorum discipulorum stetisse, neutiquam vero Christum Januam penetrasse; sed ipsum, licet porta clausa fuerit à Discipulis, nihilominus intrasse, & ita quidem, ut ipsi nemo adperuerit. Nonne autem Christus per infinitam suam Potentiam adperire potuit Januam & per ostium

ostium deinde intrare, ut Discipulis nihil tale cogitantibus præsentem se stiterit?

CCCXXVII.

Alia tandem additur *objectio*, ab ipsa Resurrectionis Christi, contra communes Naturæ Leges factæ, impossibilitate desumta, cui propterea fides haberi minime possit. At considerent Increduli impossibile quid esse aut in se & absolute, aut hypothetice tantum. Prius ne per Omnipotentiam quidem divinam possibile fieri; posterius vero per Attributum illud divinum omnino effici potest. Christi Resurrectionem ad priorem impossibilium pertinere classem quis dixerit? nullam enim involvit contradictionem, Deum corpori alicui organico vitam amissam iterum restituere & animam cum eo unire posse; si vero hypothetice tantum impossibile sit hoc factum; sive quod juxta ordinarias naturæ Leges id fieri non potuerit, nos nihil habemus contra, dum & nos inter miracula illud referamus, Omnipotentiæque divinæ id adscribamus. Si vero non incredibilis nobis videri debeat Christi Resurrectio, illa non abstracte ab omnibus reliquis veritatibus consideranda est, sed perpendendus totus veritatum Theologicarum nexus; quod si faciamus adparebit statim, optime Christi Resurrectionem cum toto veritatum Systemate cohærere. Id enim quod in omnibus aliis rebus nobis accidere solet etiam hic evenit; si enim vel in rebus maxime naturalibus & ordinariis abstracte aliquid & extra nexum consideramus, plane extraordinarium illud, imo sæpe absurdum & impossibile videtur; quamprimum autem nexum introspicimus, quem cum caussis suis habet, omnis sta-

tim evanescit difficultas. Si nunc hæc ad incredulos applicare velimus, inde est quod in Christiana Religione multa ipsis absurda videantur & impossibilia, quia totum omnium veritatum totius Systematis nexum non inspiciunt, nec unico quasi intuitu eum sibi repræsentant, hoc enim si facerent longe aliter de ea judicarent, quam si singulas veritates seorsim tantum & a reliquis abstractas considerant.

§. CCCXXVIII.

Solutis nunc iis Argumentis quæ Christi personam, ejus facta & munera respiciunt, ad ea nunc progredimur, quæ contra Novi Testamenti Libros eorumque scriptores à Judæis afferuntur; eaque sunt vel *generalia* vel *specialia*. Quæ ut solvamus adhuc superest. Contra Apostolos præcipuos Veritatis Testes ita excipiunt Judæi, ut nimirum nonnulla ex nostris quæ pro eorum sinceritate afferimus argumenta eludant, dicunt: Apostolos nec famam nec honorem ex prædicatione sua potuisse amittere, dum infimæ plebis & abjectissimæ fuerint fortunæ, pauperrimi simul, qui nihil in hoc mundo habuerint quod relinquerent; quocumque vero postea diverterent, certissimum ipsos habuisse hospitium, unde non parvi pretii fuerit transitus à misero illo statu ad divinarum rerum magisterium. Et licet divitias non acquisiverint dum nonnisi inter infimam vagarentur plebem, commodum saltem victum ex Evangelii prædicatione fuisse nactos; & collectas etiam ab Ecclesiis tum enascentibus esse flagitatas, dum Apostolus Paulus pro spiritualibus temporalia poposcerit; venditaque fuisse à multis omnia, pretiumque ad Apostolorum pedes positum,

quod

quod satis honorificum fuerit ac proficuum. Quod ad vitæ periculum pertineat, nullum ipsos nisi in Judæa timuisse, quam propere relinquentes in Græciam recurrerint, cæteris forsan paucis in Judæa latentibus. A Græcis Romanisque non multum ipsis fuisse timendum, qui in Diis novis, novisque cultibus admittendis non nimis scrupulosi fuerint. Scivisse Gentes Apostolos esse Judæos, aliumque unicum Deum adorare ex Religionis instituto, quo ordine etiam Apostolos habuerint; Evangeliumque novam aliquam circa Legem Mosis disceptationem, ejusdemque Judaismi Sectam aliquam putaverint. Et cum Judæis ubique secura permitteretur habitatio, potuisse Apostolos ubique inter Gentes ut Judæos versari; unde TACITUS in Annalibus Christianos *Judæorum Sectam* appellaverit. Apostolum Paulum cum evidens in Judæa esset periculum, cum propter legalium prævaricationem accusatus, à Procuratore Romano captus esset, coram Festo & Agrippa omnia de quibus accusabatur negasse, dicentem, nihil se contra circumcisionem aut contra Leges patrias docuisse. Cum tamen verum fuerit propter hoc eum populi odium concitasse, quia Judæos à circumcisione aliisque legalibus averterit. Ex quo pateat, quocunque potuerint modo ipsos periculum declinasse. Neque Apostolos inter Gentiles versantes contra Deorum cultum publice, ne periculo sese exponerent, concionatos esse, eos falsos Deos minimeque adorandos nunquam asseruisse, sed coram proselytis tantum, idque latenter, maxima cum prudentia, non in foro, non in plateis, non coram Sacerdotibus & principibus id

factum, dum puniri ab ipsis potuissent. Fratres vero illos qui introducebantur, secretumque revelabant falsos appellitasse Fratres. Ex multis Novi Testamenti colligi posse locis, Idololatriam Gentium nunquam clare & publice palam omnibus reprehensam & ut profanam damnatam; hoc enim publice si fecissent, certo ipsos crucifixum iri, nunquam vero ipsos hoc tentare fuisse ausos.

§. CCCXXIX.

Ut nonnulla ad hæc reponamus, concedimus α. maxima cum prudentia Apostolos egisse, ne imprudentia sua intempestivaque cultus Judæorum cærimonialis, vel Gentilium Idololatrici debellatione Evangelii cursum interverterent potius quam promoverent. Supponamus autem, non concedamus, primos Evangelii Præcones non ab hoc incepisse, ut ante omnia veterem tam Judæorum quam Gentilium abrogarent cultum, an propterea egerunt hypocritice? Minime vero; sed veram prius stabiliendo Doctrinam, Mundumque de peccato, de justitia & judicio convincendo, eoipso priorem cultum Deo non acceptum esse monstrabant, ut lex Judæorum cærimonialis, Gentiliumque Idololatria per se corruerit. Si hominem aliquem Veritatis prius convincam, ipsique dein per corollaria demonstrem, eas quas hactenus fovit hypotheses esse falsas, citius convinci poterit, quam si in præconceptas ejus opiniones ante omnia debaccher. Unde Apostolos prudentissime egisse satis constat. Concedimus. β. Eosdem Christi Discipulos non absque gravi caussa ultro morti se objecisse, cui enim usui hoc inservivisset? Sed ipsorum erat divinum

num prius Consilium exequi, & demum cursu consummato veritatem martyrio obsignare; unde, cum in præsentissimo semper mortis versarentur periculo, ipsorum erat, maxima cum prudentia mortem tamdiu vitare quamdiu justa id fieri posset caussa. γ. Concedimus porro, Apostolos nec divites fuisse nec honoratos; non impedit tamen hoc quo minus fidem ipsis habeamus, dum omnia testium fide dignissimorum habeant criteria, neque ulli quotquot fuerunt morti objecti suam unquam retractarunt Doctrinam, sed multis eam etiam confirmarunt miraculis, constante pietate, erga Deum fervore animoque intrepido atque eum glorificandi desiderio veritati se testimonium exhibere monstrarunt.

§. CCCXXX.

Respondemus autem 1. Parvum illud emolumentum terrenum, sive tenuem illud quem habuerunt victum, cum constantibus laboribus variisque & continuis periculis, dirissimoque quod ipsos manebat martyrio, quodque semper ob oculos ipsis versabatur, comparandum non esse; manuum enim suarum opere victum & amictum, sine tantis quos exantlabant laboribus continuisque mortis periculis, parare sibi potuissent; alia propterea oportet fuerint incentiva, quæ ut Evangelium prædicarent ipsos moverent. 2. Falluntur Adversarii dum asserunt, nulla Apostolos inter Gentiles mansisse pericula, dum juxta antiquissima fideque dignissima historiarum monumenta ipsi cum omnibus Christianis gravissimas perpessi sunt persecutiones. Mortem vero Apostolorum violentam si in dubium vocare velint Judæi, dum nullam de morte illorum authenti-

cam historiam habeant Christiani, eodem jure negare possemus, fuisse aliquando Antiochum qui gravissime Judæos persecutus sit; fuisse Herodem, fuisse Titum Vespasianum qui Judæos à terra Cananæa ejecerit. 3. Nullum ergo alium Apostoli potuerunt habere finem, quam ut veritati, de qua plene convicti erant, sine fuco & fraude testimonium darent; nullus enim alius excogitari potest finis quem quæsiverint, non hujus mundi illecebras, non honores, non divitias. *Sane testari*, alienis hic utor verbis, *rem aliquam à se visam, & ob testimonium ejusmodi quævis supplicia ac mortes crudelissimas sustinere, &, cum sola illius abnegatione vitam redimere liceat, nihilominus in testimonio ejusmodi reddendo constantem esse, mortemque ultro subire, invictum sinceritatis argumentum est: Nec video quid majus requiri possit.* 4. Nunquam publice Apostolos Cultus ritualis ac Idololatriæ abrogationem prædicare ausos esse Adversarii perhibent. At α. Apostoli publice passim coram Magistratibus tam Judaicis quam Ethnicis, in Judæorum Synagogis & coram Gentibus Evangelium intrepide & aperte professi sunt; Ipsa autem fidei in Christum professio, cultus Judæorum ritualis & Idololatriæ Ethnicæ impugnatio est. β. Paulum præcipue publice Idololatriam debellasse patet ex Actis Ap. Cap. XIV. XVII. XIX. 5. Fratres tandem falsos eos Apostoli vocabant, qui quidvis faciebant, ut Christi crucem effugerent, quique Judæos se esse simulabant, ne cum Christianis persecutiones subire cogerentur.

§. CCCXXXI.

Objiciunt porro, Libros N. T. non divinitus esse inspiratos, quod ex ipso Lucæ Evangelistæ pro-

prologo pateat, nec ea conscriptum esse lingua, qua à Judæis posset intelligi. Plura etiam memorante Luca Evangelia fuisse scripta, quæ non amplius habeantur; plures etiam in Evangeliis contigisse corruptiones; variantes in Libris N. T. esse lectiones, quas adeo multiplices esse ajunt, ut si quis omnes inter se committeret Codices, quot verba, totidem pene inventurus sit discrepantias.

Sæpe citatus ille apud LIMBORCHIUM Judæus Scripto III. Quæsito IV. Num. VIII. difficultates has sequentibus proponit verbis: „Cum Evangelium pro „Judæis primo & principaliter fuerit, quod & quatuor Evangelia, & cætera omnia in Novo Testamento contenta, unica lingua Græca fuerint conscripta, valde miramur: Adhuc & Epistola ad Romanos, & ad particularem Romanum, cujus servus „ad Paulum effugerat: atque etiam ad Hebræos; „ita ut videatur totum Evangelium a Græcis fuisse „compactum: quippe nunquam lingua græca fuit „ita vulgaris, Romanis, Gallis, Hispanis, Germanis cæterisque Europæ nationibus, ac Latina. Romanis omnia hæc Regna tunc possidentibus, neque „Asiaticis Judæis plusquam hebræa, quæ adhuc nostro tempore ab Israëlitis in omnibus suæ dispersionis locis, ut vernacula habetur, & semper habita „fuit: sed Græca nonnisi iis qui Græciæ civitates „habitabant. Dubitatur ergo quare omnia sola hac „lingua Spiritus S. influxerit, quæ paulo post non „nisi a paucis intelligenda erat?

„Et etiam notatu dignum, quod ante hæc quatuor „Evangelia alia plura fuerint conscripta, ut refert „Lucas Cap. I. 1. Qui etiam se eam historiam „*scribere voluisse ait: Ut sciret certo Theophilus quidam, quomodo res ea gesta fuisset, ut ab ocularibus testibus fuerat informatus.* „Non ab Spiritus Sancti afflatu ad scribendum se commotum fuisse dicit, sed quod ei etiam scribere „placuit. Non ut omnes homines scirent, & ad

„Deum converterentur; sed ut Theophilus de iis, „quæ jam crediderat, amplius informaretur. Non „quæ ipse viderat, sed quæ ab aliis audiverat vera „esse, scribere animum induxit, Sancti Spiritus, vel „Dei revelationis nulla prorsus facta mentione. Fue„runt quidem plurima, præter quatuor Evangelia, „quorum aliqua refert Hieronymus & alii Patres, „quæ diversarum hæresium fuere principia: ut ad „Ægyptios, ad Hebræos, Thomæ, Bartholomæi, „duodecim Apostolorum: Basilidis, & alia quæ „referre foret superfluum, quorum singula suos „fautores habuerunt, diversisque contentionibus „occasionem dedere. Hæc omnia Evangelia in„ter se de rei veritate contendentia, temporis tra„ctu, & conciliorum autoritate rejecta fuere, qua„tuor duntaxat in Europa admissis, utpote inter se „magis conformibus. Sed non a toto Christianismo „explosa fuere, quia a Thoma conscriptum in plu„rimis Africæ, & Asiæ Ecclesiis perseverat, ut uni„ca suæ fidei regula.

Nonnullis dehinc interjectis Adversarius hic pag. 241. sequentia adhuc de Evangeliorum corruptione habet: „Nec loquar de querelis quas antiqui Patres „Ecclesiæ habuere circa Evangelii Textus corruptio„nem: jam Græca Exemplaria, jam latina infinitis „erroribus scatere, deplorantes; quod latina per „græca, & hæc per latina explicanda essent, singu„li juxta suum placitum asserentes. Hoc certe no„stro seculo recentissime confitetur. Doctissimus vir „Vossius *de ætate mundi* Cap. II. Ut sacri textus Ve„teris Testamenti autoritatem diminuat, sic ait: „*Nullam autem habuisse curam Deum eorum,* „*qui descripsere Novi Fæderis Libros, in quibus* „*tanta est lectionis varietas, ut si quis omnes in*„*ter se committeret codices, quòt verba totidem* „*pene sit inventurus discrepantias &c.*

§. CCCXXXII.

Ad linguam, in qua Libri Novi Testamenti fuere scripti, quod attinet sequentia notanda sunt: *a*. Scriptos esse Libros hosce in usum non Judæo-

dæorum tantum, sed Græcorum etiam & Romanorum, omniumque Gentilium, imo in usum omnium nationum, quæcunque ab eo tempore extiterunt & in posterum existent in universa terra. β. Convenientissimum autem, nemine contradicente, fuit, ut in ea Novum Testamentum scriberetur lingua, quam plurimi calluerunt populi, quæque maxime tunc temporis in usu erat. γ. Judæi mox inter alios Populos erant dispergendi, ut adeo illorum didicerint linguam; & magna ipsorum pars eo jam tempore, quo Apostoli variarum linguarum acceperunt donum, inter omnes degebant nationes. δ. Uti autem omni ævo lingua aliqua obtinet, quæ universalis quasi dici potest, quæque à multis inter omnes discitur nationes, ita eo quo Apostoli scripserunt tempore Græca lingua omnibus communis fuit, non Judæis modo in Græcia dispersis, sed Romanis etiam notissima, imo non Romanis solum & Asiaticis populis eam fuisse cognitam, sed & in Ægypto eam fuisse receptam communique usu tritam nemini non constat; unde CICERO in Oratione sua pro Archia poëta dicit: *Græca legi in omnibus ferme gentibus, Latina suis finibus, & exiguis sane, contineri.* Præcipui etiam ex veteribus Christianis Doctoribus, qui non in Græcia solum, sed in Asia etiam & Ægypto vixerunt, ut Origenes, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus & Alexandrinus, Chrysostomus, aliique multi Græca lingua sua exararunt opera. In Romana etiam Civitate præter vernaculam græca lingua usitatissima erat, non eruditis solum sed ipsis etiam fœminis, unde JUVENALIS Sat. VI.

Se-

Se non putat ulla
Formosam nisi quæ de Thusca Græcula facta est:
De Sulmonensi mera Cecropis: omnia Græce,
Cum sit turpe magis nostris nescire latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Cum ergo lingua hæc iis omnibus qui extra Judæam, ex qua omnes etiam Judæi expellendi erant, habitabant, communissima erat, ut universalis fere dici possit; hinc bene haud dubie fecerunt Apostoli & Evangelistæ quod lingua hac usi sunt. Male propterea Adversarius concludit, Novi Testamenti Libros à Græcis fuisse scriptos; idem est ac si diceret: à Græcis Fabulam aliquam fuisse inventam, eamque Judæis nonnullis in Judæa habitantibus ceu historiam ibi vere gestam fuisse obtrusam, cui multi ex Judæis adhibuerint fidem, & propter illius testimonium multas sustinuerint persecutiones, afflictiones, imo mortem denique ipsam.

§. CCCXXXIII.

Libros Novi Testamenti non Spiritus S. afflatu fuisse scriptos Judæi *objiciunt*; idque ex Evangelii Lucæ initio probare conantur, ubi nulla inspirationis mentione facta Lucas dicat, in Theophili cujusdam usum se ea, quæ ab aliis acceperat, ordine historico tradere velle, quandoquidem & plures alii jamjam historiam illam scripserint. Quod *α*. inspirationem spectat, attendendum est, contineri in S. Literis tam Vet. quam N. Testamenti talia quæ ex immediata Spiritus S. inspiratione fuere scripta, alia vero quæ eo dirigente litteris fuere consignata. Ea quæ

quæ annuntiationem Medii liberationis apud Deum parati, Mysteriorum revelationem, rerumque futurarum prædictionem continent, nonnisi immediata divina patefactione Spiritusque Sancti inspiratione potuerunt cognosci, scriptoque mandari. Continentur vero in S. Litteris talia etiam, quæ nonnisi historica sunt & ostendunt, quomodo promissio illa divina de Salute reparanda propagata, variisque temporibus repetita & inculcata sit, & quomodo Deus Ecclesiam suam variis modis sapientissime administraverit; hæc quidem quatenus pure historica sunt immediata revelatione & inspiratione non indiguerunt; cura tamen Spiritus S. fuit factum, ut memoria ea mandarentur litterisque consignarentur; eademque divina cura & directione omnis præcautus Error, Phrasesque rei describendæ convenientissimæ fuerunt adhibitæ; Ita in Josuæ, Regum, Samuelis & Chronicorum libris plurima revelatione opus nequaquam habuerunt, neutiquam tamen absque Spiritus S. directione fuere scripta. Ut ad præsentia hæc applicemus, agitur de Evangeliis, quæriturque an Historia illa Evangelica immediate Sacris Autoribus à Spiritu S. fuerit inspirata? *Respondeo* eam inspiratione opus non habuisse, dum res factas describant Historiographi illi Sacri, Historiam nempe nativitatis, dictorum, factorum, passionis & mortis Domini nostri Jesu Christi; Scripserunt tamen Evangelistæ Spiritu Sancto eos dirigente, ut omnia verbis maxime idoneis, quæ à Christo & circa Christum dicta factaque fuere fideliter conscriberent, neque ullus in re & circumstantia etiam minima irreperet Error. Licet ergo Lucas

[illegible] nul-

aliquis; *credibile est, viros adeo salutis suæ studiosos, ut quotidie gravissimas afflictiones, quin & mortem pro Evangelio sustinerent, tam socordes fuisse, & salutis suæ negligentes, ut temere sibi tanquam divinos, & fidei per quam salvi esse debebant regulam, obtrudi passi sint libros, de quorum αὐθεντίᾳ evidentibus documentis persuasi non essent, & eo quidem tempore, quo suppositiva à genuinis facile discerni potuissent? Et hæc traditio ab ipsis constantissime per omnes populos & ætates consensu invariato est propagata.* γ. Redemtionis & Redemtoris Necessitate probata, & Jesum Nazarenum Messiam illum atque Salvatorem in Libris Veteris Test. promissum esse demonstrato, nullum amplius remanet dubium, divinam Sapientiam, quæ homini Medium illud Liberationis destinavit & revelavit, curam etiam gessisse, non tantum ut omnia ad Salutem scitu factuque necessaria litteris mandarentur, sed & ut nulla iis ficta ac falsa immiscerentur, neque in canonem referrentur, nisi quæ ipso divino Spiritu inspirante atque dirigente fuere scripta.

Diximus Viros temporibus Apostolicis proximos quatuor Evangelia pro genuinis agnovisse, quæ nostris etiam temporibus in universa Christiana Ecclesia canonica habentur; IRENÆUS enim Episcopus Lugdunensis, Polycarpi Discipulus, qui Sancti Johannis Discipulus & Auditor fuerat, ita de Evangeliis hisce testatur Edit. Mass. p. 190. *Tanta*, inquit, *est autem circa hæc Evangelia firmitas, ut & ipsi hæretici testimonium reddant eis, & ex ipsis egrediens unusquisque eorum, conetur suam confirmare doctrinam. Ebionæi etenim eo Evangelio, quod est secundum* MATTHÆUM, *solo utentes, ex illo ipso convincuntur.* Marcion *autem id, quod est secundum* LUCAM, *circumcidens, ex his quæ adhuc servantur penes*

eum

eum, blasphemus in Deum ostenditur. Qui autem Jesum *separant à* Christo - - - - *id quod secundum* MARCUM *est, praeferentes Evangelium. Hi autem qui à* Valentino *sunt, eo quod est secundum* JOHANNEM *plenissimè utentes ad ostensionem conjugationum suarum.* Maxima vero lis ab Adversariis nostris movetur circa Marci & Lucæ Evangelia, an ejusdem illa cum reliquis Autoritatis sint? *Marcum* vero, *Interpretem & Sectatorem Petri* fuisse testatur IRENÆUS Edit. Massueti pag. 187. Item etiam testatur PAPIAS Apostolorum contemporaneus & Clemens Alexandrinus teste EUSEBIO Hist. Eccles. Lib. II. Cap. 15. Lib. III. Cap. 39. Evangelium autem Lucæ ab ipso Apostolo Paulo approbatum fuisse constans ac generalis inter Christianos inde ab Origenis temporibus fuit traditio; teste EUSEBIO Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. 25. Et Johannes ultimus omnium Apostolorum moriens genuina agnovit Matthæi, Marci & Lucæ Evangelia, teste eodem Historiographo Lib. III. Cap. 24.

§. CCCXXXVI.

Numerum denique variantium Lectionum Adversarius urget, ad quam quidem difficultatem COLLINO jam respondimus Capite præcedente, quibus sequentia adhuc addimus: *α.* In Libris etiam Veteris Testamenti variantes reperiri lectiones in confesso est. *β.* Ratio vero cur in Novo Testamento major illarum deprehendatur numerus hæc est, quod parvus Codicum sive Manuscriptorum Veteris Testamenti fuit numerus, si cum numero exemplarium Librorum Novi Testamenti conferatur; crescente vero Apographorum numero, amanuensium incuria etiam mendarum numerus crescit. *γ.* Omnes autem variantes hæ lectiones nullum plane veritati præ-

judicium afferre possunt, dum minutias solummodo, nequaquam vero ipsam rei essentiam, spectant; sed miranda potius divina cura ac Providentia est, quod nullus ponderis alicujus irrepserit Error, licet Codex sacer hic tot myriadum vicibus à tot Populis, lingua etiam à seinvicem differentibus, fuerit descriptus, minime tamen ita sit depravatus, ut vera lectio ex probatissimis Exemplaribus haberi non possit.

Adamus hisce nonnullas BENTLEII observationes, dans ses *Remarques* sur l'ouvrage de COLLINS, imprimées en *François*, sous le titre de *Friponnerie Laïque*. *Remarque* XXXII. pag. 186. „*Terence* est „un des Auteurs Classiques que nous avons a pré„sent dans le meilleur état - - - - j'en ai moi-même „collationné plusieurs (Manuscripts), & je dirai, „avec confiance, que dans cet Auteur, dont les „ouvrages ne font pas, à beaucoup prés, un Vo„lume aussi gros que le N. T. j'ai trouvé 20 mille „diverses leçons. Que feroit-ce donc, si l'on colla„tionnoit les MS. de *Terence* avec la même préci„sion, & si je l'ôse dire, avec la même minutie „qu'on l'a fait de ceux du N. T? Je suis moralement „assuré, que même sur la moitié moins d'Exemplai„res, les *Variantes* de ce Poète monteroient à plus „de 50. mille.„ Addit hisce Litterat. BENTLEJUS: „Il importe, de faire observer, que dans les Ma„nuscripts du N. T. on a porté l'exactitude sur les „diverses Leçons jusqu'à la dernière Superstition. „La plus petite difference, dans l'Ortographe, dans „les moindres particules, dans les Articles, dans „l'Ordre & dans l'Arrangement des mots, mis de„vant ou aprés sans rien changer au sens, a été „soigneusement observée. On ne s'y est pas con„tenté de donner cette espèce de torture au Texte. „On a fait aussi entrer, dans les *Variantes*, toutes les „anciennes Versions, *la Vulgate*, *l'Italique*, *la Syria*„*que l'Ethiopienne*, *l'Arabe*, *la Cophte*, *l'Armenien*„*ne*, *la Gothique*, *la Saxonne*, & comme si ce n'étoit

pas

„pas assez, on y a aussi recueilli les Citations de l'E„criture, qui se trouvent dispersées dans les Pères „*Grecs* & *Latins* des V. premiers siécles. Faut-il „donc s'étonner de ce, qu'aprés avoir ainsi fureté „dans tous les recoins pour y chercher des *Variantes*, „on en a trouvé trente mille? En pouvoit-on trou„ver moins dans ce livre sacré, puisque dans les „Ecrits de l'Antiquité, qui sont de la même gros„seur, & dont il reste plusieurs Manuscripts, il y en a „tout autant, & même d'avantage, quoiqu'il n'y ait „point de Versions qui en grossissent le compte? „ Eadem observatione Autor hic etiam hæc habet: „Nous devons adorer les soins & les bontés de la „Providence, qui nous a conservé tant de Manuscripts „du *Nouveau Testament*, que nous avons rassemblés „de tous les endroits de la Terre. Nous en avons „qui viennent de *l'Egypte*; plusieurs autres sont sor„tis de *l'Asie*, & les Eglises de *l'Occident* en avoient „aussi quantité. Leur nombre, de même que la di„versité des lieux éloignés, d'où ils ont été tirés; „demontre, aux plus défians, qu'il n'y a point eu „de collusion pour les fabriquer; qu'un Exemplaire „n'a été ni alteré, ni falsifié sur un autre, & que „tous n'ont pû l'être sur aucun - - - Le Dr. *Mill* „ - - - confesseroit volontiers, que le Texte de *Ro„bert Etienne* est quelquefois rendu incertain par les „*Variantes* - - - Mais il ajouteroit, que le vrai Tex„te des Ecrivains sacrés, dont l'Original est perdu „depuis bien des siecles, ne se trouve pas dans un „seul Manuscript, ou dans une seule Edition; & „doit être consideré comme dispersé dans tous les „Manuscripts, & dans toutes les Editions. Il est vrai „que celui *d'Etienne* a tout le dégré d'exactitude qui „convient à l'instruction du Genre humain. Les „Manuscripts les plus fautifs ont néanmoins le même „avantage: Il n'y a pas un seul Article de foi, ni „un seul Précepte de Morale, qui y soit ou perver„ti, ou perdu. Que l'on choisisse même à dessein „ce qu'il y a de moins bon, la Religion même n'en „sera point affectée.

§. CCCXXXVII.

Objiciunt porro Adverſarii: Apoſtolos in ſcriptis ſuis Prophetarum Oracula male explicare & falſo Meſſiæ ſuo applicare. Omni vero ſoliditate deſtitutam eſſe objectionem hanc oſtendit Doctor GEORGE STANHOPE *Défenſe de la Religion chrêtienne contre les Juifs & contre les faux Sages* &c. Sect. XVIII. XIX.

§. CCCXXXVIII.

Addenda *difficultatibus* hisce loca illa in N. Teſtamenti Libris contenta, quæ ſibi invicem contrariari arbitrantur Judæi; cum vero ab omnibus commentatoribus, Philologis ac Criticis paſſim illa ſoluta ſint, & ad ea etiam KIDDERUS *Demonſtration du Meſſie* reſponderit; neque magni illa quæ afferuntur ſint momenti, opera difficultates hasce ſolvendi ſuperſedebimus, ne in hoc Capite nimis prolixi fiamus; illas tamen allegabimus ut Lectori appareat parvi eas ponderis eſſe.

§. CCCXXXIX.

Quatuor nimirum ſunt harum *objectionum* claſſes. *Prima* ea continet dicta, in quibus ſcriptores ſacri ſibi ipſis contradicere Judæis videntur. *Secunda* claſſis ea comprehendit argumenta, quæ probare deberent, Hiſtoriam Evangelicam Legi Moſaicæ contradicere. *Tertia* claſſis ea reſpicit, in quibus Doctrina Chriſtiana nonnullis N. Teſtamenti locis contrariari videatur. *Quarta* Claſſis ea continet dicta, in quibus ex Judæorum opinione Apoſtoli Veteris Teſtamenti loca male explicant & applicant.

Repe-

Reperiuntur omnes hæ objectiones in Libro qui Autorem habet Rabbi ISAAC, cui titulus est *Chizouk Emunah*, sive *defensio fidei*, cujus secunda Pars in centum divisa Capita; ad refutationem Christianæ Religionis scripta est.

§. CCCXL.

Primus locus, in quo Scriptores Sacri sibi ipsis & rei veritati contradixerint, est ille *de Ficu maledicta* Marci XI. 13. 14. vide Chiz Em. Lib. II. Cap. 30. *Secundus* reperitur Lucæ XXIII. 34. vide citatum Judæi tractatum Lib. II. Cap. 40. *dicit autem ibi Christus: Pater ignosce eis, nesciunt enim quid faciant.* Hoc solum dictum Religionem Christianam funditus evertere putat Judæus hic. Ita nimirum Argumentum ejus procedit, aut Christus has fundens preces exauditus fuit, aut non exauditus? Si exauditus Judæi nunquam tam graviter fuissent puniti, propter crimen in Christi crucifixione commissum, sed condonata ipsis fuisset culpa hæc. Si non fuit exauditus, decepit suos Sectatores & decipiuntur Christiani omnes, dum putant Christum pro suis intercedentem à Patre semper exaudiri.

§. CCCXLI.

Tertia Objectio ex circumstantiis Resurrectionis Jesu Christi desumta est, 1. ratione temporis, dum Matthæus Cap. XXVIII. 1. Mulieres ad sepulchrum venisse dicit *illuscescente die.* Marcus Cap. XVI. 2. *Oriente sole.* Lucas XXIV. 1. *Summo mane.* Joh. XX. 1. *Mane cum adhuc tenebræ essent.* 2. Respectu Angelorum mulieribus hisce apparentium, quos duos fuisse dicit Lucas & Johannes, Matthæo & Marco nonnisi unius mentionem facientibus. *Quartam* non majoris mo-

menti *Objectionem* desumunt ex dicto Joh. II. 20. ubi non quidem Christus aut Evangelista sed Judæi dicunt: *Quadraginta sex annis constructum est hoc templum* &c. Quod oppido falsum esse contendunt hodierni Judæi.

§ CCCXLII.

Ad probandum autem, quod Lex Evangelio contrarietur sequentia afferunt: 1. Moses dicit Deut. VI. 13. *Timeas Dominum Deum tuum, & ipsum colas, & jures per nomen ejus.* Christus autem dicit: *At ego vobis dico, omnino non esse jurandum. Sed Sermonem esse debere, etiam, etiam, non, non. Quod præter hoc est, à malo esse.* Matth. V. 34. 37. 2. Nemini non constare asserit Judæus hic, Mosen proximi Amorem præcepisse Levit. XIX. 17. 18. & tamen Christum, qui hanc Mosis & Prophetarum Legem repetierat, dicere: *Præceptum novum do vobis, ut inter vos ametis, quomodo ego vos amavi, ut & vos ametis inter vos.* Joh. XIII. 34. Et Johannem hæc scribentem alibi dicere: *Præceptum illud non novum sed vetus esse quod à principio habuerint,* 1. Joh. II. 7. 3. Ratione divortii & Polygamiæ Christum Mosi Legislatori etiam contradicere Matth. XIX. 3-9. Judæi contendunt.

§. CCCXLIII.

Tertio in nonnullis communem Christianorum sententiam iis contrariari asserunt Judæi, quæ in Libris Evangelicis contenta sunt. Huc pertinet 1. Quod vulgaris Christianorum opinio sit, nullos præter Christum ex Maria natos esse infantes, cum tamen Matthæus dicat Cap. I. 25. *Non cognovisse eam Josephum donec filium suum primogenitum pepererit.* Et Fratres Christi venisse eum

quæ-

quærentes Matth. XII. 46. 2. Communem Christianorum sententiam esse dicunt, Jesum Christum verum esse Deum, cum tamen ipsemet dicat Juveni ad ipsum accedenti: *Quid me dicis bonum? Nullus est bonus, nisi unus Deus.* Matth. XIX. 17. 3. Potestatem etiam divinam sibi competere ipsum Jesum negasse putant Adversarii, adeoque ipsam divinitatem ab eo abesse, dum Matri Filiorum Zebedæi respondeat: *Ut mihi dextra lævaque assideatur, non est meum dare, nisi quibus id paratum est à patre meo.* Matth. XX. 23. Et quod in Patriam suam rediens *nullum potuerit patrare miraculum.* Marci VI. 5. 4. Contra nostram de Christi divinitate Doctrinam urgent porro locum Marci XIII. 32. *Ceterum diem illam, & horam nullus scit, ne angeli quidem cœlestes, neque filius, sed tantum Pater.* 5. Christianis denique hanc esse sententiam dicunt, Jesum nonnisi duas noctes & integrum diem in sepulchro mansisse, cum tamen ipsemet Christus dicat: *Ut fuit Jonas in ventre ceti tres dies & totidem noctes: Sic erit homine natus in terræ meditullio tres dies & totidem noctes.* Matth. XII. 40. quam difficultatem supra jam solvimus.

§. CCCXLIV.

Ad *quartam classem* ea pertinent loca, in quibus ex hypothesi Adversariorum Apostoli nonnulla Prophetarum dicta male citant, explicant aut applicant. Huc referunt 1. Quod Matthæus de Christo ex Ægypto Nazaretham veniente dicit: *Ivitque commoratum in oppidum quoddam Nazaretha dictum: Ut id fieret, quod à vatibus prædictum erat, Nazaræum vocatum.* Matth. II. 23. 2. Urgent dictum Matth. V. 43. ubi Christus ait: *Audivistis dictum: Proximum tuum amato, & inimicum*

tuum oderis. ' Summam hic Mosi fieri injuriam Judæi contendunt, cum ipsemet etiam hostes diligendos esse præceperit. Exod. XXIII. 4. 5. 3. Falso etiam dictum aliquod a Christo citari dicunt Joh. VII. 38. *Qui mihi fidem habet, ut perhibent litteræ, ejus ex ventre fluent perennis aquæ flumina.* Cum tamen nullibi in Prophetarum Libris dictum hoc reperiatur. Neque ullibi etiam in Veteris Testamenti Libris extare dicunt quod Jesus sive Messias dicturus sit: *Sitio.* Nihilominus apud Johannem extare. *Postea sciens Jesus, omnia jam perfecta esse, ut perficeretur, quod scriptum erat, dicit: Sitio.* Joh. XIX. 28. 5. Male etiam dictum aliquod de ossibus Messiæ non confringendis citari, Judæi ajunt, Joh. XIX. 36. 6. Huc etiam trahunt locum illum Marci II. 25. 26. *Nunquamne legistis quid fecerit David, quum aliquando egeret, & esuriret, ipse ejusque comites? Ut Dei domum ingressus Abjathare pontifice adpositios panes comederit.* Cum tamen certissimum sit Abjatharem nondum fuisse Pontificem, sed Abimelecum Patrem ejus. 7. Adjiciunt hisce illud Christi dictum Matth. XXIII. 35. *Ut in vos expetat omnis innocens sanguis in terris effusus ab insontis Abelis sanguine; usque ad Zachariæ sanguinem, Barachiæ filii, quem vos inter ædem & aram necastis.* Certo certius autem esse juxta 2. Chron. XXIV. 20-22. Zachariam hunc filium Jehojadæ summi Sacerdotis fuisse. 8. Malo etiam aliam Matthæi citationem sese habere dicunt Cap. XXVII. 3. *Tum accidit, quod à Jeremia vate dictum fuerat, his verbis: Itaque sumserunt triginta argenteos, pretium æstimati* &c. Nullibi vero apud Jeremiam verba hæc reperiri ajunt, sed potius apud Zachariam. 9. Falso etiam Christo appli-

applicari contendunt dictum illud Matth. II. 14. 15. *Ut conficeret, quod fuerat à Domino dictum, per Vatem ita dicentem: Ex Ægypto evocavi Filium meum.* Cum dictum illud à Propheta Hosea de Populo Israelitico ex terra Ægypti educto intelligatur. 10. Hisce denique addunt citationem Matthæi Cap. II. 17. 18. *Tunc accidit id, quod à Jeremia vate ita dictum fuerat: Auditur apud Ramam vox, lamentatio comploratioque, & multus questus, Rachel est suos natos deplorans insolabiliter, quia perierunt.* Dicunt locum hunc de decem tribuum captivitate esse explicandum, quas Propheta Ephraimi nomine designet, dum Rex illarum Jerobeam ex tribu illa fuerit.

§. CCCXLV.

Addunt *difficultatibus* hisce etiam hanc generalem; usque ad Evangelium Verbum divinum tot difficultates, tot dubia, tot varias intelligentias perpessum nunquam fuisse. Tot vero sectarum differentias Evangelio ortum suum debere, cum antea sacra scripta sincere ab omnibus fuerint intellecta; conservarique populum per totum orbem dispersum adeo in religione unitum, ut jam nulla secta, nulla hæresis, sine rege, sine judice, sine punitione pro transgressoribus; sed unica ubique facies Ecclesiæ, unus intellectus, una fides. A nascente autem Ecclesia Christiana, multa extitisse Evangelia sibi contraria, plurima statim rejecta, inde ab Apostolis Hæreses in Ecclesia nunquam defecisse, ad nostra usque tempora. Non quidem in rebus parvi momenti, sed quæ ad Religionis essentiam pertinebant: Circa Trinitatem, Christi divinitatem, æqualitatem, & consubstantialitatem cum Patre, personalitatem, humanitatem, corporalem aut sacramentalem in

Eucharistia præsentiam, in Sacramentorum numero, & essentia, in baptismate, an de necessitate salutis, an non ita? Inde Ebionitæ, Arriani, Manichæi, Anabaptistæ, Sociniani, & alii plurimi Sectarii; inde Idololatria papistica, quam ab Apostolis traditam totus Christianismus plusquam per mille & tercentos annos defenderit. Unde igitur tot discrimina, tot sectæ, nisi ex Veteris & Novi Testamenti adeo diversa intelligentia? Unde sequatur Christi Revelationem non umbras fugasse, non obscura patefecisse, sed majoribus confusionibus occasionem præbuisse, ut singulæ sectæ absque malitia Verbum purum Dei se habere glorientur. Pontificios præprimis circa plurima novam exigere fidem, Adversarii ajunt, cum eo prætextu, quod a Christo & Apostolis receperint, quibus si credidissent Judæi, necessario Idololatræ essent. Ex quibus omnibus sequatur, Evangelium claram & apertam ad æternam salutem viam neutiquam revelasse.

§. CCCXLVI.

Ad hanc objectionem, quæ ab omnibus Christianæ Religionis hostibus movetur, jam supra (Cap. VI. §. 273. 274) *respondimus*; ex quibus patet tot sectarum discrepantias Doctrinæ Evangelicæ ejusque naturæ adscribendas minime esse. In omnibus etiam disciplinis, quanquam clarissimis, hoc accidere solet, ut maxima sententiarum sint divortia. In gratiam autem Judæorum nonnulla hic addemus. *α*. Falsum nimirum, nullas unquam, & quidem in re maximi momenti, in Judaica Ecclesia extitisse sectas; nonnisi præcipuas hic nominabo, *Sadducæos* scilicet, qui illius temporis Athei, Deistæ, Epicuræi & Rationalistæ sive

Natu-

Naturalistæ fuere; & *Pharisæos*, qui reliquos ex Judæis, superstitionis typho inflati, contemtim habebant. β. Ita enim comparata erat Judæorum Respublica atque Ecclesia, ut in rebus circa Religionem credendis faciendisque ab ore illorum, qui in Mosis Cathedra sedebant, plane penderet, omnesque lites atque controversiæ ita à concilio illo decidebantur, ut æqualis judicio illorum præstanda esset obedientia ac si ipse Deus locutus fuisset; quo factum ut omnes circa Doctrinam aut cultum controversiæ ortæ cum Autoritate quadam facilius quam hodie dirimi atque removeri potuerint. γ. Ex unico porro Ecclesia illa constabat Populo, qui à Mose divino Legislatore iisdem imbutus erat Religionis Principiis, qui ab eodem regebatur Senatu atque Rege, cujus Cultus unico alligatus loco erat, unde facillime omnia Religionis dissidia avertebantur. Nunc vero post Christi Apostolorumque ætatem, innumeræ fere nationes ad Christianam accesserunt Religionem, quæ singulæ suis imbutæ erant præjudiciis, quæ sæpissime ex hominum animis erui non potuerunt; & propter illam Populorum diversitatem, variasque quas habuerunt præconceptas opiniones factum, ut quilibet Librorum Evangelicorum sensum opinionibus suis accommodaret & in suas raperet partes; ortæ inde controversiæ à Conciliis subinde sopitæ, subinde renovatæ, quæ in Vetere Judæorum Ecclesia propter caussas allatas locum habere minime potuerunt, propter unitatem Populi, Principis, Loci cultus externi, & controversiarum Judicis. δ. Si denique inde est ut nullæ oriantur sectæ, quia revelatio tam clara est ut nullus de

ejus

ejus sensu possit esse dissensus, sequeretur ex Judæorum mente circa sensum eorum, quæ in Libris V. T. continentur, nullam plane oriri debere controversiam, quod cum falsum sit, sequitur, non revelationis vel obscuritatem vel claritatem in caussa esse cur male illa intelligatur, sed ipsum hominum intellectum variis præjudiciis atque carnis cupiditatibus obtenebratum.

§. CCCXLVII.

Ut ad finem tandem pergamus unicum hoc superest, quod Christiani, ut Judæos infidelitatis suæ convincant, etiam hoc contra ipsos movent, vel potius eos monent, ut attendant ad miserum suum statum in quo fere inde à Christi cruxifixione per septendecim degerunt sæcula, divina maledictione ubique eos singulari modo prosequente, ut nullus in universa Terra Populus sit qui tantis affectus fuerit plagis; precantur ipsos Christiani intime misericordia tacti, ut ipsimet animo revolvant, annon peculiare illud crimen in Jesu Christo commissum & insequens postea infidelitas, tam gravis pœnæ caussa sit? Argumentum hoc jam CHRYSOSTOMUS Orat. III. contra ipsos attulit, dicens: *Lubens de integro unumquemque illorum interrogaverim, ob quæ tandem peccata, o Judæe extra Hierosolymam agis, tanto tempore?* & PRUDENTIUS, in Apotheosi, contra Judæos.

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, postquam patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.
En quo priscorum virtus deflexit avorum!

Imo ipse Propheta Daniel calamitatem hanc iis prædixerat in illustri illo vaticinio Cap. IX.

cau-

caussamque illius subindicaverat, dicens: *Post septimanas autem illas sexaginta duas excidetur Messias, sed non propter se; Civitatem vero ipsammet, ipsum Sanctum perdet, populumque antecessoris in generatione proxima, adeo ut finis ei sit cum inundatione denique ad finem belli erit extrema desolatio.* Et sententia ipsis jam per Apostolos pronunciata fuit, Act. XIII. 46. ubi Judæis dicunt: *Vobis oportuit primo loqui Sermonem Dei: Quoniam vero repulistis eum, vosque haud dignos habetis æterna vita, ecce, convertimur ad gentes. Sic enim præcipit nobis Dominus.* Imo ipse Christus intimis misericordiæ visceribus commotus futuram hancce calamitatem ipsis prænuntiat, infidelitatis illorum caussam allegans, dum inter alia etiam sic urbem Hierosolymam alloquitur: *Deinde, ut propius accessit, visa urbe, deploravit eam, dicens: O si scires tu, & quidem hac ipsa tua die, quæ tibi saluti forent, sed nunc tuos latent oculos. Veniet enim tibi Dies, quum te tibi hostes vallo circumdabunt, & circumsidebunt, & prement undique, teque & tuos in te natos complanabunt, nec in te lapidem lapidi impositum relinquent: Quoniam tempus, quo tui habita cura fuerit, non noveris.* Lucæ XIX. 41 - 44. Ipsimet quidem Judæi confiteri tenentur singulari modo se præ reliquis nationibus gravissimis affici pœnis, unde in *Schebet Jehuda*, ex versione Gentii pag. 339. inter alia etiam hæc verba extant: *Salomo inquit: Si quis mortalium animo & cogitatione percurrat magnas illas calamitates, quas patiuntur Hebræi; incredibili certe admiratione ductus, ita quærere posse videtur: Quænam tantarum irarum caussa est, quas Deus in Judæos evomit? Nulla certe usquam sub cœlo gens tantis malis unquam est conflictata: Cum tamen alias gentes, Hebræa longe gravius Summi Numinis maje-*

majestatem violasse constet. Et hoc verissimum est; quod alibi jam diximus, ænigma esse Judæorum sortem, si historiam Evangelicam negamus, omnium vero horum eventuum ac phænomenorum clavem haberi, si eam admittimus. *Objiciunt* autem contra eam quam rejectionis illorum afferimus caussam 1. Juxta Doctrinam Evangelicam Judæorum ex Palæstina ejectionem & in universa Terra dispersionem pœnam nullam esse, siquidem carere Regno terreno, potentia, divitiis, summaque inter homines Libertate, nulla sit pœna, dum Evangelium ea doceat flocci facere; omnia contemnenda suadens, unde non magnum Israëli supplicium fuisset, hisce privari; quandoquidem & alia Regna Christo nomen dantia potentiam suam penitus amiserint, Regibus Mahometanis parentia; sicut & Ecclesia Christiana Græca sub Turcæ imperio ab aliquibus annis gemat; Christoque tamen infidelis non sit. Unde Israëli nihil præstaret si Evangelium recipiens Palæstinæ Regnum adhuc obtineret? Dum secundum Evangelii Doctrinam id non foret æstimatione dignum; potius ut terrenum, & caducum maxime contemnendum, sublimioribus duntaxat & cœlestibus intentis. *β.* Dicunt impossibile esse Messiam occidi, dum id sit contra expressum Dei verbum, qui toties repetiverit, Judæos ubique eum quæsituros, eumque futurum Principem & Regem in medio illorum, eosque ab omnibus iniquitatibus tunc temporis expiandos, divina lege cordibus ita indita, ut non amplius eam prævaricare velint. *γ.* Addunt hisce: Judæos jam olim in Captivitatem deductos fuisse Babylonicam, cujus pœnæ ratio infidelitas in Messiam ejus-

que

que crucifixio esse minime potuerit; imo Tribum Judæ, Benjamin & Leviticam inde ab eo tempore, quo in Babylone captivæ fuerint, in eadem captivitate ad præsens usque perseverasse. Cum enim à Cyro Rege facultas Hierosolymam redeundi data esset, exiguam Populi partem id beneficium voluisse admittere, dum quietam magis ac securam vitam exules agere potuerint, quam ipsi illi qui Hierosolymis habitabant, qui variis modis ab inimicis suis vexabantur.

§. CCCXLVIII.

Non dubito, ut brevem addam responsionem, quin ipsi Adversarii intime convicti sint, omnes has objectiones nullius plane momenti esse; siquidem optime sentiant differentiam inter hanc & præcedentes captivitates, neque ipsi negant statum illum, in quo jam per tot sæculorum decursum versantur, ceu pœnam gravissimam considerandum esse. Quod *primam* objectionem spectat, omnino Evangelium jubet animum à terrenis atque caducis avertere & cœlestia æternitatemque latura præferre; at Judæorum pœna non in hoc solum consistit, quod quieta Terræ suæ possessione atque bonorum terrestrium usu frui nequeunt, sed quod à Deo rejecti sunt, ut maledictio divina in caussa sit, cur Terra, quam ipse Deus illis hæreditario jure possidendam tradiderat, expulsi, cur divini Cultus exercitio privati atque omnium ludibrio expositi sint. Aliud enim est animum à terrenis atque carnis voluptatibus avertere, quod Evangelium præcipit, aliud maledictionem divinam propter gravissimum aliquod crimen sentire, atque nullis divinæ benedictionis signis frui. *Secundo* impossibile esse dicunt, ut Judæi Messiam occidant, dum maximo

cum

cum desiderio ipsum semper exspectaverint; at hoc non impedit quo minus, propter varia quæ habuerunt præjudicia, in ejus persona erraverint, ipsum enim non qua Messiam internecioni dederunt, sed quod ipsorum opinioni non responderit Jesus Nazarenus. Si vero Deus promiserit Judæos Messiam quæsituros, id jam olim, dum Jesus & Apostoli Evangelium prædicabant impletum, quoad multos qui veri fuerunt Israëlitæ & Abrahami Filii non secundum Carnem tantum sed & secundum Spiritum; & in omni Emphasi aliquando in totius Israëlis conversione promissio hæc implementum suum accipiet, quod omnes Christiani ut mox fiat piis precibus à Deo efflagitare debent. Prætexunt *denique* multos olim in Captivitate mansisse dum Hierosolymam redeundi facultas ipsis concederetur. Sed an recte fecerint nunc non disquiram, ipsis Judæis hoc dijudicandum relinquo, firmum tamen semper manet singularem atque gravissimam hanc pœnam esse peculiarisque maledictionis signum, quod Adversarii ipsi non diffitentur, quod tam longo jam temporis spatio à Deo rejecti sunt & nulla plane Exilii solamina habent, qualia olim in Captivitate Babylonica habuerunt. Nullum autem ostendi potest peccatum, quod præcedentia superet & iis longe gravius sit, quodque diutinam istam rejectionem meruerit, quam Messiæ contemtus. Ardenter ideo humiliterque Deum Misericordiæ supplex oro, ut ipse mentem Populi hujus collustret, ut in caussas afflictionum atque calamitatum suarum inquirat, ut tandem ipsum de iis pœniteat, caussam rejectionis suæ per Dei gratiam tollat, atque ad unicum Mundi Salvatorem animum suum convertat.

CA-

* * * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPUT XI.

SECTIO II.

DE

Muhammedanismo.

§. I.

Per MUHAMMEDANISMUM eam intelligimus Religionem, quæ à Sæculi septimi initio à Pseudo-Doctore aliquo MAHUMEDE ortum suum traxit.

Hanc de Mahummedanismo tractationem eum in finem systemati nostro inserimus, non ac si ea nobis mens sit quasi illius ope Turcarum conversio promoveri possit; sed necessarium id fuit *primò* ne huic Systemati nostro aliquid desit quod ad ipsius essentiam pertinet; cum enim Turcarum Religio longe lateque in terrarum Orbe pateat, imo multo plures ac ipsa Christiana Religio habeat Confessores, indicandum nobis fuit, brevissime licet, quænam illius sit vera ratio, & quonam modo optime refutari possit. *Secundo* propter nostram etiam Religionem, ut de Muhammedana agamus necesse est: Dum enim ad illius divinitatem contra Naturalistas probandam, argumenta ab immediata ejus Revelatione proferimus, nec non à subitanea illius per totum fere orbem disseminatione, cujus, præter Veritatis ejus Evidentiam, singulareque Dei auxilium ex singulari ejus progressu elucens, alia ratio reddi nequeat: A doctrinæ quoque Evangelicæ contra infensissimos illius hostes ad nostrum usque diem miraculosa conservatione pro ejus divinitate argumentantibus Antiscripturarii objicere solent; non minus Turcas ac nos divina gloriari Revelatione,

majora illorum ac nostram Religionem mox ab ejus initio incrementa habuisse; nec minus ac nostram omni tempore floruisse, ut adeo à Religionis Christianæ præ reliquis prærogativis ne minimum quidem argumentum deduci pôssit. Si vero vera Religionis Turcicæ ratio, si ejus natura ac caussæ exponuntur, statim patet quænam inter illam & Christianam sit differentia, & quod illius prærogativa cum Christianæ minime comparari possint.

§. II.

Autor Sectæ vocatur MAHUMED, *Desiderius*. Sura III. 144. Patria Arabs. Sura XLI. 43. Ex Urbe Mecca. Sura XLVII. 14. Ex Koreischitarum familia natus A. C. 571. Ex ephebis excedens Servus Camelarius factus & in negotiationibus adhibitus est. Inter Arabes Idololatra fuit.

Vide Clarissi REINECCII Cap. I, §. II. Editioni Alcorani præfixum; BOULAINVILLIERII Vie de Mahomet, & JOH. GAGNIERII vie de Mahomet; nec non quæ habet PETRUS BAYLIUS Dict. Tom. III. sub voce Mahumed.

Religionis hujus occasio.

§. III.

Crasse Idololatriæ ac πολυθείας, nec non absurdi cultus ac superstitionis, qua Cives suos laborare videbat, pertæsus, aliorum Cœtuum Sacra investigare incipiebat & odio adversus Arabum Religionem incitatus fuit, quæ prima instituti ejus, de Gentilium Religione emendanda, occasio fuit.

§. IV.

Sive sit ut in animi morbum propterea incidens revera divinitus se ad Religionem corrigen-

rigendam missum esse crederet; sive eum in finem Prophetam ac Legatum Dei sese venditaverit ac varias Dei Revelationes jactaverit, ut dolo malo placita sua propagare posset; id certum est ipsum, cum ex voto sibi institutum suum succedere videret, ad rem suam firmandam variis dolis ac fraudibus usum fuisse.

§. V.

Primo Concives suos Meccanos id solum cohortatus est, ut crassa Idololatria relicta unum Deum agnoscerent.

§. VI.

Postea vero cum ipsi resisteretur, ulterius quam ab initio sibi proposuerat progressus est.

Religio, inquit Reverendiss. MOSHEMIUS Hist. Christ. Sec. VII. Parte I. c. 11. §. 3. *quam tradidit, non talis est qualis fuisset, si nihil conatibus ejus restitisset. Arabum enim in tuendis majorum opinionibus & institutis pertinacia, spesque Judæos æque ac Christianos sibi conciliandi, multa eum sine controversia ferre ac probare jusserunt, quæ, si quod volebat, idem facere licuisset, rejecisset & abrogasset.*

Hujus sectæ caussæ.

§. VII.

Si *caussas* inquirimus, cur Secta hæc longe lateque sese diffuderit & per totum fere Orientem disseminata fuerit hæc Disciplina; variæ statim ultro nobis sese offerunt. α. Nihil dicam de ignorantia ac stupiditate, in qua illius Pseudo-Doctoris conterranei versabantur

 Sed

§. VIII.

Sed β. maxime ad Sectæ hujus plantationem contulerunt acerbissima Christianorum dissidia, per quæ Ecclesiam Orientalem non in varias mod do dividebant partes, sed Disciplinam etiam Christianam continuæ illæ contentiones apud Infideles maxime exosam reddebant.

§. IX.

His γ. accedit *tum* quod multa ex Veterum Arabum placitis retinuit Muhammedes, uti constat ex Historia Arabum, quam edidit ABRAHAMUS ESCHELLENSIS; quod etiam patet ex ipsa Peregrinatione Meccana & Visitatione Saphæ & Marvæ, ex Jejunio Ramadhan, aliisque. *Tum* quod Judæorum Fabulis suam commiscuit Doctrinam; *tum* quod ex reliquarum tunc temporis dominantium Religionum Disciplinis multa retinuit.

Est enim, inquit Celeb. REINECCIUS Cap. 1. in Hist. Alcorani §. V. *hæc rapsodia ex Sacris Ethnicorum, Judæorum & Christianorum veris & falsis commixta & propriis hujus Impostoris & Cooperariorum Gnosticorum, Nestorianorum & id genus hominum somniis aucta.*

§. X.

δ. Insuper etiam Lex, quam ille tulit, non hominum modo Opinionibus, sed Populorum illorum etiam corruptæ Naturæ ac Moribus & innatis Vitiis præprimis accommodata erat; nec fere nisi in exercitiis externis, homini carnali, spiritualibus illis quæ Sacræ præscribunt Paginæ, præstitu longe facilioribus, consistebat.

ε. At

§. XI.

ι. At non tam simplici Doctrinæ suæ persuasione ac demonstratione, uti Jesu Christi Apostoli fecere, quam vi & armis Placita sua Muhammedes disseminabat ac propagabat, quod hac ratione felici cum successu in multis regionibus executus est.

§. XII.

ς. Ipsi etiam Nestoriani & Monophysitæ, à Græcis vario modo oppressi, Arabibus in variarum Provinciarum occupatione opem tulere.

Hypothesis Primaria
sive
Πρῶτον ψεῦδος
cum
Erroribus in illo contentis.

§. XIII.

ERROR PRIMARIUS Religionis Turcicæ in hoc consistit, *quod Mahumedem agnoscunt omnium Prophetarum ac Legatorum Dei excellentissimum, & quod Libro illo, in quo Lex ejus continetur, nihil sanctius ac divinius habent, tantamque Muhammedi ac Libro illius Venerationem exhibent, quanta ipsi Deo ac Libro divino exhiberi potest.*

Multa sunt quæ Mahumedanis gratis imputantur; unde uti in reliquis ita etiam hoc in Capite caute procedendum, ne umbram loco corporis debellemus, ita enim Celeb. RELANDUS observat in Tractatus de Relig. Mohammedica præfatione §. IX. *Hæc*, inquit. *cum operose & multa contentione ab iis disputa-*

ta sunt, arbitrantur se Mahommedem egregie confutasse; quum nec Mohammed nec Mohammedani unquam istiusmodi opiniones fuerint amplexi. Quid est ignorationem Elenchi committere, & non probare quod probandum est, si hoc non est? Hoc est figmenta cerebri sui ut veros Hostes adgredi & νικειν πολέμους ὀυκ ὄντας. - - -

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.

Candide agendum est, ne ludibrium debeamus adversariis. Addit. Lib. II. §. 1. pag. 95. „Maxima tamen „pars eorum, qui in hoc Argumento versati sunt, „nulla plane cognitione literarum Arabicarum im„buti ad oppugnationem Mohammedanorum acces„sere. Unde multa scripserunt certissima fide credi „& affirmari à Muhammedanis, quæ nunquam iis in „mentem venerunt, & nullus nisi excors atque ani„mi ratione destitutus pro suis agnoscat. Adde quod „zelus imprudens Græculorum multa iis adscripse„rit, quæ ipsi execrantur Mohammedani; ut „fere fieri solet, quum maligni homines adversarum „partium sententiam explicant. Quare propositum „nobis est, dogmata quædam, perperam attributa „Mohammedanis, examini subjicere, & erroris fon„tem aliquando indicare, ne mendaciis pascantur „illi, qui fidem adhibent omnibus iis quæ vulgo „de Mohammedanis traduntur.„ Hactenus RELAN„DUS. Ab hoc, uti suo loco videbimus, Celeb. RELANDUS Turcas etiam liberat inter alia plura, quod Deum agnoscant Peccati Autorem Lib. II. p. 111. seqq. Putat vero Reverendus atque Celeb. WALCHIUS: Relandi ceu Reformati fidem hac in re suspectam esse, dum eadem ipsis cum Turcis sententia sit, ut Turcarum Secta ac Reformatorum Ecclesia communionem quandam inter se foveant; sic nempe Viri Venerandi verba habent: *IV. Behauptet man eine absolute Nothwendigkeit; mithin beuimmt man so wohl Gott in seiner*

Vor-

Vorsehung; als dem Menschen in seinen Handlungen die Freyheit; und macht das böse nothwendig; indem man aber dieß principium annimmt, so muss man auch nothwendig Gott vor die Ursache der Sünden halten. Dieses Puncts wegen will zwar Reland den Mohammedanern das Wort reden, und sucht sie in dem Tr. de Religione Mahammedica zu vertheidigen, dass sie Gott keinesvvegs vor den Urheber des bösen hielten, indem dasjenige aus dem Alcoran, so man dahin deuten vvollen, vveiter nichts anzeige, als dass die göttliche Providenz so vvohl bey guten; als bösen Verrichtungen statt habe. - - - Inzwischen darf man sich nicht vvundern, vvenn die Reformirten, und unter denselben insonderheit Reland, in dieser Sache mehr vor; als wider die Mohammedaner sind, indem sie gevvisser massen mit ihnen in einer Gemeinschaft stehen, und vvohl vvissen, daß man sie vvegen ihrer Meynung von der absoluten Prædestination Schlußvveise eben dieses Irrthums, als vvenn Gott Ursache der Sünden sey, beschuldiget. Sagen die Mohammedaner, es erfolge alles nach einer absoluten Nothvvendigkeit, so behaupten sie dieses auch insonderheit in Ansehung des Lebensziels, und meynen, Gott habe solches einem jeden Menschen so absolut bestimmt, daß es vveder könne verlängert; noch verkürzet werden. Einleitung in die Religions-Streitigkeiten Tom. V. cap. IX. §. VII. p. 604. Ita autem in errorum horum expositione versabimur, ut eos primum tum ex Alcorano, tum ex Compendio Theologiæ Mohammedicæ, quod Celeb. RELAHDUS Arabice & Latine exhibet ob oculos ponamus, de quibus nulla plane Controversia est quod Jure Turcis imputandi sint; deinde eorum etiam mentionem faciemus à quibus à Celeberrimo hocce Viro liberantur

§. XIV.

Liquet ex hisce quod, cum Mohammed ex primaria eorum hypothesi omnium Prophetarum sit præstantissimus (§. 13.) illi Jesum Christum postponant; De quo hæc *Mohammedi* fuit sententia α. quod non sit Deus. *Sura* V. 19. *Jam*, inquit, *porro infideles fuerunt illi, qui dixerunt utique Deum est Christus.* β. Et Spiritus à Deo. *Sur.* IV. 169. & verbum Dei l. c. γ. & nonnisi Legatus Dei *Sur.* V. 84. δ. patrabat miracula sanans cæcum ex nativitate & leprosum *Sur.* V. 119. Educens quoque è sepulchris mortuos. ε. Et ipse Jesus Filius Mariæ positus fuit in Miraculum. *Sura* XXIII. 52. ϛ. Aliis etiam fuit propositus in exemplum. *Sura* XLIII. 56. ζ. Venit confirmaturus Pentateuchum. *Sura* III. 49. η. Non fere sed in similitudinem tantum crucifixus fuit; objecta est Judæis similitudo ejus & non occiderunt eum Vere *Sura.* IV. 156. θ. Ipse cum Maria in locum sublimem, in quietem receptus est. *Sura* XXIII. 51.

§. XV.

De se vero Mohammed præcipue sequentia habet, α. Sacras Paginas illum annunciasse asserit Sura VII. 158. 159. *Qui sequentur*, inquit, *Legatum, Prophetam idiotam* (Mohammedam scil.) *quem invenient scriptum apud se in Pentateucho & Evangelio: præcipiet eis justum, & prohibebit eos ab injusto: - - Qui vero crediderint in eum, & honoraverint eum, & adjuverint, & secuti fuerint lucem, quæ demissa fuit cum eo: illi erunt felices.* Sese etiam *Legatum manifestum* vocat. *Sura* XLIV. 13. β. *Prophetam* se appellat. *Sura* V. 90. *Sura* VIII. passim; & *Sigillum & prophetarum. Sura* XXXIII. 39.

γ. As-

γ. Afferit fe à Gabriele edoctum fuiffe. *Sura* LIII, 5. LXXV. 18. δ. Miracula nulla patravit *Sura* II. 119. Cujus rei varios adducit prætextus *Sura* III. 184. *Sura* IV. 152. *Sura* VI. 7. 8. 34. 36. 109. 124. alibique paffim. ε. Fidem non minus in fe quam in Deum poftulat. *Sura* V. 90. XLVIII. 9. & l. c. 13. ubi inquit: *Et qui non crediderit in Deum, & Legatum ejus, certe nos præparavimus infidelibus ignem æstuantem.* Poftulat etiam fui Venerationem. *Sura* XLVIII. 9. ς. Ea prophetæ hujus præ Chrifto dicitur prærogativa, quod Alcoranus dirigat ad eam Viam, quæ eft directior. *Sura* XVII. 9.

In Compendio Theologiæ quod RELANDUS exhibet l. c. Lib. 1. pag. 31. dicitur. „Primus omnium „(Legatorum) Adamus fuit, ultimus & excellentiffi„mus Mohammed, cui ut & reliquis omnibus „Deus propitius fit & benedicat. Præftantiffimus „Creaturarum & ordini Prophetarum proximus fuit „Abubeker, dein Omar; tum Othman, denique „Ali. Poft hos ordine dignitatis fequuntur fex ho„noratiffimi (Mohammedis Socii) Talcha, Alzobeir, „Saad, Seid, Abdorachman & Abu Obeida; & poft „eos reliqui Socii ejus, & poft hos ætas illorum „hominem ad quos miffus eft Mohammed - - - „Numerus Prophetarum juxta traditionem quandam „excurrit ad 224000; at juxta aliam traditionem „124000. inter illos tredecim & trecenti Legatorum „munere functi funt, & qui novas conftitutiones „attulerunt fex funt, Adamus, Noachus, Abraha„mus, Mofes, Jefus & Mohammed.

§. XVI.

Ex dictis facile apparet, Sacræ Scripturæ fuam non conftare dignitatem, licet ejus divinitatem agnofcere videatur Mohammed. α. Enim Libris Canonicis alios plures Apocryphos addit,

qui pro Genuinis nunquam fuere habiti, quique tribuuntur Noacho, Abrahamo, Ismaëli, Isaaco & Jacobo, *Sura* IV. 162. Nec non Adamo, Setho & Enocho aliisque pluribus. β. Libros quidem Sacros V. & N. T. Mohammed admittit tanquam divinos sub Nomine Pentateuchi, Psalterii, Prophetarum, Evangelii, & ejus quod Mosi, Jesu & Prophetis, Davidi Judæis & Christianis datum sit ante se; unde ad Legem seu Pentateuchum & Evangelium sæpius provocat, & semper similitudinem & conformitatem Alcorani & S. Scripturæ urget; at non tales Libros Sacros admittit quales existunt, nam licet veros Codices producere nunquam potuerit, eos tamen à Judæis Christianisque esse corruptos asserit, dum Vaticina de Mahommede ex illis deleta fuerint, iisque Codices depuratos suos opponit, quos in Alcorano in integrum restitutos Turcæ asserunt.

„Itane, inquit Celeb. RELANDUS in notis ad Comp. „Theol. Rel. Mohammed. pag. 23., dicet aliquis, „num agnoscunt Mohammedani Pentateuchum Mosis, „& Evangelia esse Libros θεοπνεύστους; cur ergo rejiciunt „nostras argumentationes inde petitas? Verum, „quum illi de lege Mosis, vel Evangelio loquuntur, „non nostros Codices intelligunt, sed antiquos illos, quos à Judæis & nobis ita corruptos esse fin„gunt, ut nil minus sint hodie quam divina Volumi„na Genuina autem illorum Librorum exempla „ajunt esse diu deperdita; quare nec ipsi à nobis „rogati ullum incorruptum Codicem Legis Mosaicæ, „vel Evangeliorum exhibere queunt: quod dam„num vehementer illos torqueret, nisi unus iis Co„ranus sufficeret; Inter loca, quæ corrupta esse cla„mant, sunt Ps. II. 7. *Ego genui te*: ubi legendum „dicunt. *Ego educavi Te*; quæ voces apud Arabas „nonnisi per Tesdid (sive Dages Hebr.) distinctæ sunt,

„&

„& pro Filius meus Propheta meus, & Joh. XVI. 7. „παρακλητος Advocatus malè legi pro περικλυτος, Mohammed, inclytus„ Hactenus RELANDUS. In textu Compendii hæc extant pag. 19. seq„ Fides „in Libros Dei hæc est, quod animo persuasi simus „& lingua confiteamur, Deo esse Libros illustres, „quos coelitus demisit ad Prophetas suos, quæ demissio sine creatione facta est, æterna sine pro-„ductione - - - Hi Libri sunt numero centum & „quatuor, è quibus decem Deus excelsus demisit „ad Adamum; quinquaginta ad Sethum, triginta „ad Idrisum (sic appellat Enochum) decem ad „Abrahamum, unum ad Mosen qui est תורה, Pen-„tateuchus, unum ad Isam (Jesum) qui est Evan-„gelium; unum ad Davidem, & hic est Psalmo-„rum liber; & unum ad Muhammedem, qui est „Alfurcan (Alcoranus). Qui hæc Volumina abne-„gat, vel de iis aut parte eorum, vel Capite vel „versiculo vel verbo ex iis dubitat, certe infidelis „est. Serva nos o Deus, ab infidelitate!

§. XVII.

Cum Alcoranus dirigat ad viam quæ directior est; *Sura* XVII. 9. confirmans quod præcessit in Scripturis V. & N. T. *Sura* II. passim, *Sura* III. VI. 93, ibique facilitans, abrogando quæ difficilia nimis fuerunt. *Sura* II. 287. Hinc abolita S. S. vel saltem seposita, & per ignorantiam Idiomatis neglecta: *Sura* VI. 156. Soli Alcorano, in locum S. Scripturæ surrogato, *Sura* XVI. 103. Mohammedani inhærent, & illum pro æterno Dei Verbo amplectuntur & venerantur *Sura* III. 138. Cui Turcæ porro jungunt *Sunnam*, in qua reliqua dicta & facta Mohammedis, Traditione Orali conservata, continentur. Vide REINECCIUM Cap. III. p. 90.

§. XVIII.

Tum negato tum ignorato vero Religionis Prin-

Principio (§. 17.), mirum non est si etiam circa principiata magnopere cœcutiant Mohammedani, & *primo* quidem circa *Fidei objectum* Deum, de quo quidem non tam crasse sentit Mahumet quam Populus in quo natus erat; sed ad deputatam Theologiam Naturalem magis accedit, dum πολυθειαν & Idololatriam Ethnicorum oppugnat *Sura* II. 22. *Sura* VI. 19. 101. *Sura* VII. 190. alibique sæpius unitatem veri Dei fidelissime inculcat *Sura* IV. 169. *Sura* VI. 19. *S.* XVI. 22. & non esse Deum nisi unum i. e. Deum verum seu Jehovam docet. De Attributis divinis magnifice loquitur *Sura* II. 256. *Deus*, inquit, *non est Deus præter ipsum: Vivus, Subsistens. Non capit eum dormitatio, neque somnus; Ipsi est quod in Cœlis, quod in terra reperitur, Qui est ille, qui intercedat apud eum, nisi per Voluntatem ejus? Scit quod fuit ante eos, & quod erit post eos: & non comprehendent rem ullam de scientia ejus, nisi quatenus ipse voluerit. Ambit amplitudine sedes ejus cœlos & terram, neque gravat illum custodia amborum; ipse est excelsus, magnus;*

In compendio supra citato dicitur pag. 5. „Nititur Islamismus quinque fundamentis, quorum primum „est confessio de Deo, non esse nisi Deum illum „verum, & Mohammedem ejus Legatum esse. Et „pag. 7. Fides in Deum est vera agnitio quæ ani„mo fit, & confessio linguæ, quod Deus excelsus „sit, Existens, Verus, Permanens, ipsa essentia, „æternus sine initio, & permansurus in æternum, „cui nulla est figura, aut forma externa, aut locus „aut æqualis, aut par, aut similis, aut motus, aut „mutatio, aut translatio, aut fractio. Ille est remotus „ab alio, qui ei adjungeretur, unus, æternus, vi„vens, sciens, potens, volens, audiens, videns, „loquens, faciens, creans, sustentans, artificiose pro-

„du-

„ducens, vivificans, & morti dans, omnibus rebus „tradens initium, omnes reverti faciens, judicans, „decernens, dirigens, imperans, prohibens, recte di-„rigens & in errorem ducens, retribuens, remune-„rans, puniens, benignus, Victor. Et ipsi sunt „Attributa æterna in essentia ejus in æternum & æ-„ternum, sine separatione aut mutatione, & illa „non sunt ipse, nec tamen diversa ab ipso. Atque „ita omne attributum est cum alio conjunctum, uti „Vita cum scientia aut scientia cum Potentia. Sunt „autem hæc Attributa, Vita, Scientia, Potentia, „Voluntas, auditus, visus, sermo, æternitas tum „respectu initii tum finis, actio, creatio, sustentatio, „productio, artificium, vivificatio, occisio, prima „rerum productio, earum reductio, sapientia, de-„cretum, directio in bonum, seductio in malum, „retributio, remuneratio, punitio, gratia & victo-„ria. Et hisce Attributis nobilibus & pretiosis præ-„ditus est Deus excelsus, quibus eum cognoscunt „fideles: & quicunque hæc Attributa, aut aliquid „ex iis negat, aut de iis vel eorum aliquo dubitat, „profecto infidelis est. Serva nos O Deus, ab infide-„litate!

§. XIX.

Quod vero de S. Sanctæ Trinitatis mysterio crassissimos Propheta hic habuerit conceptus, illudque plane rejecerit mirum non est, dum Sacras Litteras, uti ipsemet confitetur, nec legerit nec intellexerit; ita enim *Sura* VI. 156. loquitur; *Profecto demissus fuit liber* (*id est, Pentateuchus & Evangelium*) *ad duas Gentes* (nempe Judæos & Christianos) *ante nos: Et nos quidem fuimus in studio lectionis eorum negligentes, ob ignorantiam Idiomatis eorum;* Imperite propterea Sacro Sanctæ Trinitatis Mysterium objecta unitate divinæ essentiæ impugnat. *Sura* IV. 169. *S.* V. 82.

Nec,

„Nec, inquit REINECCIUS Cap. III. pag. 71. S S.
„Trinitatem Personarum Patris, Filii & Spiritus S. in
„Scripturis V. & N. T. clare assertam; & Christianis
„creditam Mohammed Impostor rudis intelligit, sed
„aliam trinitatem seu Tritheismum Christianis ubique
„affingit, Deo jungens Mariam Deiparam quasi Uxo-
„rem Dei & Filium Dei & Mariæ Christum. Vid. Sura
„V. 84. & 125. Cum tamen nec Christiani Mariam
„pro Deo, nec Judæi Ozair in S. IX. 31. nescio
„quem pro Filio Dei unquam coluerint.

§. XX.

Ex crassa illius de hoc Mysterio mente factum est quod Deum habere Filium propter sequentes rationes negat. α. Quia Deus immutabilis, nec gignit nec gignitur *Sura* CXII. 3. β. Quia non habet uxorem. *Sura* VI. 101. *Sura* XVIII. 4. 8. LXXII. 3. γ. Quia non indiget Filio, sibi ipsi sufficiens. *Sura* II. 117. IV. 169. X. 67. XVII. 110. δ. Quia diffidia si metuenda in Deo & interitus *Sura* XVII. 42. XXI. 22. XXIII. 93.

§. XXI.

Et licet sæpius in Alcorano mentio fiat Spiritus S. nec non Spiritus Dei vel ex Deo, Spiritum Sanctum tamen Deum aut personam divinam esse non credidit Mohammed, dum toties contra pluralitatem in divinis pugnat.

§. XXII.

Turcarum Doctrina de iis operibus divinis quæ Decreta & Providentiam appellamus, ita comparata est, ut ex Principiis Gentilibus aliquid retinuerit; ex puriori vero Christianorum Disciplina eam emandaverit Mahomed; neque enim duo statuit Principia uti universus fere Ethnicismus; de origine tamen mali haud fatis accurate

curate sensisse videtur, an vero Placita Philosophorum Gentilium de fato inevitabili ac absoluto satis evitaverit definire vix licet.

In *Comp. Relig. Moham.* supra citato pag. 47. de Decreto Dei hæc extant: „Fides in Decretum Dei est, „quod & mente credamus & lingua confiteamur, „Deum excelsum decrevisse res & modos earum, „ita ut nihil contingat in mundo sive quod attinet „ad rerum status, sive Operationes, sive bonum si-„ve malum, sive obsequium, sive obedientiam, „sive fidem; sive infidelitatem, sive valetudinem „prosperam, sive adversam, sive divitias, sive pau-„pertatem, sive Vitam, sive mortem, quod non „sit contentum in Decreto Dei & ordinatione, vo-„luntate & judicio ejus. At bonum & obedien-„tiam & fidem Deus ita decrevit, ut illa ordinet, „& velit subsintque Decreto, salutari directioni, be-„neplacito; & imperio suo: malum è contrario & „inobedientiam & infidelitatem decrevit quidem „Deus, ordinat & vult & decernit; sed tamen sine „salutari sua directione aut beneplacito vel imperio „suo, sed in seductione & indignatione sua & pro-„hibitione. Quicunque autem dixerit Deum non „delectari bono & fide, aut Deum non indignari „malum & infidelitatem; aut bonum & malum esse „à Deo ita ut utrumque Deus decreverit & velit „cum complacenti in iis, profecto infidelis est: „bonum enim vult, ita ut ei placeat, malum vero „vult ita ut id indignetur. Dirige nos bone Deus „in Viam rectam.

MARACCIUS in Ref. Alc. p. 17. Mohammedem Criminis hujus accusat quod Deum Mali Autorem fecerit dum Deum faciat caussam Peccati ac infidelitatis. Loca in quibus Pseudopropheta errori huic favere videtur sunt præcipue sequentia *Sura* II. 6. 7. 20. 213. 254. *Sura* IV. 137. 142. 154. S V. 48. S. VI. 24. 38. 45. 107. 111. 112. 125. 133. 137. 148. S. VII. 101. 155. 279. Sur. IX. 129. X. 73. 95. XI. 35. XIII. 29. 36. XIV. 5. XVI. 35. 93. XVIII. 58. 59. XXX. 29. XXXII. 14. XXXVI. 9. 10. XXXIX. 23. XLII. 7. 14. XLV. 23. LXIII. 3. & Deo dolum erga homines attribuere videtur. S. III. 53. IV. 141. VII. 100.

VIII. 29. X. 22. XIII. 44. LXXXVIII. 16. & quod errare faciat quem vult S. XIII. 36. XIV. 5. XVI. 36. 37. 93. XVIII. 16. XXXV. 8. XXXIX. 23. 36. XL. 34. 35. 42. 43. 45. Celeberrimus autem RELANDUS hæc loca aliter interpretatur. Cl. vero REINECCIUS l. c. pag. 80. 81. hæc habet: „Attamen quia „omnium, bonum & malum, fidem & infidelitatem, „obedientiam & inobedientiam æqualiter evenire per „absolutam providentiam, decretum, determinatio„nem, judicium & voluntatem Dei Alcoranus ubi„que asserit, ita, ut nulla penes infideles prædicatio, „& nulla demonstrati per hanc ipsam causam decre„ti divini locum invenire possit; & prætereà Has„ciamienses hanc sententiam impugnantes & negan„tes: Deum creare aut efficere infidelitatem; pro „hæreticis habentur à cæteris Mohàmmedanis: non „magis ab hoc Errore liberi erunt Mohammedani „omnes & ipse Mohammed, quam ex Reformatis ii, „qui idem cum Mohâmmede & scribunt & sentiunt." „Hactenus REINNECCIUS.

§. XXIII.

In Doctrina de cœli terræque, hominum Angelorumque creatione, tum ea quæ ex Sacris Paginis audiverat, tum quæ ex præconceptis opinionibus retinuerat, tum quæ ipsemet excogitavit, commiscet Mohammed. De creatione universi hæc habet Alcoranus; quod sex dierum spatio omnia creata fuerint, & quidem ita ut terræ creatio ante creationem cœli facta fuerit; cœlos ex materia quadam, quam fumum appellat, conditos fuisse dicit; septem cœlos totidemque terras productas esse asserit.

§. XXIV.

Angelos ex materia quadam existente ignea creatos esse contendit: *Sura* XV. 27. XXXVIII. 77. Genios vero qui mediam inter Angelos hominesque constituant naturam ex puro ignis

Sura

Sura LV. 15. Qui cum hominibus coire possint, *Sura* LV. 55. Hoc vero Angelorum munus est, ut homines custodiant in hac & in altera vita; Sunt etiam, qui Alcoranum legunt. Diabolum ex geniis fuisse dicit & geniorum generationem habuisse. Hæc vero prima illius culpa fuit quod primum hominem adorare noluit, & hoc geniorum illius studium est, ut homines seducant.

In Comp. Theol. Moh hæc inter alia de Angelis extant pag. 15. „Sunt autem hi Corpora subtilia, „Sancta, creata ex luce, nec edunt, nec bibunt, „nec dormiunt, nec inter illos mares aut fœminæ „sunt, nec iis appetitus carnalis est, nec Pater nec „Mater, differentibus quoque formis sunt præditi, „& negotia sibi propria obeunt &c.

§. XXV.

De Homine uno quidem in loco asserit, quod corpus ejus ex argilla sicca formatum fuerit, *Sura* XV. 26. 28. ex luto arido veluti testa. *Sura* LV. 14. Alibi vero illum ex aqua creatum fuisse contendit *Sura* XXI. 31. XXV. 54. De animabus vero dicit: Eas essentiæ divinæ particulas esse, *Sura* XXXII. 9. Protoplastos autem post comestionem ex arbore, ex Paradiso expulsos in terram descendisse tradit, *Sura* II. 36.

§. XXVI.

Circa Salutis Oeconomiam magnopere cœcutit Mahomed, neque aliter fieri potuit ab homine, qui Sacras Litteras propter idiomatis, uti ipsemet fatetur, ignorationem nec legit nec intellexit; quique in Gentilismo natus Judæis deinceps usus est Magistris, operis Sociis; factum inde ut veram Revelationis Rationem ac scopum

ignorans etiam veram salutis nostræ caussam ignoraverit, opinionibusque tam Gentilium quam Judæorum sese accomodaverit, unde non unicæ atque perfectissimæ salutis nostræ caussæ Jesu Christo totum æternæ salutis negotium tribuit, sed omnia ritibus ac cærimoniis externis adscribit.

§. XXVII.

Cum enim Christi divinitatem neget, nonnisi merus homo est; unde licet miraculose conceptus & natus, *Sura* III. 47. XIX. 20 21. & sine peccato, *Sura* III. 36. XIX. 19. Satisfacere pro genere humano non potuit, unde Christum in cruce pro nobis mortuum negat. *Sura* IV. 156.

§. XXVIII.

Quoniam nullum Christi pro nobis meritum & satisfactio est, hinc vera fidei regenerantis ac justificantis ratio plane pervertitur, dum credere in Jesum Christum nihil aliud est, quam agnoscere Jesum pro Servo & Legato Dei. *Sura* IV. 158. III. 52. IV. 169. 170. V. 84. In Deum vero credere nihil aliud est, quam statuere Deum existere cum qualicunque in Deo gratioso fiducia. *Sura* XI. 24. *Sura* XLVI. 13. Adeo ut homines justificentur & salventur fide illa generali & Ritibus quibusdam præstitis.

In *Compendio Relig. Moh.* citato p. 5. tota Islamitica fides his comprehenditur Verbis: „Hic incipit de„scriptio fidei & explicatio ejus. Scito fidem esse „primum è fundamentis Islami, quemadmodum pro„nuntiavit Propheta Mohamed, cui Deus bene ve„lit & salutem omni modo largiatur: Nititur Isla„mismus quinque fundamentis, quorum primum est „*confessio de Deo*, non esse nisi Deum illum verum, „& Mohammedem ejus Legatum esse, alterum,

„*Stata*

„*Stata observatio precum*; tertium *Eleemosynæ largitio.*
„Quartum, *Jejunium mensis Ramadani.* Quintum
„*Peregrinatio Meccana* ab unoquoque præstanda qui
„iter eo suscipere poterit. Illa autem confessio est,
„quam nos appellamus fidem. Sciendum est itaque,
„primum esse quod requiritur ab homine ad id ido-
„neo, ut credat 1. in Deum 2. & Angelos ejus 3.
„& Libros ejus 4. & Prophetas ejus 5. & diem ul-
„timum 6. & Decretum Dei altissimi de bono &
„malo. Fides autem in eo consistit, quod quis in
„animo suo de veritate illarum rerum persuasus sit;
„at confessio linguæ involvit ejus demonstrationem
„per indicia externa.

§. XXIX.

Cærimoniæ, ad quas Mohammed Asseclas suos obligavit, sunt ergo Oratio, præmissa purificatione; Eleemosyna; Peregrinatio Meccana; Jejunium; quibus etiam Circumcisio addenda est.

§. XXX.

Purificatio preces præcedere debet, & fit etiam quotiescunque aliquis apud eos immundus habetur: peragenda vero est vel aqua, vel si hæc deficiat, arena. Sunt vero varia lotionum genera; sunt multa requisita; casus multi & multi ritus. Ut videre est apud RELANDUM in Comp. Theol. Muh. pag. 53. seq.

§. XXXI.

Preces Muhammed valde commendat. *Sura* II. 43. 45. 155. IV. 102. VI. 72. &c. earumque modum, tempus, locum, & in iis situs & gestus exponit. *Sura* II. 116. 143. 145. 151. 178. 239. IV. 42. 100. 103. XI. 115. XX. 129. &c.

Fundamenta sive instituta divina, quibus nititur ritus precandi tredecim sunt 1. intentio 2. μεγαλυνισμός & 3. formula ejus Deus magnus est. 4. Surrectio.

5. Lectio Capitis primi Alcorani. 6. Incurvatio Corporis. 7. Erectio. 8. Προσκύνησις sive prona adoratio. 9. Sessio. 10. Sessio posterior. 11. Confessio posterior. 12. Et formula ejus. 13. Actuum horum ordo ita observandus. Comp. Theol Moh. pag. 69. seq.

§. XXXII.

Eleemosynarum vero Erogatio precibus jungitur, atque in Alcorano sub promissionibus & comminationibus sæpissime inculcatur.

§. XXXIII.

Huic accedit Jejunium mensis Ramadan, quod præcipitur *Sura* II. 184. seq. Pertinent huc etiam Jejunia alia voluntaria & expiatoria. Ita vero apud Mohammedanos omne jejunium comparatum est, ut per totam noctem epulentur & voluptatibus omnibus indulgeant.

Sura II. 188. ita habet: *Concessa est vobis nocte jejunii conjugalis accessio ad Uxores vestras; ipsæ sunt indumentum vobis, & vos estis indumentum illis. Noverat Deus quod vos invicem fraudabitis vos ipsos in hoc, nocte jejunii, propterea conversus est super vos, & indulsit vobis. Nunc igitur copulamini cum illis, & avide appetite id, quod scripsit Deus vobis: & commedite & bibite per totam noctem, donec appareat distincte vobis filum album à filo nigro in aurora. Deinde perficite jejunium ab aurora usque ad noctem.*

§. XXXIV.

Ultimum tandem Religionis Mohammedicæ fundamentum est Peregrinatio ad Templum Meccanum, in Alcorano passim præcepta & certis cærimoniis ac legibus constituta; eum in finem

suscepta

suscepta ut pietatem suam probent exerceantque. Qui Ritus, fatentibus ipsis Mohammedanis, ex veterum Arabum cærimoniis Ethnicis retentus fuit.

§. XXXV.

Circumcisionem tam ex Ismaëlitarum & veterum Arabum quam Judæorum ritibus conservarunt, ejus vero in Alcorano nulla mentio facta est.

§. XXXVI.

De conjugio ita statuit Mahomed, uti Populis Asiaticis, voluptati maxime deditis, maxime conveniebat, quo illos in partes suas pertraheret; unde Polygamiam simultaneam concessit, ad eum usque numerum quot alere possent, nec minus etiam coitus cum Ancillis captivis sive maritatis sive liberis conceditur. *Sura* IV. 3. 22. XXIII. 5. 6. Ut & commutatio uxoris cum alia uxore licita est. *Sura* IV. 18. Licita etiam sunt divortia & repudia; repudiatas etiam semel atque iterum recipere audent.

§. XXXVII.

Fides Turcarum de die novissimo hæc est, quod animæ in die Resurrectionis redituræ sint in corpora. *Sura* XXIII. 16. Quod mortui infideles ante ignem Gehennæ sistentur mane & vesperi ante Gehennam, & in Die judicii in illam conjicientur, XL. 47. L. 23. Quod ad sonum tubæ secundæ omnes homines resurrecturi sint, *Sura* XXXIX. 68. seq. In illo judicio ponderabuntur omnia hominum Opera, & ad hanc trutinam cuique fiet retributio. S. VII. 8. 9. neque ulla tunc temporis satisfactio neque intercessio locum habebit.

In Comp. cit. de Die noviſſimo hæc extant: pag. 39.
„Fides in diem ultimum poſita eſt in eo, quod animo credamus & ore confiteamur, revera fore diem „ultimum, qui dies erit reſurrectionis; & Deum „excelſum deſtructurum eſſe hunc mundum & perditurum, & morti daturum eſſe quidquid in eo „invenitur creaturarum, exceptis tamen rebus quibusdam, quas volet eſſe ſuperſtites, Throno Gloriæ ſcilicet & Solio & Spiritu & tabula, & calamo, „& paradiſo & inferno cum iis quæ illis continentur. „Tunc reducet Deus illos & reſuſcitabit, vivificabit & congregabit eos, & rationes eorum exiget, „& examinabit eos & dabit iis Libros eorum (in „quibus bona & mala Opera ſcripta ſunt), quibusdam ex iis ad dextram, quibusdam ad ſiniſtram „poſt tergum ſuum. Deinde judicabit inter illos „in æquitate & ponderabit Opera eorum, tam bona quam mala, & retribuet omni animæ juxta id „quod fecit. Quidam ex hominibus intrabunt in „paradiſum bonitate & miſericordia ejus, quidam in „infernum. At ex fidelibus nemo in igne infernali „æternum manebit, ſed intrabunt illi Paradiſum, „poſtquam pœnas dederunt juxta proportionem peccatorum ſuorum, quia fideles in Paradiſo perpetuo „manebunt, & infideles in igne infernali. Requiritur ad fidem hujus reſurrectionis timor, ſic ut „pro infideli habendus ſit, qui de illa ſecurus eſt, „uti & ille qui Reſurrectionem negat aut de ea dubitat, vel qui dicit: Non timeo Reſurrectionem, „nec deſidero Paradiſum, nec metuo infernum. Serva nos o Deus ab infidelitate!

§. XXXVIII.

Paradiſus ita in toto Alcorano deſcribitur, ut totus carnalibus voluntatibus repletus videatur; conſiſtens non tantum in arboribus, in fontibus & fluviis, in pomis & veſtibus, in comedendo & bibendo, quæ omnia facilem & bonam admittunt interpretationem; ſed etiam in pueris & puellis, in uxoribus, lectulis, & concubitu

aliis-

aliisque deliciis venereis. *Sura* II. 25. III. 136. X. 10. XVIII. 32. XXII. 14. XXXVII. 42. XXXVIII. 52. LII. 20. ubi dicitur: *Accumbentes super lectulos in seriem dispositos, & conjugabimus eos cum puellis amplos pulchrosque oculos habentibus.* *Sura* LVI. 24. *Et erunt cum eis puellæ nigriocula ampliocula* *Sura* LXXVI. 12. LXXVII. 41. LXXVIII. 30. 31. 32. *At vero piis erit locus felicitatis, horti arboribus consiti & uvæ. Et Puellæ coætaneæ prædita uberibus turgidis, ac sororiantibus.*

§. XXXIX.

Sunt ex posterioribus & sapientioribus Mohammedis Asseclis, quos carnalis Paradisi pudet, qui parabolice hæc omnia explicanda dicunt, summumque beatitudinis gradum in Dei contemplatione ponunt; quo pertinet ipsius Mohammedis dictum quoddam apud POCOCKIUM in Not. Misc. *ad Portam Mosis* pag. 304. infimo inter Paradisi incolas gradu est, qui hortos suos, uxores, bona, servos, lecticas spatio itineris mille annorum prospiciet; at maximo inter ipsos honore est apud Deum, qui faciem ejus mane & vesperi contemplabitur.

§. XL.

Plane tamen excusari Mahommed vix ac ne vix quidem potest; dum ubique in Alcorano in describendo infimo hoc gradu subsistit, qui non potest non litteraliter intelligi, & contemplationis Dei ac complacentiæ in Deo vix alicubi mentio fit. Unde allegorica nonnullorum interpretatio ab aliis Mahomedanis rejicitur.

§. XLI.

Omnes tam Pii quam impii descendent ad

Gehennam; Pii ustulandi sunt & igne cruciandi, inde vero liberabuntur, & erit ipsis Mansio in Paradiso quamdiu cœlum terraque manebit; Infidelibus nulla amplius ex infernali igne liberatio dabitur, nisi iis forsan, quibus ex Gente Mahommedana Prophetæ hujus intercessione gratia continget.

§. XLII.

Exposuimus nunc fidem Islamiticam qualis tam in Alcorano quam in compendio illo Theologico exhibetur; addimus nunc quadraginta illa capita, quibus Mohammed omnia in sua Religione creditu factuque necessaria comprehendisse fertur; litteris illa consignavit Muhammed ben Abibecer & leguntur apud HOTTINGERUM in Hist. Orient. p. 409. seqq. Arabice & Latine. Latina ita habent: Habet Moghaded à Salman, qui à Propheta audivisse se refert, quod dixerit; Qui è Populo meo quadraginta servaverit dicta aut consilia, is hortum ingredietur, eumque excitabit Deus excelsus cum Sapientibus & Prophetis ultimo die. Diximus: O Apostole Dei, quæ sunt quadraginta illa dicta? Respondit Muhammed. 1. Si credis in Deum & 2. diem ultimum. Esse item 3. Librum. 4. Prophetas. 5. Resuscitationem post mortem. 6. Providentiam circa bona & mala. 7. Si testaris, non esse Deum nisi τὸν Θεὸν, meque Apostolum ejus. 8. Si statis temporibus tuas preces peregeris, præmissa ablutione seu purificatione larga, suo quoque tempore convenienti & consummatione incurvationum & inclinationum, precibus singulis destinatarum. 9. Si decimas dederis. 10. Si Mense Ramadam jejunaveris. 11. Si Meccanum iter ubi possis,

possis, feceris. 12. Si singulis diebus & noctibus duodecim Recaas ordinarias oraveris, tres autem ex superabundanti pietatis studio. 13. Si à fœnore abstinueris. 14. Nec vinum biberis. 15. Nec per Deum in vanum juraveris. 16. Nec contra quenquam Deum testem appellaveris, sive propinquum sive remotum. 17. Nec præcipitanter judicaveris. 18. Nec fraudaveris fratrem tuum vel à facie vel à tergo. 19. Neque mulierem castam abegeris aut repudiaveris. 20. Neque suum cuique exprobraveris nævum. 21. Neque vi quenquam coegeris aut ludibrio habueris. 22. Neque afflictionis seu cruciatus caussa Dei timorem omnem abjeceris. 23. Neque quæ inter homines sparguntur calumniose effutiveris; vel si non fueris obtrectator. 24. Si Deo gratias egeris pro quolibet accepto beneficio. 25. Si patientiam probaveris in calamitatibus & afflictionibus. 26. Si non de Misericordia Dei desperaveris. 27. Si cognoveris quod omne id, quod evenit tibi, à te non aberrarit, si enim à te aberrasset tibi non contigisset. 28. Neque Dei iram in te propter gratiam creaturarum concitaveris. 29. Neque hunc Mundum præ futura Vita elegeris. 30. Si aliquid abs te frater tuus fidelis petierit, avare non denegaveris. 31. Si in negotiis Religionis observaveris eum, qui supra te est; in rebus vero mundanis eum, qui infra te est. 32. Neque juraveris. 33. Neque cum Satana amicitiam contraxeris. 34. Si vanitati valedixeris. 35. Facultates Orphani non rapueris. 36. Clamorem auditum non suppresseris. 37. Familiam tuam & liberos tuos si institueris in iis, quæ usui ipsis esse possunt apud Deum, eosque Deo Ter

Opt. Max. adduxeris. 38. Si viciniis tuis benefeceris, neque ab iis, si misericordia tua egent, eam cohibueris. 39. Nulli creaturæ maledixeris. 40. Laudes Deo, jubilationes, celebrationes & magnificationes si multiplicaveris. Si in Alcorano in omni statu semper legeris, nisi cum fueris immundus. Si non deserueris septa cœtus. Si tandem feceris alii, quidquid gratum esset si tibi fieret.

§. XLIII.

Hoc unum nunc ad Mohammedanorum Religionem explicandam superest, ut ex celeberrimo RELANDO ea adhuc afferam placita, quæ sine caussa ipsis attributa fuere. Huc 1. spectat, quod credant quemlibet in Religione sua salvari posse: adducantur verba Suratæ II. 59. Quæ verbotenus latinæ reddita ita sonant: *Utique illi qui credunt, & Judæi, & Nazareni & Zabii quicunque credit in Deum & Diem ultimum, & faciat bona opera, iis est merces apud Dominum suum, & nullus timor super illos nec mœrore afficientur.* Hoc velle Muhammedem istis verbis ostendit RELANDUS Edit. 1705. pag. 99. seqq. nemini præclusam esse Salutis viam & spem veniæ esse omnibus, modo se convertant ad Religionem suam, & sive quis Judæus sive Christianus, sive Gentilis sit, modo credat in Deum & Diem novissimum (id est, modo nomen det Religioni Mohammedanæ, quæ sola est fides in Deum, quum & Judæi & Christiani & Zabii, ut ille opinatur, colant plures Deos) posse servari.

§. XLIV.

2. Falso etiam ipsis tribuitur, eos Deum corporeum esse credere, siquidem aperte hoc contradi-

tradiceret elegantissimo Theologiæ Mohammedicæ Systemati quod Relandus possedit, ubi expressis verbis dicitur: *Certe Deus non est corporeum quid aut figuratum, vel substantia extensa & mensurabilis: nulli etiam corpori potest assimilari aut in partes definitas dividi.*

A Judæis, in Librò Cosri pag. 12. ubi homo Mohammedanus præcipua Religionis suæ Capita enarrant introducitur, Turcarum de Deo Sententia ita describitur: „Nos (Mohammedani) firmiter credimus „Unitatem Dei & æternitatem; & mundum initium „habuisse & omnes homines Genus suum deducere „ad Adamum. Et removemus omni modo Corpus, „& modos Corporeos à Deo; quod si tale quid in „verbis nostris reperiatur, explicamus id, & dicimus „esse Metaphoricum, atque ita dici, ut facilius ab „intellectu nostro concipi queat. Dein fatemur Librum Legis nostræ (Alcoranum) esse Verba Dei, „& ipsum in se esse miraculum, quem propter se recipere pro divino debemus, quia nullus homo est „qui librum ei similem componere possit, aut ullum „Caput ex eo: dein Prophetam nostrum (Mohammedem) esse Sigillum (i. e. ultimum) Prophetarum, & abrogasse omnem legem quæ ante ipsum „erat data, atque vocasse omnes Gentes ad Religionem Islamicam: & animam ejus qui obediens est, „conjungendam iterum esse corpori in Paradiso Cœlesti, eumque fruiturum infinita Voluptate, & cibo „& potu & concubitu, omnique re quam desiderat „anima ejus: contumacem vero & infidelem detrudendum esse in ignem inextinctum, ubi sine fine „durabunt ejus tormenta.

§. XLV.

3. Vulgo etiam hic Error Turcis adscribitur, quod Deum mali Autorem faciant; ostendit Relandus Phrases in Alcorano adhibitas nihil aliud significare, quam providentiam Dei circa mala versari, ejusmodi etiam Phrases in S. Litteris adhiben-

hibentur, quæ vero minime hunc fundunt sensum, quod Deus sibi in malo placeat.

§. XLVI.

4. Non majori jure ipsi Venerem omniaque creata adorare dicuntur, dum Mohammed omnem Idolorum cultum abolevit, & detestatus dicitur.

§. XLVII.

5. Providentiam illos negare itidem falso dicitur, dum nuspiam ita credatur & defendatur Providentia ac in Mohammedis Religione.

§. XLVIII.

Exprobrant etiam plurimi Mohammedanis opinionem satis insulsam, scilicet quod existiment Deum pro Mohammede orare. Quod ex pessima Roberti Retenensis & Hermanni Dalmatæ Alcorani versione factum fuisse dicit RELANDUS; præcipue *Surata* XXIII. 56. ubi male vertitur *Deus & Angeli propter Prophetam exorant;* dum ita habeat locus hic: *Utique Deus & Angeli favent (benedicunt) Mohammedi, ille benevolus erga eum est; hi pro eo Deum orant.*

§. XLIX.

7. Nescio qui fiat quod MACCOVIUS in Theol. Polem. pag. 119. afferat, Mohammedem docuisse *nullum esse infernum*, cum tamen Doctrina hæc in Alcorano ubique inculcetur.

§. L.

8. Mohammedanos, quum preces suas fundunt, Australem Cœli plagam respicere juxta Legem à Mohammede latam, merum est commen-

mentum, dum ſuos docuit, dum preces peragunt Templum Meccanum reſpicere, nunquam ergo Orientem reſpiciunt, quam ſi ad Occidentalem Plagam, ratione Templi Meccani conſtituti ſunt.

§. LI.

9. Nullo jure etiam nonnulli ſcribunt Mohammedanos exiſtimare, animæ ſordes & peccata frequenti lotione ablui, & corporis purificationem magni ab iis fieri, ſed animæ munditiem & ſanctitatem negligi. At non eousque inſaniunt, ſed à Deo ſolo ejusque Gratia animæ ſuæ purificationem & peccatorum deletionem petunt. Hinc illæ preces: *O Deus munda me & munda animam meam!* Et quæ plures paſſim in ſcriptis eorum obviæ. Extat etiam elegans Sententia Lib. II. Cap. 1. MS. quod poſſedit Celeb. REL. ubi dicitur: *Purificatio veſtium eſt quaſi purificatio corticis externi, purificatio corporis eſt quaſi corticis interioris, at purificatio cordis ſive animæ, eſt quaſi intimi nuclei. Et hæc quidem animi purificatio à ſordibus morum pravorum eſt omnium præcipua.*

§. LI.

10. Ex male intellecta etiam *Surata* LXXII. Turcis attribuitur, quod Diabolos credant Dei & Mahumedis Amicos: Narratur ibi Genios quosdam audiviſſe Coranum legi, & probaſſe Doctrinam eo contentam & dixiſſe; *nos quoque unum Deum credimus.* At hæc de Geniis non de Diabolis narrantur, qui mediam inter bonos & malos Angelos conſtituunt naturam, juxta Mohammedis Principia, de quibus Geniis; quorum alii fideles alii infideles ſunt, Auctor Alcorani loqui-

loquitur, non de Diabolis. Genii, si fideles fuerint, quales illi, loco Corani citato memorati, post diem novissimum in seperato loco voluptatis degent, si infideles, cum impiis ex humano genere in inferno versabuntur. Reliqua vide apud RELANDUM pag. 133.

§. LIII.

11. Angelos fœminas existere nunquam affirmarunt Mohammedani: e contrario hanc hæresin, quæ vigebat apud antiquos Arabes, impugnarunt, quod etiam facit ipse Mohammedes *Sur.* XXXVII. 150.

§. LIV.

12. Neque ullo ipsis attribuitur jure, quod Angelos beatos peccare statuant, falsitas hujus rei patet ex compendio Theologiæ Mohammedicæ quod exhibuit Celeb. RELANDUS, ubi puri à peccatis dicuntur.

§. LV.

13. Nullibi etiam se in Scriptore Mohammedano legisse asserit RELANDUS, Diabolos suo tempore etiam servandos esse, sed potius pœnarum æternitatem passim in Corano statuit Mohammedes. *Sur.* LXXIV. 30. seqq. XLIII. 77. XL. 52.

§. LVI.

14. Nec ipsa, inquit RELANDUS, S. XVIII. Sententia Mohammedanorum de Paradiso Cœlesti rectius vulgo intelligi solet. Fingunt enim nostri, Mohammedanos nil nisi corporeas voluptates & libidines Venereas in eo exercendas expectare, & omnem suam futuram beatitudinem,

nem in Consortio puellarum formosissimarum & aspectu jucundissimorum hortorum & fluviorum collocare - - - Fateor jure merito, ob eam rationem quod Mohammed in Alcorano promiserit fidelibus usum puellarum in Paradiso, & hortorum, lectorum, aliarumque rerum sensibilium meminerit: sed falsum est eum summam beatitudinem in eo collocasse. Uti enim dignitas est animæ præ corpore, ita Corpori quidem Voluntatem suam permittere voluit, ut rudes suos & nil nisi terrena cogitantes Arabes hoc præmio proposito ad Cultum unius Dei & scita sua amplectenda alliceret; sed & animæ suum Gaudium adsignaverit, scil. *intuitum faciei Dei: quæ Voluptas omnium erit maxima, & obliviscí faciet reliquas Paradisi Voluptates, quæ pecori libere in pascua dimisso communes sunt.* Vide Arabica in Cl. POCOCKII Notis ad portam Mosis. Falsum itaque est Paradisi Mohammedici Voluntatem in solis rebus corporeis & earum usu consistere. Falsum & hoc, omnes Mohammedanos credere illas Voluptates corporeas fore; multi enim hæc parabolice dicta & de Voluptatibus spiritualibus intelligenda esse contendunt; eodem modo quo & nos gaudium cœleste nominibus horti, civitatis, cujus fundamenta sint ex lapidibus pretiosis, portæ ex Margaritis ubi & Arbor Vitæ & fluvius purissimus, & alia erunt, in quo convivium rerum pinguium & Vini defæcati, solemus describere.

§. LVII.

15. Juxta nonnullos Mohammedani credunt, fæminas Paradisum Cœlestem non intraturas. Verum quidem esse in Cœlo puellas fore pulcherrimas, sed illas distinctas fore ab iis, quæ in hoc

hoc Mundo fuerunt. Ita Cl. HOORNBECKIUS in Summa Controv. p. 16. *Suas, quas hic habuerunt Mohammedani mulieres statuunt exsortes fore Paradisi.* Contrarium autem apparet ex *Sur.* XL. 43. *Qui bona opera agit, sive Vir sit, sive fœmina & credit, intrabit in Paradisum.* Eadem fere extant *Sura* XVI. 99. & XIII. 23. ubi dicitur: *Hortos Voluptatis intrabunt, & quicunque bene egerit ex patribus & uxoribus eorum, Sur.* XLVIII. 5. dicitur: *Paradisum cœlestem intraturos esse viros credentes & mulieres credentes.*

§. LVIII.

16. Nec etiam ideo Mohammedani Religionis ergo Meccam proficiscuntur, ac si crederent Prophetam ibi sepultum esse: *Qui enim*, inquit RELANDUS, *vel levem habet Theologiæ Mohammedicæ notitiam, ex genuinis testimoniis haustam, assentiri non potest vulgato huic errori, Meccæ esse sepultum Pseudo-Prophetam.*

§. LIX.

17. Excusari etiam posse Mahomedem putat RELANDUS, dum *Sura* XIX. 29. Mariam Matrem Jesu Christi Aaronis sororem appellat.

§. LX.

18. Non magni etiam momenti eam argumentationem contra Alcoranum putat vir celeberrimus, quæ inde desumitur, quod Cap XXIX. Alcorani 38. dicitur Hamanem Pharaoni fuisse σύγχρονον.

§. LXI.

19. Et licet Mohammed negaverit Jesum crucifixum esse, eum tamen mortuum esse clare innuit, *Sura* III. 48.

20. Ne-

§. LXII.

20. Neque ullo jure ipsi tribuitur, quod statuerit, Mariam Virginem ex Jesu fructuum Palmarum gravidam factam esse, sed soli potentiæ Dei & Spiritus ejus inflationi id tribuit.

§. LXIII.

21. Neque ex Alcorano probari potest, eam Mahommedanis esse Doctrinam, quod fœdera cum infidelibus inita frangere liceat quum lubet, sed contrarium potius jubetur.

§. LXIV.

22. Ex male intellecta lingua arabica ipsi etiam tribuitur, quod dixerit, se ignorare quid sibi agendum esset, & an ipse & qui eum sequuntur essent in Via salutis nec ne? Verba vero ex quibus hoc probatur Sura XLVI. ita habent: *Ego nescio quod mihi vel vobis fiet.* Quo fatetur se non esse omniscium, nec ex se scire, quid aut sibi aut aliis obventurum sit; sed tantum ex Revelatione Dei, dum mox addit: *Sequor solummodo id, quod Deus mihi revelat.*

§. LXV.

23. Meram etiam calumniam esse asserit RELANDUS, quam contra Mahommedanos evomat BARTHOL. EDESSENUS, quem in Variis Sacris edidit Cl. LE MOYNE scribens: pag. 324. οὐχ ἑυρον ἐν τῷ κουρανίῳ σου ὀνομα του δρῶντος καὶ λογικου θεου καὶ ἀθανατου, ἐιμη ὀνομα θεου ὁν ὁι Αῤῥαβες προ του Μουχαμετ ἐπιστευσαν, ὁς ἐστιν ὁ ἑωσφορος αστήρ. *Non inveni in Corano tuo nomen Creatoris, rationalis immortalis Dei, quem Arabes ante Mahommedem colebant, id est, Astri matutini.*

§. LXVI.

24. Id etiam à Conſtantino Imperatore, qui *Porphyrogenitus* dicitur in Lib. de adminiſtr. Imp. Cap. XIV. ſcribitur, quod Mahommed docuerit illum, qui inimicum occiderat, aut ab eo occideretur, Paradiſum eſſe ingreſſurum, quod idem narrat THEOPHANES in Chronico; quod inter Turcas fas eſſe negat celeb. RELANDUS, & addit: *Quod Conſtantinum in errorem induxit hoc eſt; Quod Mahommed, quum eum armata manu aggrederentur Meccenſes, qui, ſi eo potiti fuiſſent, vita eum privaſſent, ſocios ſuos adhortatus, ut fortiter reſiſterent illis Idololatris, nec ſe paterentur à Cultu unius Dei ſeduci, promiſerit unicuique, qui in tali prælio in via Dei, ut Arabes loquuntur, (i. e. ut martyr pro fide Unitatis Dei) occumberet, ut & ille qui ſtrenue contra illos rem gereret, Paradiſum ingrederetur. At hoc non debet extendi ad quoscunque inimicos: & in eo multi falluntur, qui, cum Mahommed, de Meccenſibus illis ſpeciatim agens, ſuos jubet, interficite illos ubicunque eos inveneritis, id extendunt ad omnes, ac ſi hodie Turcis liceret clam palamve Chriſtianos & alios inimicos interficere.*

§. LXVII.

25. Circumciſionem vero potius ex moribus Gentis ſuæ retinuit, quam ex Judaismo transſumſit.

De

De optima Mahommedanos confutandi methodo.

§. LXVIII.

Cum quælibet Secta ex iis convincenda ſit Principiis, quæ illa admittit, *primo* quidem contra illos, de quibus nunc agimus, Adverſarios ex Theologia Naturali pugnari poteſt; dum illi veritates in hac ſcientia demonſtratas non inficiantur. Id vero ex hac diſciplina maxime contra illos urgendum, quod ad ſtabiliendam Satisfactionis neceſſitatem facit, & quod verum Revelationis finem genuinosque ejus Characteres tradit. Unde à Divinis incipiendum Attributis, oſtendendumque quid per Dei Sapientiam imprimis, Juſtitiam atque Sanctitatem fieri liceat vel non liceat.

§. LXIX.

Et quoniam ipſi quidem Revelationem aliquam agnoſcunt, & nonnullas Veteris & Novi Teſtamenti Scripturas haud parvi faciunt, ipſumque Chriſtum magnum Prophetam eſſe non negant, præparata quidem ad diſputationem cum illis via aliquo modo videtur; at in hoc tamen maxime peccant, quod verum Revelationis ſcopum, adeoque etiam veram ejus rationem, neceſſitatem & criteria ignorant. Unde à primordiis hic incipiendum, oſtendendumque qualis nunc hominis ſtatus ſit, in quanta demerſus jaceat miſeria, quanta illius ad ſe ex infinito malo

eripiendum sit impotentia; demonstranda compensationis æquivalentis & satisfactionis infiniti pretii necessitas. In hoc enim ab iis, qui Religionis quidem naturalis principia admittunt, circa Theologiam autem Revelatam impingunt, semper peccatur, & generalissimus hic omnium, qui circa Religionem peccatoris committuntur, errorum fons est; unde ab illo in omnibus cum Infidelibus disputationibus inchoandum.

§. LXX.

Hisce præstructis deinde facile patet, quid illud sit quod Revelationem plane necessariam facit? Nempe ut homini peccatori ostendatur modus, quo salvis Dei Attributis atque Decentia è miseria sua emergere & propriam salutem cum vera Dei glorificatione obtinere queat. De hoc si convinci potest Adversarius, facile agnoscet, quænam Doctrinæ Revelatæ Summa atque Centrum esse debeat, & quænam illi inesse debeant criteria; quibus adstructis omnes fictitiæ Revelationes statim sese produnt, & vera se, ceu omni acceptione dignam, commendat. Et ita omne Alcorano demitur pretium, & nonnisi Veteris & Novi Testamenti Libros veros Revelationis divinæ possidere Characteres ostenditur.

* * *
* *

Hypo-

Hypotheseos Mahommedicæ Refutatio.

Propositio I.

§. LXXI.

Juſtitia punitiva Deo eſſentialis & abſolute neceſſaria eſt, ut peccatum impunitum dimittere nequeat. (Hujus Propoſitionis demonſtrationem vide Cap. III. §. 553.... 648.)

Propoſitio II.

§. LXXII.

Satisfactio ſive compenſatio æquivalens ordinis per peccatum turbati, eſt abſolute neceſſaria & indiſpenſabilis (Cap. III. §. 907.)

Propoſitio III.

§. LXXIII.

A Parte hominis ſatisfactionis hujus præſtatio impoſſibilis plane eſt (per Propoſ. I. Sectionis I. hujus Cap. §. 95. 96.)

Propositio IV.

§. LXXIV.

Ea præstari non potuit, nisi à Persona infinitis prædita Attributis (Cap. III. Sect. XV.

Propositio V.

§. LXXV.

Revelationis finis est patefactio Medii Liberationis, quo homo ex malo infinito emergere, & cum propria Salute ad Dei glorificationem esse potest (vide Cap. III. Sectio XI. XII.)

Propositio VI.

§. LXXVI.

Revelatio Mysterii expers esse nequit (Cap. III. §. 988. & Cap. IX. §. 69... 86.

Propositio VII.

§. LXXVII.

Cum Revelatio talia in se continere

nere debeat, quæ homini oſtendant, quomodo ex miſeria ſua emergere poſſit, adeoque Peccator miſer ex divina Revelatione verum Liberationis medium cognoſcere debeat (per Propoſ. V.); Et ipſe Peccator ea, quæ divina Juſtitia requirit, præſtare nequeat (per Propoſ. III.); Sed id nonniſi a Perſona infinitis Attributis prædita fieri poſſit (per Propoſ. IV.) In Revelatione vero Muhammedana medium illud Liberationis non oſtendatur, ſed vicaria potius ſatisfactio negetur; & nonniſi tale hominis cum Deo reconciliationis medium illa ſubſtituat & præſcribat, quod ipſe homo præſtat, quodque adeo infiniti pretii non eſt; ſequitur, Revelationem illam vera requiſita non habere, adeoque eſſe fictitiam.

Propositio VIII.

§. LXXVIII.

Revelatio debet continere mysteria (per Propos. VI.) adeoque talia, quæ per naturales animæ facultates cognosci nequeunt. Nihil vero in tota Revelatione Mahommedana deprehenditur, quod non per ipsas animæ hominis facultates cognoscatur, vel fingi possit. E. & hoc Revelationi illi criterium deest.

Propositio. IX.

§. LXXIX.

Alcoranus & sibi & Sacræ Scripturæ contradicit.

Argumentum hoc contra Alcoranum urgeri potest, dum ipse Mahomed similitudinem & conformitatem Alcorani & S. Scripturæ urgeat, ut *Sura* III. 3. 7. & ad Pentateuchum & Evangelium sæpius provocet. *Sura* III. 199. V. 29. 75. 119. &c. & juxta ipsum contradictiones in Libro firmum falsitatis argumentum sint, *Sura* IV. 81. XXXIX. 28. sequitur, si hoc de Alcorano evincatur, illum Dei verbum non esse; sed in omnibus falsus & mendax sit oportet, in quibus S. Scripturæ adversatur, & in rebus quidem maximi momenti & historicis proprio se quasi gladio jugulat.

Maho-

§. LXXX.

Mahomed in Alcorano *α*. sibimetipsi contradicit. Se enim primum Moslenum asserit, qui Religionem Eslamiticam primus acceperit; *Sura* VI. 14. 164. XXXIX. 14. alibi autem perhibet, Noachum, Abrahamum; Isaacum & Prophetas ut & Apostolos Moslemos fuisse, *Sura* III. 66. V. 51. 120 X. 71. XIi. 100. Legatos etiam ex Angelis sumtos dicit: *Sura* XXII. 76. idem negat XVI. 43. Judici diem mille annorum spatio duraturum tradit, *Sura* XXXII. 5. alibi ad 50. annorum millia tempus illud extendit, LXX. V. &c.

§. LXXXI.

Alcoranus *β*. Sacræ etiam Scripturæ contradicit. Huc pertinet, ut ex innumeris paucissima tantum afferamus, quod ait de Abrahamo Meccæ Templum exstruente, *Sura* II. 126. seqq. de Ismaële immolando, quod S. Scriptura de Isaaco refert; vide *Sura* XXXVII. 108. coll. 112. Ismaëlem Prophetam & Legatum Dei dicit, *Sura* XIX. 51. quem eundem S. Scriptura litigosum, ferum hominem & lascivum describit, Gen. XXI. 9. Noachi Uxorem in diluvio periisse dicit, Canaanemque filium Noachi facit, ipsumque etiam in diluvio periisse contendit, *Sura* XI. 40. 45. XXIII. 29. LXVI. 10. contrarium vero legitur Gen. VII. 7. VIII. 16. IX. 18. seq. Gedeonis & Saulis historiam ex ignorantia confundit, *Sura* II. 250. seqq. Alia etiam multa narrat historiæ Sacræ non convenientia, quæ Israëlitarum ex Ægypto exitum attinent, *Sura* VII. 104. seqq. XX. fere tota & XXVIII. 3. seqq. Addesis quæ ex Judæorum Fabulis habet de Geniorum sive Dæmonum auxilio

in Templi Salomonis ædificatione. *Sura* XXXIV. 12. XXXVIII. 39. de Salomone Satanæ fraudibus à Regio throno dejecto, *Sura* XXXVIII. 26. De Salomone avium loquelam intelligente & interpretante, XXVII. seqq. Inepta etiam Patrum series recensetur, Abraam, Isaac, Jacob, Noah, David, Salomon, Joseph, Mose, Aaron, Zacharias, Johannes, Jesus, Helias, Samuel, Hiskias, Loth. Mariam porro Christi Matrem confundit cum Miriam Aaronis Sorore Amrami filia, vide *Sura* III. 35. 36. 37. XIX. 27. in hoc ultimo tamen excusari ipsum posse putat RELANDUS, vide §. 59. Manifeste etiam simplici historiæ Evangelicæ contradicit, dum perhibet Christum nec crucifixum nec mortuum esse, quod ex Nestorianismo transsumsit, *Sura* IV. 156. ubi ita: *Et dixerunt: Nos certe occidimus Christum Jesum filium Mariæ Legatum Dei: nec tamen occiderunt eum, neque crucifixerunt eum, sed objecta est eis similitudo ejus: & profecto qui discordes fuerunt circa eum; esset ne ipse, an alius similis ipsi, certe fuerunt in dubitatione de hoc (de vera morte ejus) non fuit illis de hoc ulla scientia, sed tantum sectatio opinionis. Et non occiderunt eum vere.*

Hisce addi possent multa, quæ habet fabulosa ex Sacris Ethnicorum & Judæorum transsumta, ex Arabum placitis retenta, ex Christianorum Sectis adoptata? ea vero quæ ex S. Litteris habuit falsis atque fictitiis commiscuit; ut ex omnibus appareat, eum rerum Sacrarum, in Libris Vet. & Novi Testamenti traditarum, adeo fuisse rudem, ut ea quæ ex illis in Alcorano habet non ex lectione sed auditione tantum & narratione habuerit, quæ ipse non bene intellexit, propptereaque multa confudit atque corrupit Cumulum ejusmodi locorum congessit M. CHRIST. REINECCIUS in brevi introductione & totius

totius Religionis Mahommedicæ Synopsi Cap. I. §. V. pag. 16. 17. seqq. Imo omnia fabularum ineptissimarum ad nauseam usque repetitarum, impiarum, absurdarum plena esse, quivis lector statim ad fastidium usque sentit. Ad refutandum propterea Alcoranum nulla alia re opus esset quam ut quis attente & omni adhibita diligentia S. Scripturam legeret & ea perlecta Alcoranum etiam evolveret atque percurreret; quo facto infinita statim differentia cuivis appareret, Alcoranique lectio non posset non maximam creare nauseam. Nil nunc dicam de ejus ἀμεθοδίᾳ, cum sit Liber nullo plane compositus ordine, rudis indigestaque moles. Nil dicam de variis Mahomedis fabulis, de Angelo mortis, cujus oculi à se mutuo distant itinere mille & septuaginta dierum, de Angelis in Cœlo sexto, quorum unus habeat capita septuaginta mille, & totidem linguas, quæ edunt totidem voces De bove sub terra, cui sint quadraginta cornua, & ab uno ad alterum iter mille annorum. De Angelis Dei thronum in Cœlo portantibus, quibus tanta sint capita, ut avis nec per mille annos continuos volando perveniret ab aura una ad alteram. De septem dormientibus, quæ Fabula pro vera venditatur Historia. De Deo manum habente frigidam. Vide RICHARDUM Confut. leg. Sarac. Cap. I. IX. XIV. JOH. ANDREAM Conf. Sectæ Mah. Cap. IV. V. X. JOH. CANTACUTZENUM Oratione in Mahumetem II. & IV. mox ab initio (fol. 351. Tom. II. Collect. Bibliandri) JOH. FORBESIUM Instruct. Historico-Theol. Lib. IV. Cap. XIII. THOMAM A JESU de convers. Gentium Lib. X. pag. *666*. Non addam quod Alcoranus multa contineat spurca, fœda, de mulieribus, polygamia, repudio, quæ divina revelatione plane indigna sunt. Ipse Mahomed singulare sibi vindicat privilegium, à Deo sibi concessum, non plures modo ducendi uxores, sed ex personis etiam prohibitis. *Sura* XXXIII. 47. 48. 49. *O Propheta, nos certe licitas fecimus tibi uxores tuas, quibus dedisti mercedes* (i. e. dotes) *earum; & licitas etiam fecimus ancillas, quas possedit dextera tua ex eo quod con-*

concessit Deus tibi, & filias patrui tui, & Filias Amitarum tuarum, & filias avunculi tui, & filias materterarum tuarum, quæ transmigraverunt tecum è Mecca & quamlibet mulierem fidelem, si donaverit seipsam Prophetæ, dummodo voluerit Propheta ducere eam in uxorem. Hoc est privilegium concessum tibi præter cæteros fideles. Jam novimus quid sanxerimus iisdem fidelibus circa uxores eorum, & id quod possederunt dextera eorum, ne sit super te piaculum, & est Deus indultor, misericors. Exspectare facies, quam volueris, ex iisdem Uxoribus tuis amplexus tuos, & recipies ad te, quam volueris, & quam concupieris ex iis, quas rejeceris antea à concubitu tuo: neque erit id piaculum super te . . . Non erit licitum tibi accipere uxores post hac, præter novem, quas habes, &c. Hæc Pseudo-Propheta hic edicebat, ut palliaret suum cum Servi sui Zaidis uxore adulterium & raptum; illam enim stupratam mox quasi ex divino & novo oraculo uxorem duxit, quamvis alias jam novem haberet. Notandum quod Mahomed leges semper novas excogitaverit, non ante, sed postquam facinus aliquod commiserat, ut criminum suorum excusationem aliquam haberet. Ita quum cum puella formosa quadam, sed infra ætatem, Maria Ægyptia concubuisset, & à Conjugibus suis Aasa & Chadiga in adulterio deprehensus fuisset, ab istis uxoribus suis juramento adactus fuit ut promitteret, modo tacerent, se ab ista puella posthac abstenturum; Ipse vero cum juramentum non servaret, uxoresque eum desererent, ut rem componeret more solito novum iterum commentus est divinum responsum, quod continetur *Sura* LXVI. cui *de prohibitione* nomen est, quo viris cum ancillis suis concumbendi permittitur potestas, quando & quousque placuerit, nequicquam æmulantibus uxoribus. Ita autem Sura illa incipit: *O Propheta, quare prohibes tibi id, quod circa*

ancillam

ancillam tuam Mariam Ægyptiam, cum qua concubuisti, concessit Deus tibi, dum desideras placere Uxoribus tuis.... Jam sanxit Deus vobis dissolutionem juramentorum vestrorum &c. Ut alia brevitatis gratia transeamus.

Propositio. X.

§. LXXXII.

Notitio vitæ æternæ, qualis à Mahomede traditur, Deo sanctissimo est indignissima, iisque repugnat, quæ ipsa ratio de futuro hominum statu dictat.

§. LXXXIII.

Videantur ad hanc propositionem probandam quæ extant §. 38. 39. addi locis illis possunt, *Sura* II. 25. XVIII. 32. XXXVII. 42 - 50. XXXVIII. 53. LXXVII. 12. ut & quæ extant Tom. I. Syst. hujus Cap. III. §. 1449 - 1456.

Apponere hic adhuc lubet quæ dicit Celeb. HOORNBECKIUS summa controv. Lib. III. de Muhammedanismo pag. 175. *Mulieres*, inquit, *statuunt non humanas atque ex hominibus genitas, sed ab æterno in hunc finem à Deo creatas, & cælestes esse: suas enim quas hic habuerunt Muhammedani mulieres statuunt exsortes fore paradisi, atque extra eum foris constituras, per cancellos eminus virorum gaudia, & cum aliis sc. uxoribus congressus conspecturas. Longe plu-*

res

res ibi credunt fore mulieres, quam viros, singulisque viris plures vel pauciores pro merito addendas, quibus non ad prolem, sed unice ad lubitum & satietatem voluptatis usuræ sint; quin & vires iis subministrandas majores eum in finem, ut sæpius coire possint, easque eundem in finem fore mundas à menstruis. Vah spurcitiem Muhammedici Paradisi; haram porcorum dicas, vel fornicem meretricum. Tanta istarum puellarum deprædicatur pulchritudo & gratia, ut si istarum modo una aliquando noctu in Terra appareret, totam eam facile esset collustratura. Mitiganda paulisper hæc sunt juxta §. 56. 57.

Propositio XI.

§. LXXXIV.

Si conferantur Christi & Muhammedis dicta factaque, ut & modus propagandi Religionem suam, tantum omnia à seinvicem distant, quantum cœlum à terra, lux à tenebris, aut Deus à Diabolo.

Ostendenda hæc sunt ad Incredulis os obstruendum, qui nobis, inter alia à felici Evangelii progressu argumentantibus, ut ejus divinitatem probemus, objiciunt: non minori cum successu Muhammedis etiam Religionem fuisse propagatam; monstrandum propterea infinitam esse differentiam, sive Personam spectemus, sive Doctrinam, sive facta, sive Religionem propagandi modum.

Chri-

§. LXXXV.

Christus.

1.

Jesus ipso Muhammede confitente est Messias ille in Lege & Prophetis promissus. *Sura* III. 25. *Cum dixerunt Angeli: O Maria certe Deus annuntiat tibi Verbum ex se: nomen ejus erit Christus Jesus Filius Mariæ.* Sura XIX. 29. Sur. IV. *Certe Christus Jesus Filius Mariæ est Legatus Dei, & verbum ejus.*

2.

Jesus ex Muhammedis Confessione modo plane miraculoso fuit conceptus & natus. *Sura* XXI. 91. *Et Maria fuit Virgo intacta & insufflavimus in eam de spiritu nostro, & posuimus eam, & filium ejus in miraculum omnibus sæculis.*

3.

Christus vitæ plane fuit inculpatæ, cui nihil objici posset, nunquam ullius fraudis convinci ab infensissimis suis inimicis potuit.

Muhammed.

1.

Muhammed nullum plane producere potest locum, cum ulla probabilitatis specie, in quo ipsi à Prophetis vel Christo testimonium fuerit exhibitum.

2.

Mahumed contra, solito naturæ ordine genitus à suis etiam creditur. Vide Librum generationis Mahumetis, speciatim fol. 207. Tom. I. collect. BIBLIANDRI.

3.

Mahumed diu raptor fuit, ut patet ex Chronicis Mahumetis ex Arabico versis Tom. I. Collect. BIBLIANDRI fol.

fol. 216. Vita ejus fuit turpissima, variis sceleribus inquinata, *libidine* præcipue & in alios *crudelitate.* Legem tulit non modo de ducendis simul uxoribus pluribus quatuor vel quinque; sed ostendebat omnes se superare luxuria dum undecim habuit uxores. Quid de ejus sævitia & crudelitate dicam, dum per totam vitam nihil aliud egit, quam prædari, præliari; unde in ipso Alcorano homines sæpe ad bella & cædes provocat. *Surata* IV. 90. VIII. 68. 39. XLVII. 4. &c.

4.

Christus Jesus in Coelum evectus fuit. *Sur.* IV. 157. *Elevavit eum* (Christum) *Deus ad se.*

4.

Mahumet vero detinetur in sepulchro.

5.

Christus Prophetam & Legatum Dei se esse testatum, fecit Miraculis. *Ego autem*, inquit, *habeo testimonium majus Johanne, nam opera quæ dedit mihi pater, ut illa perfice-*

5.

Pseudopropheta hic contra, cum aliquoties de miraculis interrogaretur, eludere hoc insulsa responsione consuevit, quod missus sit non cum miraculis, sed cum

rem, illa ipsa opera quæ ego facio, testantur de me, quod pater me miserit. Et qui misit me Pater ipse testatus est de me. Joh. V. 36. Jesus fatente ipso Mahumete, maxima patravit miracula. *Sura* III. 48. V. 119. *Cum*, inquit loc. cit., *dicet Deus: O Jesu fili Mariæ - - corroboravi te Spiritu Sanctitatis - - & sanabas cæcum à nativitate & leprosum ex concessione mea, & cum educeres è sepulchris mortuos ex concessione mea.*

cum armis. *Quum dixerint tibi. Quare non facis miracula? Responde illis; non missum ad aliud quid, quam ut exponeres mandata Dei;* qua responsione non modo suspectam reddidit vocationem suam, sed & falsam eam ostendit.

6.

Christus illustrissimis etiam Prophetiis Dei Legatum se esse monstravit, uti Cap. X. contra Naturalistas, & Sectione I. hujus Capitis XI. contra Judæos probavimus.

6.

In toto Alcorano nihil plane reperitur, quod vel prophetiæ umbram habeat.

7.

Doctrina Christi fuit purissima atque sanctissima, ad Deum plane composita, Deum sanctissimum ubique spirans; ut ipsimet Reve-

7.

Muhamet injuriæ allatæ ultionem, ab uxoribus levissimam ob caussam discedendi licentiam, alias super alias mulieres, nova semper

lationis infensissimi hostes nihil hic habeant quod contradicant. Intimum Dei proximique amorem, sui abnegationem, carnis cum suis voluptatibus crucifixionem, patientiam in malis ab aliis nobis allatis, benignitatem in odio nos habentes, perpetuam matrimonii fidem, morum mutuam tolerationem, Amorem uni affigendum præcepit; ipsas denique libidinosas cogitationes prohibuit, omnesque voluptatis illecebras procul abesse jussit. Tota etiam quam docuit Religio ad animum revocata est, dum non corpore solum sed spiritu inprimis Deus colendus sit.

libidinis irritamenta permittit, sibique primas in promiscua & turpissima lascivia explenda concessit partes; cæterum in Cærimoniis externis, ad pietatem neutiquam proficuis, verum Dei cultum constituit: tota denique Religio illa nonnisi ad fundendum sanguinem facta.

8.

Ita comparata est Jesu Christi Doctrina, ut rigidissimum etiam sustinere possit examen; unde omnibus & singulis sedula ejus lectio commendatur, quippe *quæ homines ad salutem sapien-*

8.

Religio autem Mahumedana credi sibi vult absque ulla credendi libertate; unde librorum etiam, qui sacri habentur, lectio prohibita est plebi, quod manifestum iniquitatis indicium est,

Ita

tes reddere possit, dum omne scriptum divinitus inspiratum est, & utile ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad justitiæ disciplinam, ut compositus sit divinus homo, ad omne recte factum bene comparatus. 2. Tim. III. 15. 16. 17, & *Berrhoenses Thessalonicensibus generosiores prædicantur, quippe qui summa cum aviditate doctrinam admiserint, quotidie litteras examinantes, an ea sic se haberent.* Actor. XVII. 11. *Felix* prædicatur, *qui legit, & qui oraculi dicta audiunt.* Apoc. I. 3.

Ita legitur *Sura* V. 110. *O qui crediderunt, ne interrogetis de rebus, quæ si manifestantur, vobis molestiam allaturæ sunt vobis; & si interrogetis de rebus; quando revelatur Alcoranus, manifestabuntur vobis, Condonat Deus vobis culpam ob interrogationem de illis.*

9.

Primi Christi discipuli fuerunt Viri in Deum pientissimi, vitæ simplicis, nulla quidem humana sapientia ac scientia instructi; quales ad tantum opus perficiendum adhibere Deo conveniebat, ut appareret illud non hominum sed Dei opus esse.

9.

Ii vero, qui primi Mahumedismum amplexi sunt, erant prædones, homines ab omni pietate & humanitate alienissimi; ipsa enim vox Saraceni id ostendit, quæ ληςρικὼς denotat.

10.

Religio quam Christus docebat ita erat comparata, ut pravis hominum affectibus, carnisque voluptatibus ne in re minima quidem faveret, sed è diametro iis opposita esset, neque in ulla re præjudiciis vel Judæorum vel Ethnicorum accommodata erat, sed præconceptis hominum opinionibus plane contraria; unde Apostoli Religionem hanc annuntiantes statim Religionem tam Judaicam quam Ethnicam impugnabant. Act. III. 12. 13. Cap. XIV. 15. XVII. 22 - 31. &c.

10.

Religio autem Mahumedana ita comparata est, ut præjudiciis tam Judaicis quam Ethnicis faveret, ut carnis cupiditatibus atque mundi illecebris accommodata esset.

11.

Modum denique propagationis Religionis utriusque quod attinet; nulli qui Christianam docuerunt, erant instrumenta infirma Apostoli duodecim, omnibus humanis viribus plane destituti, nonnisi bini & bini procedentes, nullis plane instrumentis

11.

Muhamedismi vero Doctores nulla plane ediderunt miracula, nulla gravissima ac durissima propter confessionem illam perpessi sunt supplicia, nullas perpessi persecutiones & varii generis ærumnas; sed quocunque arma eunt Religio illa sequitur. Omnes

bellicis instructi, nonnisi miraculorum patratione, dirissimorum suppliciorum patientia, & veritatis ad omnium hominum conscientias demonstratione Disciplinam suam commendantes, ut acceptam illam hominibus hoc modo facerent, siquidem Cultus & Religio coacta esse non possit.

Omnes enim infideles, qui Religionem illam non amplecterentur, interficere jubet Mahumet *Sur.* IV. 88 *Desideraverunt, ut infideles essetis, sicut ipsi infideles sunt: & essetis pares ipsis in impietate, ne ergo adsumetis ex eis amicos, donec emigrent è Patria pro via Dei Quod si tergiversati fuerint, capite eos, & occidite eos, ubicunque inveneritis eos, & ne accipiatis ex eis amicum, neque adjutorem* &c. Quæ verba tamen nimis extendenda non sunt, juxta §. 66. Adde plura alia loca *Sur.* VIII. passim. Nec aliud ipsi Mahumedani argumentum proferunt, quam felicem bellorum successum, imperiique magnitudinem. Quæ ad Religionis veritatem probandam nihil plane faciunt, siquidem non sponte eam susceperint homines, nec prospera semper fuerint bella, & Persarum, Macedonum, Romanorumque arma non minus late patuerint.

Videmus ergo ex hisce, longe alium Religionem propagandi modum fuisse quo Christus & Apostoli usi sunt, quam eum quem Mahomet adhibuit; ut ergo male faciant Increduli, dum hic comparationem instituunt inter Christianæ & Mahumedanæ Religionis successum, qui toto coelo differt.

Objectionum Præcipuarum Solutio.

§. LXXXVI.

Inter *Objectiones* quas Muhammedani contra Christianam movent Religionem *primo* inde desumitur, quod Libri Christianorum Sacri fuerint corrupti, & præcipue vaticinia de Mahommede ex iis fuisse deleta ajunt. Imprimis de Novi Testamenti scriptura queruntur, quod nulla ibi Muhammedis extet mentio, cum tamen Christus aliquando dixerit: *Annuncio vobis nuntium bonum, quod post me venturus est Apostolus & Propheta, nomen ei Muhammed.* Codicibus illis depravatis Muhammed depuratos suos opponit, *Sur.* XCVIII. 2. *Legatus*, inquit, *à Deo, qui legit Codices depuratos. In illis sunt scripturæ rectæ.*

§. LXXXVII.

Quam vana autem atque futilis hæc sit objectio ex sequentibus apparet α. Corrupti sint oportet Libri illi sacri aut ante Mahumetis adventum, aut in ejus adventu, vel post eum. Ante illius adventum id ex invidia ergo Muhammetem fieri non potuit, dum eo tempore nemo invidia Personæ nondum existentis agi potuit; neque quisquam scire potuit, quid Mahumed aliquando docturus sit; & ipse denique Muhammed,

med, passim in Alcorano profitetur id ante ipsius adventum factum non esse. Oportet ergo con-tigerit vel in, vel post ejus adventum; si hoc verum est, oportet corruptio illa fuerit vel particularis tantum in certo codicum numero, vel universalis; Si particularis tantum fuit, oportet adhuc exiitant tales codices, qui deletis de Mahommede oraculis depravati nunquam fuere; unde maxima Exemplarium oportet sit discrepantia; At ad hunc usque diem nec ab ipso Muhammede, nec ab illius Asseclis, nec ab aliis Religionis Christianæ hostibus, unquam codices alii potuerunt ostendi, in quibus ejusmodi de Muhammede extarent oracula; unde merum hoc figmentum esse apparet, eum solum in finem à Pseudo-Propheta excogitatum, ut difficultatibus ipsi objectis hoc modo occurreret. Universalis vero corruptio illa esse non potuit, tum propter magnum Librorum Sacrorum tum temporis per universum orbem dispersorum, & in varias linguas conversorum, numerum; tum quia illi Codices, quia Mahumetis ejusque Asseclarum fuerunt, corrumpi non potuissent, sed post aliorum depravationem hauddubie fuissent producti; tum denique quia antiquissimi, Mahommedis ætatem longe superantes, Codices atque versiones, à Scriptoribus Ecclesiasticis primorum Sæculorum allegati atque citati cum iis in omnibus consentiunt, qui hodie in nostris versantur manibus; Cum tandem ipse Muhammed Libros illos antea incorruptos verbum divinum agnoscat, quod ipsi ceu divino Legato testimonium exhibeat, simul agnoscere debet, divinam Providentiam permittere non potuisse, ut id,

 quod

quod maximi fuisset momenti, in iis deleretur & corrumperetur; ad quam circa Libros Sacros providam Dei curam ipse provocat, *Sura* XV. 10. β. Jure etiam à Muhammede vel ejus Asseclis petimus, ut nobis ostendant, in quonam Novi Testamenti Libro oracula de hæc de Mahommede agentia extiterint, postea vero, nexu interrupto, fuerint deleta; hoc enim facere Mahumetis maxime intererat, dum solum hoc divinæ missioni suæ probandæ suffecisset; at nullibi in ullo Muhammedanorum scripto ulla invenitur citatio, ubi talia extiterint vaticinia; ex quo satis patet suppositionem hanc merum esse figmentum. γ. Nullum plane Muhammedani habent argumentum, quo factum istud vel crimen à Christianis commissum probari ullo modo possit; unde nonnisi simplex accusatio est, omni plane destituta probabilitatis specie.

§. LXXXVIII.

Objectioni huic, contra S. Scripturæ integritatem motæ, ea etiam addunt loca, quæ vel inter se vel cum veritate pugnare ipsis videntur; Ut differentiam Genealogiæ Christi apud Matthæum & Lucam; diversam Vocationis Petri & Andreæ apud Matthæum & Johannem narrationem: quod Matth. XI. 13. dicitur omnes Prophetas ad Johannem usque Baptistam prophetare, alibi vero dicatur, Christum adhuc Prophetas mittere & Scribas & Doctores; quod Johannis I. & apud Marcum legitur, Johannem edisse locustas & mel sylvestre, alibi quod nec manducet nec bibat; quod Petrus mox beatus prædicetur, mox vero Diabolus; quod Christus dicatur Deus & tamen visus, cum alibi dicatur Deum neminem

vidisse

vidisse unquam: Quod Christus Joh. V. 31. mox asserat mox neget, se sibi ipsi testimonium exhibere; Quod Christus Joh. X, dicat potestatem sibi esse non modo animam ponendi sed & vitam resumendi, cum tamen contradictionem involvat, quod mortuus semetipsum resuscitet. Quod Matth. XXV. dicantur signa per Pseudo-Prophetas edenda, cum tamen solus Deus patrare miracula possit. Etiam dissensum esse dicunt in narratione de Petri abnegatione, & de blasphemante in cruce uno vel ambobus Latronibus; de Christo juxta Matth. XII. 40. tribus diebus & tribus noctibus in terræ meditullio futuro, cum tamen nonnisi duas noctes & diem unicum ibi commoratus sit. Quod dicantur condemnandi increduli, cum tamen manifestum sit non omnes illos puniri qui increduli sunt. Quod Resuscitatio filiæ Archi-Synagogi non eodem modo ab Evangelistis narretur, &c. Hæc omnia cum nullius sint momenti, & passim à Criticis aliisque scriptoribus ad ea responsum sit, objectiones has recensuisse sufficit, ut inde appareat quam ficulnea illa sint argumenta, quæ contra integritatem & divinitatem Librorum Sacrorum afferuntur.

§. LXXXIX.

Dicunt porro, Mosen etiam de Mahomede vaticinatum esse, ut adeo nullus dubitationi locus supersit, illum Prophetam divinitus missum esse; quod quidem nos non negamus, nempe quod oraculum aliquod de eo suique similibus apud Mosen extet; sed differimus à Turcis ratione dicti quod ipsi applicandum sit. Ipsi de

eo agi asserunt, Deut. XVIII. 15. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis, sicuti me, suscitabit tibi Jehova Deus tuus; auscultate ei.* Nos vero sequentio verba de ejusmodi Prophetis, qualis Mahommed fuit, agere putamus loc. cit. versu 20. 21. 22. *Veruntamen Propheta ille, qui sibi arrogarit loqui aliquid in nomine meo, quod non præcépero ei eloqui, aut qui loquetur in nomine Deorum alienorum; omnino morietur Propheta ille. Quod si dicas cum animo tuo; quomodo cognoscemus verbum illud, quod non loquutus fuerit Jehova? Quod fuerit locutus ille Propheta in nomine Jehovæ, si non erit illud verbum, neque evenerit, hoc illud est verbum quod non loquutus est Jehova; superbe illud eloquutus est propheta ille, ne timeto ab eo,* Prius dictum Muhammedi applicandum non esse probet. α. Quod Propheta ille ex Hebræis suscitandus dicitur, qualis Mahommed non fuit. β. Illustre vaticinium hoc in Novi Testamenti Libris, quos Adversarii etiam divinos habent, Christo applicatur, Act. III. 22. & VII. 37. γ. Mahomed nulla plane Prophetæ habuit requisita; nec enim Miracula, divinæ missionis suæ testimonia, patravit; nec ulla edidit vaticinia; nec Doctrinam attulit S. Scripturæ conformem; nec denique missionem suam vita inculpata confirmavit.

§. XC.

Ex Novo Testamento de Mahumete explicant Christi promissionem, Joh. XVI. 7. 8. *Nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sin abiero, eum ad vos mittam.* At versu 13. id de Spiritu Sancto explicatur; Et Paracletus ille à Jesu Christo mittendus dicitur; cum vero ex Adversario-

rum hypothesi Mahumet Christo major sit, dici nequaquam potest majorem à minore missum esse, quod etiam Muhammedani difficulter concederent. Dicitur denique ipsum de iis quæ Christi sunt sumturum, eaque Apostolis expositurum; quod Muhammedi applicari nullo modo potest.

§. XCI.

Ea *argumenta*, quæ Muhammedani *contra S. S. Trinitatis* Mysterium afferunt, aut impugnant falsa Scholasticorum interpretamenta, aut oriuntur ex male intellecta Doctrina nostra, aut denique proveniunt ex crassissimo quem de filii generatione habent conceptu. *Primi generis* sunt: Quod cum Scholastici de processionibus in Deo Personalibus docent, Filium per actum divini Intellectus procedere; Spiritum vero Sanctum per actum Voluntatis. Unde ita *objiciunt*: Scientia & amor in Deo sunt essentialia Dei Attributa, illud Intellectus, hoc Voluntatis; cum vero sint Attributa Dei essentialia; sequitur ea non posse esse Personalitatis fundamentum. *Porro* ita argumentantur; Si Dei Filius fuit productus per actum divini Intellectus, illud factum est, aut per totum intellectum aut non per totum; Si prius, Filius productus fuit etiam per proprium suum intellectum; cum illius intellectus cum divino idem sit; quod involvat contradictionem, nempe Filii intellectum seipsum produxisse. Si posterius, nempe si non per integrum intellectum divinum Filius productus fuit, sequi ajunt, per reliquum Dei intellectum etiam alium atque alium produci posse Filium.

§. XCII.

§. XCII.

Secundo generis objectiones sunt α. Quod unicus tantum sit Deus, ergo non tres. β. Quod Deus sit Ens simplicissimum, unde ex tribus compositus esse nequaquam possit. γ. Quod ex Doctrina nostra sequatur, ex aliis Dei Attributis alias etiam atque alias generari posse Personas δ. Quod Spiritus S. & Filius minores debeant esse Patre. ε. Quod oriri possit dissidium inter tres divinitatis Personas. *Sura* XVII. 42. XX. 22. XXIII. 93. ϛ. Quod Deus immutabilis sit, adeoque nec gignat, nec gigni possit, *Sura* CXII. 3. ζ. Quod Deus sibi sit sufficiens, adeoque Filio non indigeat. *Sura* II. 117. *Sura* IV. 169. *Sura* X. 67. XVII. 110.

§. XCIII.

Tertii denique *generis objectio* est, plane scandalosa, quæ Ignorantiæ, crassis atque sensualibus conceptibus tribuenda; Quod nimirum Deus non habeat Uxorem, unde etiam non possit habere Filium. *Sura* VI. 101. *Quomodo erit illi proles, cum non sit illi Socia.* LXXII. 3. *Non accepit uxorem, neque habuit prolem.* Ad omnes has objectiones ut respondeamus opus non est, dum ex Doctrina nostra recta exposita omnes per se evanescunt.

§. XCIV.


Alia *Objectio* ipsis cum omnibus Religionis Christianæ Hostibus communis est, à mutuis dissidiis, contentionibus atque Sectis desumta. Ad quam jam Capite VI. respondimus; iis quæ ibi diximus nonnisi hoc nunc addimus, quod & inter ipsos Turcas Persasque internecinum

Reli-

Religionis vel Sectæ odium sit, unde à dissensu aliquo ad ipsam Religionis alicujus falsitatem concludi nequaquam, juxta ipsam Adversariorum hypothesin, potest; alias concedere tenerentur & ipsam Muhammedanam Religionem falsam esse.

§. XCV.

Maxime denique in Christiana Religione Imaginum, Sanctorum atque Mariæ cultus offendiculo ipsis est. Uti nimirum omnem Idololatriam Ethnicam detestantur, ita omnem imanum cultum nonnisi ceu reliquis ejus considerant, Christianosque Idololatras dæmonumque cultores vocant. At toti Christianismo imputandum id non est, contra quod magna Christianorum pars continuo clamat, & quod ipsi Christi Apostolorumque Doctrinæ plane adversum est.



CAP.

* *

CAPUT XII.

De Socinianismo & Antitrinitariis.

§. I.

Per SOCINIANOS intelligo eos, qui SOCINI circa Religionem peccatoris Placita amplectuntur.

Historiam cujusque Hæreseos tradere instituti nostri non est, illam qui scire vult historiam Ecclesiasticam & Hæreticorum adeat.

Occasio hujus Hæreseos.

§. II.

OCCASIONEM huic Sectæ dedit, quod per Reformationem Ecclesia Dei in Libertatem vindicata, excussa Pontificis Romani Tyrannide, superstitione debellata, & conscientiæ libertate in rebus credendis restituta, homines in alterum prolaberentur extremum, & errorem plane contrarium foverent.

§. III.

Optime nimirum novi Satanas, Ecclesiæ inimicus, temporum statui atque occasioni sese accommodare; unde nullum tempus Zizaniæ seminandæ opportunum prætermittit.

IV.

Eo nimirum tempore, quo Pontifices Romani

mani supremum in rebus credendis Dominatum in tota Ecclesia sibi vindicabant, & hominum conscientias obligabant, ad omnia sua de rebus fidei decreta, absque ullo veritatis examine, cœca obedientia amplectenda, hominumque superstitio atque ignorantia huic Tyrannidi locum daret, ejusmodi hæresibus locus esse non potuit, nisi ipse Papa tales fovisset, & illæ ut ab aliis crederentur, mandasset.

§. V.

Cum vero Reformatores conscientiarum libertatem reducendam esse, neque cuiquam mortalium tale in articulis fidei Dominium competere ostenderent, quale Pontifex sibi attribuit; mox factum fuit, ut homines libertatem hanc male intelligerent, & illa abutentes, nulli amplius in rebus Religionem spectantibus Autoritati quicquam tribuendum esse vellent, nisi id ipsum ex Rationis principiis flueret.

§. VI.

Hinc factum est, ut homines illi dotibus cæteroquin naturalibus instructi, à jugo Autoritatis humanæ liberati, alterum amplecterentur extremum, nihilque credendum arbitrarentur, nisi quod rationis decempeda metiri, & ad illam examinare possent.

§. VII.

Ipsas propterea veritates Evangelicas, quæ sola fallere nescientis Dei Autoritate nituntur, ut Rationis captum superantes rejiciebant, neque quidquam in S. Scriptura revelatum admittendum censent, nisi in quantum cum Rationis norma convenit.

Cum

§. VIII.

Cum SOCINUS hanc Doctrinam maxime ſtabilire conaretur atque defenderet, hinc illi, qui huic Doctrinæ favent & tunc peculiarem ſectam conſtituebant, *Sociniani* dicuntur.

§. IX.

Sociniani S. Scripturæ ut Revelationis divinæ exiſtentiam atque Autoritatem admittunt, dum hæreſin ſuam ex illa propugnare conantur; ejusque dogmata amplectuntur, in quantum ex principiis Rationis explicari poſſunt.

§. X.

Et licet cognitionem Dei innatam inficientur, eamque nonniſi per traditionem, experientiam, atque viam revelationis acquiri perhibeant, fundamentum tamen Religionis naturalis non negant, quod conſiſtit in dependentia hominis à Deo Creatore & Conſervatore (§. 772. Cap. III.); adeoque etiam obligationem, quam dependentia illa infert (§. 778. Cap. III.), admittunt; per conſequens illam etiam Religionem quæ naturalis dicitur (§. 771. Cap. III.) Sequitur illos Religionem naturalem non negare, licet ejus principium, nempe cognitionem Dei innatam, negent.

§. XI.

Religionem ergo naturalem quoad ejus eſſentiam ſtatuunt, licet non idem nobiscum illam cognoſcendi Principium aſſumant.

§. XII.

Cum *Sociniani* Religionem, quam naturalem vocamus, non negent (§. 10.); neque etiam revelatam dari inficientur (§. 9.), dogmata tamen

men revelata non alio sensu amplectuntur, quam ad Rationis normam exacta, hinc patet, quænam vera Religionis Socinianæ sit ratio, nempe quod sit *Doctrina Christiana Naturalismo accommodata.*

§. XIII.

Cum omnia ea negent, quæ cum principiis Rationis non sunt conformia, sive ex illis demonstrari nequeunt (§. 7.), adeoque quæ Rationis sphæram transscendunt; hinc eo ipso ea negant, per quæ Religio revelata sive Christiana talis est, & nihil reliquum faciunt, quod illam à Religione naturali distinguit; hinc eo tendunt, ut evincant, hominem peccatorem secundum Religionem naturalem salvari posse.

Iterum hic monendum est, quod licet abstineant à termino Religionis naturalis, & in quibusdam Rationi minus tribuant, quando naturalem Dei cognitionem Theologiæ Naturalis principium negant, fundamentum tamen sive principium constitutivum Religionis Naturalis non negent; hoc est, naturalem hominis ad Deum Creatorem & Conservatorem Relationem; & inde orientem obligationem admittunt. Quando ergo dicimus, illos statuere Religionem Naturalem; id non intelligimus de principio Cognitionis homini innato; sed de naturali hominis ad illam Religionem obligatione, qua in re illius essentia consistit.

§. XIV.

Per *Religionem Naturalem* ergo heic illam intelligimus, quæ fundatur in naturali hominis ad Deum Relatione, ad quam observandam propterea omnes homines, qua creaturæ rationales, obligati sunt, & quæ omnibus hominibus COMMUNIS est.

§. XV.

Cum tamen nolunt videri, quod Christianam Religionem evertere quærant, sed Christi se discipulos esse ejusque Doctrinam se amplecti contendant, & tamen non aliam quam naturalem profitentur Religionem; hinc ipsis statuendum fuit, Christum primum fuisse, qui nuntium attulerit atque revelaverit, hominem per Religionem illam, quæ fundatur in naturali hominis ad Deum relatione, salvari posse.

§. XVI.

Religio communis est talis, qua prætenditur, omnes promiscue homines, ex omnibus Confessionibus salvari posse; quæ hominibus etiamsi peccatoribus, præscribat viam perveniendi ad communionem Dei, per illa officia, ad quæ homo per relationem naturalem ad Deum Creatorem & Conservatorem obligatus est; quæ ergo omnibus hominibus ex æquo patet, & in qua articuli fundamentales ex omnibus Religionibus manent salvi.

§. XVII.

Quoniam autem *Sociniani* talem Religionem statuunt (§. 13. 14. 15.) cui Characteres *Religionis communis* competunt (§. 16.); hinc patet Dogmata illorum eo tendere, ut stabiliant ejusmodi RELIGIONEM COMMUNEM.

Hypothesis Primaria
sive
Πρῶτον ψεῦδος
Religionis Socinianæ
&
Errores cum illo connexi.

§. XVIII.

Ex hisce nunc facile patet, quænam sit SOCINIANISMI *Hypothesis primaria*, nempe *hominem per Religionem illam communem, quæ in naturali hominis, ut creaturæ, ad Deum Creatorem & Conservatorem relatione fundata est, salvari posse, in qua Religione revelationi divinæ id debeatur, quod Christus hanc promissionem primus attulerit.*

Hoc ipsorum πρῶτον ψεῦδος esse patet ex tota Religionis illorum forma ac constitutione; Omnibus enim sectis aliquo modo adaptata illa est, omnium ingeniis accommodata; quam omnes homines non illuminati cum suo sensu conciliare possunt. α. Enim Religionis naturalis præcepta, formam, ac materiam non modo retinent, sed eam citra Revelationem ad Salutem consequendam sufficere contendunt; ut tota salutis via ex Rationis usu cognosci possit; unde SOCINUS Epist. 11. ad Dudith. *Sufficere*, dicit, *ad cognoscendum iter, quod ad salutem Cœlorum perducit, ut sciamus, quæ revera præcipiantur vel ventetur a Deo, adeo ut si in reliquis error occurrat, nemo ob eundem cœlo excludatur; ut supervacaneum sit de iis cogitare, quæ Christi Personam attinent, una cum iis omnibus quæ Christus pro nobis fecit & facturus est, quatenus per*

ea justificari velimus. De fide & operibus p. 136. Ut adeo per hanc præceptorum viam, natura & ratione cognitam, quisque æternæ salutis compos fieri possit; & ita quamcunque profitearis Religionem, veræ Religionis essentia salva manere potest, si modo aliquis sub spe alterius vitæ præcepta Divina observare contendat. β. Hominum tam præjudiciis quam cupiditatibus ita adaptata est; ut non possit non homines carnales in assensum rapere: *Prius*, dum omnia ea ex Religione eliminant, quæ obcœcato humano intellectui non modo impervia, sed à Ratione aliena videntur; unde Dogmata, quæcunque rationis Sphæram excedunt, rejiciunt. *Posterius*, dum non modo Decreta ac Consilia Divina homini subordinant, sed etiam ea ex Religione excludunt Dogmata, quæ Peccatori ingrata sunt; uti illud præcipue, quod pœnam sensus, & quidem perennem, post hanc Vitam impiis expectandam, comminatur. γ. Ne autem Christianum nomen plane exuerent, & apud eos, qui Christo nomen dederunt exosos sese omni modo redderent, Religionem suam etiam Disciplinæ Christianæ adaptare studuerunt, & Christum etiam aliquo modo necessarium fecerunt, religionemque suam illius Doctrinæ morali superædificant, ut etiam Christiana illa dici possit. *Christum enim agnoscunt* (sunt verba Celeb. HEIDANI Diatriba de Socinianismo, Cap. III. §. 9. pag. 513.) *fuisse insignem aliquem præ reliquis Doctorem Ecclesiæ, potentem operibus & Sermone, qui præcepta illa naturæ majore luce donaverit, & quædam alia iis adjecerit: & qui præterea, ut mortis horrorem tolleret, & homines in spem immortalitatis exigeret, eum in finem mortem subjit, ut à Deo in vitam revocatus & immortalitatis Gloria donatus, omnibus esset documento & exemplo, se si præcepta ejus servaverint, eodem modo ex morte in vitam restituendos, & immortalitate aliquando donandos.* Quod, ut facilitatem aliquam in operando afferat; cum tamen & citra consideratio-

nem

nem & respectum ejus, omnia illa præstari possint, quibus vita æterna acquiritur, sequitur, Christum non posse haberi, nisi accessorium quoddam hujus Religionis & viæ ad salutem, eo tantum nomine & intuitu ascitum & admissum, ut à Christo Christiana dici posset, & à Christianis suscipi. Id vero maxime gloriantur Sociniani, quod ante *Socinum* à nemine recte aut intellectum aut explicatum fuerit, qua in re omnis Religionis ac pietatis medulla sita sit; ut demum ille post Christum & Apostolos veram ad immortalitatem viam invenerit, ac Mundo patefecerit; utpote quam per plura annorum millia ante adventum Christi semper desideratam, semper ignoratam, quamque ipsi Mosaicæ legis Cultores pertenui aliquando suspicione odorati, nunquam aperte deprehendere potuerint; quam denique à Christo Apostolis patefactam, mox succrescentium errorum spinis obsitam, atque dira obruente caligine abditam, rursus exacta fabularum senticeto, ac reddita veritatis luce, benignissimus Deus detexerit atque restituerit. *Dissert, præmissa operibus* SOCINI *ab Equite Polono.* δ. Nulla omnibus sectis, quæ extra Protestantem Ecclesiam vivunt, communior est sententia, quam Salvatio per propriam justitiam, cui velificant *Judaismi*, *Papismi*, *Ethnicismi* & *Turcismi* Confessores omnes; unde ipsi etiam Sociniani hoc salutis fundamentum jecere, ideo non potest non fieri, quin apud plurimos gratiam invenirent. ε. Ut *Anabaptistarum* Sectæ etiam indulgerent, iisque ad amplectendam Sectam suam viam complanarent, talia etiam adoptarunt Dogmata, quæ Catabaptistarum principiis sunt conformia; Non solum omnia Mysteria ex Christiana Religione exterminantes & captui humano omnia conformantes, sed & Sectæ illius de Juramento, de potestate Magistratus, de Pædobaptismo, de Christi denique incarnatione, opiniones amplectentes. ζ. *Novitatis* etiam *specie* Sociniani Disciplinam suam commendant, quo multi homines allici sese patiuntur, dum omnia ea amant, quæ novitatis speciem præ se ferunt. Ex quibus omnibus conficere licet, eum Socinianis esse scopum, ut omnium Sectis ac opinionibus sese accomodarent;

 unde

unde Celeb. HEIDANI in Diatriba de Socinianismo Cap. I. §. 12. p. 502. hoc de hac Hæresi judicium est; *Sane si intima ejus inspiciamus, illamque, ut oportet, evisceremus, statim apparebit cuivis, qui præjudiciis occæcatus non est, aliud eam nihil esse, quam Rationis humanæ lusum, natum de ingenio sapientiæ sæcularis, & Theologiæ, naturalis scil. emendatiorem typum: Mysterii pietatis emasculationem, & Christianismi infelix stuprum: quæ in summa aliud nil contineat præter Ethicam Christianam eamque valde informem - - - - Imo si propius eam intueamur, patebit, aliud nil esse quam Paganismum, Judaismum, Turcismum, tectorio Christianismi obductum, & ita comparatum, ut omnium hæresium & sectarum possit esse receptaculum, & in quam omnes sectæ, retentis erroribus suis, conspirare possint, & coire.* Et §. 13. p. 503. addit Vir Celeb. „Ex qua Theologiæ hujus ὑποτυπώσει obiter constat, anguste nimis „& tenuiter de illa judicasse, qui Photinianismi „limitibus illam circumscribunt, quasi nihil aliud „sit, quam interpolatus Photinianismus. Est enim „ille exigua tantum vestis hujus lacinia, in illum „tantum finem à Socino ascitus, ut Monarchiam „Dei adstruendo, viam sibi sterneret ad conciliandas sibi omnes sectas, quæ Trinitatem contra Reformatos abhorrent, & ut Ethnicis, Judæis & Muhammedanis aditum pararet ad amplectendam Religionem Christianam, quam nonnisi meliore sui „parte castratam, gratam illis fore sibi persuasit. „Sed revera nihil aliud sibi voluit, quam novam „& à se excogitatam immortalitatis viam pandere, „eamque mortalium generi præ cæteris commendare. „Quæ ut à nullo mortalium repudiari posset & omnibus in universum, quocunque errore & hæresi „infectus esset accomodata, placere posset, necesse „habuit, vel ipse se in Errorum istorum laqueos inducere, vel saltem eos in aliis tolerare & in omnibus tolerabiles sciscere.

Hoc

§. XIX.

Hoc vero illorum πρῶτον ψεῦδος esse, ex toto etiam Errorum illorum nexu in sequentibus clarius patebit.

§. XX.

Hujus Religionis duo ponunt capita: *Primum* de agnitione Dei in natura sese manifestantis, *secundum* de ejus cultu à Ratione dictato, cujus officia omnia per naturam ab homine præstari possint.

SOCINUS Religionem hisce *duabus partibus* contineri dicit; nempe *præceptis Divinis* ac *promissis*; unde cognitionem essentiæ Divinæ non magni facit, dicit in Explicat. Cap. I. Joh. p. 13. de Dei Essentia: *Disputationes fere omnes relinquamus, minimum siquidem ad Pietatem concludere videntur, quod vero nos facere jusserit, quid nobis promiserit, diligenter inquiramus.* Et de Autoritate Script. Cap. II. „Respondeo, istas tot, tamque diversas, „aut etiam contrarias, opiniones, nihil impedire, „quominus de summa quadam constare possit ejus „Religionis: quæ summa sine dubio, id est, in „quo omnes, qui eam Religionem profitentur, con„veniunt: *præcepta* scilicet sanctissima, quæ in ipsa „dantur, *promissaque* admirabilia vereque Deo digna, „quæ in ipsa continentur; quibus duabus rebus, tan„quam partibus, omnis Religio potissimum constat„ SOCINI mentem hac in re etiam assecutus est nuperus Autor Epistolarum *sur la Religion Essentielle à l'homme distingué de ce, qui n'en est que l'Accessoire*, quem Autorem Socinianis ideo accensemus, quia Socinianorum Religionem inde à Sectæ hujus initio ad nostra usque tempora nemo tam clare exposuit & tam bene propugnavit, quam Doctus harum Epistolarum Autor. Hypothesis illius plane Sociniana est, *dum* totus in eo sit, ut talem fabricet Religionem, cujus Articuli fundamentales in omnibus Religionibus salvi manent, quibus increduli etiam assentiri

 possunt:

possunt; ut hac ratione conficiatur Religio aliqua communis. *Porro* omnia in Religione Mysteria ceu inutilia ac Rationem excedentia rejicit, ut Vera Religio omnis Mysterii plane expers sit; quæ ipsissima Socinianorum hypothesis est. *Cum* Socinianis *etiam* quoad externam speciem S. Scripturæ autoritatem admittit, at ita eam explicat & dividit, ut nihil remaneat, quam quod ex ipsis Rationis principiis constat. *Denique* cum Socino ad Religionis essentiam, rejectis Mysteriis omnibus nonnisi promissa ac præcepta Evangelica requirit; nonnulla ex Epistola XV. afferam; „Lorsque, dit-il, l'on se demande à soi même, quel est le but de la Religion? „La Reponse la plus naturelle qui s'offre à l'esprit, „est, que la Religion doit aboutir à rendre les hommes Gens-de-bien, c'est-à-dire, à les rendre „Droits, Equitables, Bienfaisans, sincéres, ou vrais „dans leurs discours comme dans toute leur Conduite. Si vous rassemblez là-dessus les souffrages „de tous ceux que l'on nomme Chrêtiens, ils ne „refuseront pas de souscrire à cette réponse. Je „pense même que les Juifs & les Mahométans y „souscriroient aussi. Convenir du but d'une chose, „c'est être d'accord dans le fond. Comment concevoir après cela, que des Hommes, qui conviennent sur le but de la Religion, soient opposés, „dirai-je? animés ou acharnés les uns contre les „autres sur ce qu'ils nomment Religion, & cela „d'une façon irreconciliable? Il y a long-tems que „l'on s'en etonne, on remarque qu'ils conviennent sur „le but, mais qu'ils différent sur les moyens. C'est „donc içi la cause de toutes leurs controverses, combats, dissensions, dirai-je? Persecutions. - - - „D'où peut venir cela? Ne seroit ce point de ce „que l'on a cherché des moyens eloignés & multipliés pour arriver à un but tout simple & tout „proche.„ His deinde addit: S. Scripturæ notitiam, quoad ea præcipue dogmata, de quibus controvertitur, necessariam non esse, neque etiam hanc ob caussam Dogmatum Mysteriorumque cognitionem ad Religionem pertinere, cum nulla certa detur illorum cognitio, nulla evidentia, ut adeo ad Virtu-

tem,

tem, quæ Religionis finis sit, in homine producendam plane nihil conferat. Ex quibus facile patet, ad merum Socinianismum Religionem hancce essentialem tandem reduci.

§. XXI.

Cum igitur statuant, viam perveniendi ad communionem Dei omnibus hominibus esse notam, & in Religione communi Articulos fundamentales omnium Religionum manere salvos, hinc necessario ipsis statuendum fuit, scitu & præstitu ad salutem necessaria esse paucissima.

§. XXII.

Hinc Articulos suos fundamentales ad salutem scitu necessarios solummodo ad hos sex referunt. α. Deum esse. β. Esse unicum. γ. Æternum. δ. Perfecte justum. ε. Perfecte sapientem. ϛ. Perfecte potentem.

De Dei essentia hoc sex Articulos tantum necessarios esse dicunt. Vide Catech. Racov. Edit. 1659. pag. 24. *Quæ vero*, interrogat, *de Natura illius sunt cognoscenda? Ea sunt duplicia. Primum genus est eorum, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria. Alterum vero eorum, quorum cognitio ad salutem vehementer conducit. Quænam sunt quæ ad Naturam Dei pertinent, ad salutem cognitu necessaria? Sunt ea quod Deus sit, quod sit tantum unus, quod æternus, quod perfecte justus, perfecte sapiens, perfecte potens.* Sect. 3. de Dei Nat. Cap. I. Addit. pag. 30. *Exposuisti quæ cognitu ad salutem de Dei natura sunt necessaria, expone, quæ ad eam rem vehementer utilia esse censes? Præcipuum est, ne in communem errorem incidamus, quo manifesta con-*

traditione una Deo essentia esse statuitur, caeterum non unam, sed tres illius esse personas. Addi hisce possunt, quae habet OSTORODUS instit. Cap. III. & IV. & SOCINUS in Catechesi pag. 4. de cognitione Dei, nec non pag. 6. Hinc fit, ut Sociniani non facile quenquam propter falsa Dogmata damnent, Religionis enim communis ratio id postulat, ut omnibus ad eam sit aditus, propterea OSTORODUS in Praef. Instit. ita loquitur: *In hoc solum aliis sumus dissimiles, quod neminem opinionis suae caussa condemnemus vel repudiemus, sed lubentissime pro fratre accipiamus, qui etiam in multis nobiscum haud convenit, modo Christum pro Domino & Salvatore suo teneat* &c. Vide quae habet SOCINUS in Joh. I. p. 4.

§. XXIII.

Cum ergo via perveniendi ad communionem Dei & omnes Articuli fundamentales sint natura noti, & nulla alia Religione ad salutem Peccatoris opus sit, quam illa, quam naturalis vocatur; hinc necessario RATIO facienda fuit RELIGIONIS NORMA. Ideo ei in rebus Theologicis plus aequo deferunt, & ejus trutina omnes res fidei ponderant.

Id patet tam ex apertis Socinianorum doctis, quam ex illorum praxi, dum omnia ea rejiciunt, quae Rationis decempeda metiri nequeunt.

§. XXIV.

Et cum Ratio sit principium Religionis, & Religio naturalis ad salutem sufficiat (§. 13. 23.); hinc Mysteriorum revelatio de alia via ad communionem Dei perveniendi, quam per Religionem naturalem, necessaria non est; ubi enim ratio sufficit, ibi Mysterio opus non est.

Quo-

§. XXV.

Quoniam autem Sacra Scriptura Mysterium de Medio liberationis peccatoris in se continet, secundum Socinianos vero illo opus non sit (§. 24.), licet Revelationis existentiam ex hypothesi sua negare nolint (§. 15.); hinc fit, ut sensum S. Scripturæ quocunque modo vel enervent vel elevent.

§. XXVI.

Elevant eum, dicentes: in ea esse revera dissensiones & repugnantias, textum S. Scripturæ authenticum in pluribus locis esse corruptum & immutatum, quosdam V. T. libros periisse.

De his vide *Catech. Racov.* Cap. I. de certitud. S. Litterarum, & SOCINUM de Autorit. Cap. I. pag. 26. 27. & pag. 29. ubi dicit. *Si quisquam dixerit, admodum verisimile esse, tot sæculorum spatio, cum tot exempla eorum descripta fuerint, ea pluribus in locis fuisse immutata: id sane non negabo.* His addenda, quæ habet VOLKELIUS Lib. V. de Relig. Sociniana Cap. V. p. 376. Hoc tamen confitentur Adversarii nostri, illas S. Litterarum depravationes magni momenti non esse. Multos vero ex Sacro Canone Libros deperditos fuisse haud obscure asserunt, vide SOCINUM Lect. Sacrarum pag. 57. ubi ex variis N. T. Scriptorum citationibus concludit, multos S. Libros periisse: Et SMALCIUs contra Frantzium Disp. VII. de bonis operibus pag. 141. idem asserit: Ut & VOLKELIUS Lib. V. de Relig. Cap. V. pag. 381.

§. XXVII.

Enervant eum, Rationem facientes Judicem & normam Controversiarum Theologicarum; statuentes Scripturam sine interna ac singulari illumi-

illuminatione Spiritus Sancti recte & salutariter intelligi posse; Unde Rationi in exponenda Scriptura tantum tribuunt, ut Dogmata fidei, ex plurimorum Scripturæ locorum consensu clare demonstrata, hoc prætextu repudient, quod cum Ratione non consistant, hoc est, ex ejus principiis demonstrari nequeant, etiam in iis rebus de quibus constat, eas vi humani intellectus penetrari non posse.

OSTORODUS Instit. Cap. I. ita se explicat pag. 3. 4. *Quare judicamus, omnes illos graviter & periculose errare, qui putant S. Scripturam sine præcedenti interna illuminatione & speciali Revelatione Spiritus S. nullo modo fidem & obedientiam in hominibus efficere posse.* Refutat deinde sententiam illam, quæ statuit, hominem sine speciali interna illuminatione & revelatione Spiritus S. nullum usum ad salutem quidem spectantem ex S. Scriptura habere posse, quando illam legit, vel audit legi. pag. 2. §. 5.

§. XXVIII.

Unde SMALCIUS: Etsi Scriptura pluries dixisset Christum esse Deum, sed id tamen non crediturum, quia Ratio nempe ipsi dictet, illud omne quod ea assequi non potest, pro absurdo esse habendum. Ideo etiam Scripturæ satisfieri putant, etsi verba ejus levissimo accipiantur sensu.

§. XXIX.

Cum Religio communis ad salutem sufficiat (§. 18.), & Ratio ejus norma sit (§. 23.), ad cujus trutinam omnes res fidei examinandæ, necessario omnia, quæ rationem superant & illi impervia sunt, adeoque omnia fidei Mysteria,

tanquam ex principiis Rationis non nota, ex Theologia ejicienda sunt.

Videbimus infra, omnia ea Socinianos inficiari quæ Mysteria sunt; de Religione Mysterii experte etiam legendæ Epistolæ illæ Gallicæ supra citatæ, præcipue Epist. XIII. & XIV.

§. XXX.

Hinc Sociniani toti in eo sunt, ut negent & destruant Sacro-Sanctæ Trinitatis Mysterium. Rationi enim impervium est tres esse Personas in una Dei essentia; unde negant tres Personas sive ὑποςάσεις, vere ab invicem distinctas, quas S. Scriptura appellat Patrem, Filium & Spiritum S. subsistere in essentia divina, sive vera Divinitate & omni Divinitatis perfectione per naturam suam ab æterno participare, salva perfectissima divinæ illius essentiæ unitate.

Catech. Racov. Sect. 3. De Dei natura Cap. I. „Quæ„rit. Demonstra in una Dei essentia unam tantum esse „personam? Hoc sane vel hinc patere potest, quod „Essentia Dei sit una non specie, sed numero. Qua„propter plures numero Personæ in ea esse nullo pa„cto possunt; cum Persona nihil aliud sit, nisi essen„tia individua, intelligens. Proinde tribus numera„tis personis, tres essentias individuas. eodem modo „numerari necesse sit, ut quomodo una numero di„catur esse essentia, eodem modo & una numero di„cenda sit esse persona. p. m. 31.

§. XXXI.

Inde est, quod in Christo Jesu, benedicto Salvatore nostro, neutiquam naturam vere divinam, juxta quam ab omni æternitate extiterit, & quam S. Scriptores appellant τὸ αἰώνιον πνεῦμα τοῦ Χριςοῦ, agnoscant; sed dicunt: ipsum esse

ψιλὸν ἀνθρώπον, eique denegant cum veteribus Samosat. & Photinianis omnem προυπαρξιν της ἰδιας ὑποςασεος ante ortum ex Virgine, quo demum tempore cœperit exiltere.

„SOCINI de hac re verba ista sunt: Asserere Christum ita Deum esse, ut summus ille sit altissimusque rerum Conditor, qui Cœlum terramque condidit, suprema est inscitia, nam in Sacris litteris solus ille Jesu Christi pater, atque omnipotens Jehova hoc nomine insignitur. *Et alibi*: Christus etsi verus est Deus, non tamen est ille verus Deus, ille solus perfectissima ratione Deus, nam Pater tantum ista ratione Deus est. Christo nimirum precariam tantum & dependentem à Deo attribuunt divinitatem ratione præeminentiæ, Autoritatis & Muneris supra omnes creaturas excellentis." *Catech. Racov*. I. c. p. 32. „Quid autem de Filio respondebis? Ea Vox Deus duobus potissimum modis in Scripturis usurpatur: *Prior* est, cum designat illum, qui in Cœlis & in terra omnibus ita dominatur & præest, ut neminem Superiorem agnoscat. - - - *Posterior* modus est, cum eum denotat, qui potestatem aliquam sive cœlestem sive in terris inter homines summam, aut qui potentiam, virtutemque omni humana majorem ab uno illo Deo habet, & sic Deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est. Etenim in Scripturis propterea Deus ille unus Deus Deorum vocatur Ps. L. 1. Et hac quidem ratione Filius Dei vocatur Deus in nonnullis Scripturæ locis. Et Sect 4. Cap. I. p. 48. Sed an præter humanam Christi Naturam, sive substantiam non agnoscis etiam in eo divinam? Siquidem hoc loco naturæ seu substantiæ Divinæ nomine ipsam Dei essentiam intelligimus, non agnoscimus hoc sensu divinam in Christo naturam: cum id non solum Rationi sanæ, verum etiam divinis litteris repugnet." SOCINUS Disp *de Natura Christi* pag. 20. „Ea enim omnia vel Sanctitatem vitæque innocentiam, vel rerum humanarum, vel Divinarum scientiam, vel admirandam „facien-

„faciendi potestatem, vel in Universa Dominationem „atque Imperium, vel denique illi debitam adoratio„nem respiciunt, nihil præterea in eo homine, quod „humanam conditionem exsuperet, inveniri posse vi„detur.„ Et alibi SOCINUS de Christi Natura ac essentia vix quidam fundamentaliter & necessario agnoscendum existimat, ita enim in Catechesi, sive Religionis Christianæ instit. pag. 16. Interrog. Primum igitur, quid censes de Christi Natura sive essentia nobis cognitu esse necessarium? Resp. id, ut antea dixi, sine cujus cognitione Voluntas Dei erga nos per ipsum Christum patefacta, à nobis vel sciri, vel servari nequeat. Interrog. Quid igitur ex iis quæ ad Christi naturam sive essentiam pertinent, ejusmodi esse censes? Responsio: Vix quidquam: &c.

§. XXXII.

Ut autem eludant vim clarissimorum argumentorum, quæ Christi Jesu Servatori nostro *Veram* vindicant *Deitatem*, varios iterum committunt errores.

§. XXXIII.

Quando enim ad probandam pluralitatem Personarum in S. S. Triade allegatur locus Gen. I. 26. ipsi dicunt, Deum Angelos ibi fuisse allocutum.

§. XXXIV.

Et ut eos tanquam συνεργους uti in creatione hominis, ita etiam reliquarum rerum Deo associare possint, hinc est, quod dicunt, eos ante Mundi initium creatos esse.

§. XXXV.

Cum porro illis objicitur, Christo in V. T. tribui sacratissimum illud & soli Deo proprium nomen τετραγραμματον יהוה, quo non una tantum Persona sæpe in V. T. insignitur. Ipsi ut vim hujus

hujus argumenti eludant, negant illud, *tum* respectu originis suæ, & nativæ significationis, *tum* respectu constantis sui usus, sine tropo sumtum, Deo ita esse proprium & essentiale, ut nulli unquam Creaturæ quocunque titulo tribuatur, sed dicunt, idem in quibusdam casibus absolute ac sine ulla positum adjectione etiam Angelis, Dei personam aliqua ratione sustinentibus, tribui.

§. XXXVI.

Ita etiam dicunt, nomen אלהים, quoad proprium suum usum, in Scripturis V. T. commune haberi ac appellativum, & creaturis ipsis proprie tribui. Non negamus quidem, illud subinde vi significationis imperii, officii, dignitatis, etiam ad alias, præter Deum, res, impropríe tamen, transferri posse; usu tamen hebræorum, quo vera verborum significatio metienda & æstimanda est, ad ipsam Dei Naturam & essentiam refertur.

§. XXXVII.

Ita quando Christus in variis N. T. locis appellatur Θεος, & quidem κατ' ἐμφασιν ὁ Θεος, ὁ μεγας Θεος, ὁ ἀληθινος Θεος, Θεος εὐλογητος εἰς τοὺς αιωνας, ut etiam hoc argumentum eludant, dicunt α. Vocem Θεος in Scripturis N. T. constante usu ipsam Dei Naturam & essentiam non notare.

§. XXXVIII.

β. Faciunt distinctionem, dicentes; vocem Θεος, quando vel cum Articulo præpositivo constructa sit, vel ubi orationis subjectum est, majorem habere vim potestatemque significationis, quam ubi eadem absque præpositivo Articulo

veniat,

veniat, vel in oratione prædicatum constituat; *priore* enim *casu* veram atque summam significare Divinitatem, *posteriore* etiam de aliis prædicari posse subjectis, quibus Divinitas aliqua & Gloria à summo Deo conferatur; unde omnia Scripturæ loca, in quibus vox Θεὸς venit cum Articulo ad Patrem detorquent.

ORIGINEM olim dixisse ferunt, cujus etiam Autoritatem adhibent, Patrem esse verum Deum cum articulo, λόγον vero & alios Deos participatione & sine articulo, sed quam vanum sit hocce effugium, patet inde, quia ipse Pater Deus dicitur sine articulo, Joh. I. 6. XII. 18. Eph. IV. 6. & Christus à Thoma vocatur ὁ Θεός μου, ut alia nunc loca prætercam.

§. XXXIX.

Cum tamen Christo non omnem Θεότητα negare possent; hinc, ut aliquam rationem redderent, quare ita vocetur, dicunt, nomen hoc ipsi competere: α. Quia tanquam Legatus veri Dei, Deum repræsentet.

§. XL.

β. Quia in ipso habitet divinitas Patris, ipsique Deus Pater variam Perfectionis suæ excellentiam, Autoritatem, Gloriam, Potestatemque communicaverit, eique tanquam Vicario suo in cœlum nunc evecto, regimen Ecclesiæ suæ & Mundi commiserit, quapropter ab Angelis & hominibus honorandus & adorandus sit, manere tamen ipsum Deo summo & æterni Patri subjectum & inferiorem.

SOCINUS Sententiam suam ita exprimit: *Christus non est idem cum Patre Deus, sed alius, non natura Deus, sed gratia factus, Deus meta-*

phorice, ob similitudinem aliquam cum Deo, & quidem excellentiorem reliquis Creaturis. Item *Christus igitur est Deus, quia est Dominus, Princeps, Benefactor noster.*

§. XLI.

Cum porro contra illos urgetur, Christum dici Filium Dei unigenitum, primogenitum & proprium, quod ipse habeat vitam ex Patre, illi, ut & hoc eludant argumentum, statuunt: Christum ita dici non propter, veram ejus & supernaturalem, æternam, nobis incomprehensibilem & ineffabilem generationem, sed improprie & figurate, idque secundum naturam humanam & quidem (vide §. sequentem,)

Catech. Racov. Sect. 4. Cap. I. pag. 46. ita quæritur: „An ergo Dominus Jesus est purus aut vulgaris homo? Nullo pacto. Quia licet natura sit homo, nihilominus tamen simul est unigenitus Dei filius, idque etiam à primo ortu: *Etenim* conceptus à Spiritu Sancto, & Virgine sine ullo Viri congressu natus, nullum alium Patrem hactenus præter Deum habuit... *Deinde*, quia, ut ipsemet Christus de se testatur, à Patre sanctificatus & in mundum missus fuit, „... *Tertio* quod ut Paulus tum in Actis, tum in „Epistola ad Romanos testatur, à Deo ex mortuis „fuit resuscitatus, & sic denuo veluti genitus, præsertim cum hac via immortalitate Deo similis evaserit. Denique quia etiam imperio, ac suprema in „omnia potestate Deo similis, imo æqualis est effectus.

§. XLII.

α. *Propter miraculosam ejus ex Virgine conceptionem*, quatenus ipse vi Spiritus S. conceptus, & virtute Dei ex Maria Virgine sit productus, juxta illud Lucæ I. 35: de qua conceptione ita SOCINUS

NUS: *Non negandum est Dei virtutem in Virginis uterum substantiam aliquam creatam immisisse, aut ibi creasse, ex qua Christus, juncto eo quod ex ipsius virginis substantia sumsit, verus homo generatus fuit, qui propterea ut homo matrem, nempe Virginem ipsam, habuit, sed Patrem etiam, nempe ipsum Deum*

§. XLIII.

β. Propter singularem Dei erga eum amorem, quo ipsum sanctificaverit, & ordinaverit ad munus mediatorium, per quem à cœteris hominibus singularissima ratione segregatus, præter perfectam vitæ sanctitatem, divina Sapientia & Potentia tanta instructus, ut etiam cogitationes hominum sciverit, ad legationem inter homines obeundum cum summa autoritate & potestate fuerit missus. Secundum Joh. X. 4. 5. 6.

§. XLIV.

γ. Propter resuscitationem ex mortuis, qua denuo quasi genitus & immortalitate Deo similis evaserit: huc locum trahunt, Actor. XIII. 32. Rom. I. 4.

§. XLV.

δ. Propter exaltationem ad dextram Dei, per quam imperio supremaque potestate Deo similis, imo æqualis sit effectus, & in divinissimum translatus statum, Heb. I. 3. 4. & V. 1.

SMALCIUS, *Lib. de Divinitate Christi* „Restat igi„tur, *inquit*, ut aliæ causæ inquirantur, ob quas „filius Dei censendus sit. Eæ autem sunt duplices: „Partim enim ob modum, quo Christus extitit, hoc „est, propter miraculosam conceptionem & nativita„tem, filius Dei appellatur; partim ob similitudi„nem, quam cum ipso Deo habuit in hac mortali „vita; & nunc in vita illa immortali habet; quæ

„consistebat in perfecta illius Sanctitate, Sapientia, „Potentia; & nunc consistit in Divina ejus Natura, „hoc est, immortalitate, juncta cum summo illo in „omnia, quæ ad salutem pertinent, imperio.„ Vide etiam OSTORODUM contra Tradelum p. 131. VOLKELIUM de Relig. Lib. V. Cap. XII. & Lib. III. Cap. I. SCHLICHTINGIUM in Heb. I. 1. pag. 16. Ipsorum institutionem Relig. Cap. V. BLANDRATAM in Disputatione Albanensi, Actione VI. diei.

§. XLVI.

Ad probandum porro Christi ex cœlo ortum, ejusque Omnipræsentiam, urgetur contra ipsos præclarus ille locus, Joh. III. Καὶ ὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν ὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τῦ ὐρανοῦ καταβὰς, ὁ ὑιὸς τῦ ἀνθρώπυ ὁ ὢν ἐν τῷ ὐρανῷ. Plerique Sociniani cum GROTIO eximium huncce locum ita explicant: Ascendere in cœlum, esse arcana Dei perrimari, Prov. XXX. 4. Descendere de cœlo, esse dono Dei concedi, Jac. I. 17. ex alto donari; denique in cœlo esse, significare cœlestia cogitare & sapere, sicut Christianorum πολίτευμα dicatur esse in cœlo, Phil. III. 20. multo magis Christi, qui semper introspiciat Patris intima.

Ad hunc locum excipiunt ENIEDINUS, post SERVETUM Lib. II. de Errorib. Trinit. in initio; SOCINUS contra WICCKUM, Cap. VII. istud esse in Cœlo spirituali modo esse intelligendum, pro cœlestia cogitare & intelligere. SOCINUS vero dicit: *Qui est in Cœlo* posse reddi *Qui erat in Cœlo*: quemadmodum & ab ERASMO & à BEZA & ab aliis annotatum fuerit.

§. XLVII.

Ipse tamen SOCINUS sentiens vim argumenti nostri ex loco citato, absque ullo fundamento

mento commentus est aliam Christi ascensionem in cœlum, post ejus Baptismum; quando nempe tempore quadragesimalis jejunii in cœlum raptus fuerit, ut ibidem de Doctrina hominibus patefacienda instrueretur, unde etiam præsens illud ὢν reddi voluit per Enallagen ἦν *qui erat*, vide *Cat. Racov.* Sect. V. *de Prophetico Jesu Christi munere* Cap. I. pag. 146.

§. XLVIII.

Quum porro ad probandam Christi divinitatem contra ipsos argumentamur à cultu divino Angelo illi fœderis præstito, cum adoratus legitur sub V. T.; hinc est, quod, ut effugium quærant, statuunt, Angelos sub V. T. religiose fuisse adoratos. Faciunt hoc, *tum* ut ne Filius Dei Angelorum princeps fuisse credatur, qui Patriarchis cultus legitur, *tum* ut ne adoratio Servatori Christo, quem pro ψιλῷ ἀνθρώπῳ habent, in N. T. delata Idololatriæ crimine notetur.

§. XLIX.

Impugnata S. S. Triade (§. 30.), illis etiam Spiritus Sancti, quemadmodum Filii, impugnanda fuit Deitas; quem dicunt esse quandam Dei virtutem & efficaciam, Deo naturalem, qua res qualescunque, inprimis autem Christus Jesus, & qui in eum credunt, sanctificentur, sive ut CRELLIUS mentem suam exponit: Spiritus S. & divinus quidam afflatus sive vis, cœlitus hominum pectoribus inspirata: Vis divinitus in homines manans. Proinde, quæ de eo veluti Persona in Verbo Dei affirmantur, non proprie sed figurate & κατὰ προσωποποιΐαν esse intelligenda

Catech. Racov. Sect. 3. de Dei Nat. CAP. I, p. m. 33. quærit: *De Spiritu autem Sancto quid respondes? Spiritus Sanctus nunquam in Scripturis vocatur expresse Deus: quod vero in quibusdam locis ea attribuit ipsi Scriptura, quæ Dei sunt, non eo facit ac si ipse Deus sit, vel persona divinitatis; sed longe aliam ob causam, quemadmodum suo loco audies.*

§. L.

Cum igitur negent summam Mediatoris dignitatem (§. 31.), quæ & ipsius passionibus & intercessionibus addat pretium, cum natura doceat, merum hominem non sufficere tot myriadibus hominum redimendis, nisi aliunde infinitus accedat valor, & è contra unicum in Christo Mediatore humanam agnoscant Naturam; Cumque insuper homo per Religionem illam, quæ nititur naturali hominis peccatoris ad Deum relatione, propriis viribus præstandam salvari possit (§. 18. 20.); Hinc nec fieri potuit, nec opus fuit, ut aliquis pro peccatis nostris satisfaceret.

Dogma de Satisfactione longe difficillimum uti longe momentosissimum est in tota Doctrina Christiana; unde Adversariorum mens paulo distinctius de hac materia exponenda est, ut infra eo melius difficultatibus occurrere, dubiis satisfacere, & totam hanc Doctrinam planam facere possimus. *Catechesis Racoviana* primo intuitu Christi pro peccatis Satisfactionem admittere videtur: Quærit enim Cap. VIII. de morte Christi Quæst. 2. „At cur necesse erat, „Christum tot acerba pati, & tam atrocem mor„tem subire? Christus *primo* Dei Consilio & Volun„tate pro peccatis nostris passus est, & mortem „cruentam tanquam Victima piacularis subiit; *Dein„de* quod ab ipso servandi iisdem afflictionibus &

„morti

„morti ejusmodi plerumque sunt obnoxii. *Quævis* „*porro* : Quæ fuit istius divini Consilii & Voluntatis „ratio, ut Christus pro peccatis nostris pateretur? „*Primo*, ut omnibus peccatoribus hac ratione jus „certissimum fieret; peccatorum remissionis, ipsius„que adeo vitæ æternæ, proinde etiam non dubia „fides. *Secundo*: ut omnes Peccatores ad Christum „incitarentur & traherentur, in hoc & per hunc „solum peccatorum remissionem quærentes, qui pro „iis esset mortuus, &c.„ Quod vero Catechetes una manu largitur, altera iterum abripit, dum quærit: „Nonne etiam ideo Christus est mortuus, ut salu„tem nostram proprie loquendo mereretur, & pec„catorum nostrorum debita proprie itidem loquen„do dissolveret? Etsi nunc vulgo ita Christiani sen„tiant, tamen ea sententia tum fallax est & erro„nea, tum admodum perniciosa, siquidem & sibi „volunt Christum æquivalentes pro peccatis nostris „pœnas persolvisse, & obedientiæ suæ pretio in„obedientiam nostram exacte compensasse; alioquin „dubium nullum est, quin Christus ita Deo obedi„entia sua satisfecerit, ut universam ejus Volunta„tem plenissime compleverit, & omnibus in se cre„dentibus obedientia sua remissionem peccatorum, „& salutem æternam nobis, ex gratia Dei pepererit. „Qua vero ratione ostendis sententiam illam vulga„rem fallacem esse & erroneam? Hac, quod non „solum de ea nihil extet in Scripturis; Verum etiam „Scripturis & sanæ Rationi repugnet. Qui vero „sententia ista Scripturis repugnat? Ad eum mo„dum, quod Scripturæ passim, Deum peccata ho„minibus gratuito remittere testentur: at remissioni „gratuitæ nihil adversatur magis, quam ejusmodi, „qualem volunt, satisfactio, & pretii æqualis solutio. „Cedo, qui istud rationi repugnet? Id quidem hinc „perspicuum est, quod sequeretur, Christum æter„nam mortem subiisse - - - . Si dicas Christi mor„tem, quia is Deus natura infinitus fuerit, infini„tis infinitorum hominum mortibus æqualem fuisse „ - - - sequeretur, ipsam infinitam Dei naturam „mortem subiisse. Deinde sequeretur - - - injustum „fuisse, ut Deus eum tam atrociter excruciari vo-

„luerit, cum una Sanguinis Christi gutta conten-
„tus esse jure posset. Denique consequeretur, nos
„Christo, quam Dei ipsi, devinctiores esse, ac
„plus imo omnia debere &c. Cedo etiam, qui hæc
„opinio est perniciosa? Ad eum modum, quod ho-
„minibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut
„certe ad socordiam in pietate colenda eos invitet.„
Ea ergo Adversariorum mens esse videtur, quod quidem mors Christi necessaria conditio fuerit ad salutem hominibus restituendam, & ad foedus Dei hominibus confirmandum, minime tamen illam ceu caussam meritoriam considerandam esse. Unde CRELLIUS contra GROTIUM Capite VI. pag. 343. aliquam Christi satisfactionem agnoscit: dicens: *Sed alterius generis satisfactionem, quam usus hujus vocis admittat, Socini sententia non tantum non excludit, sed etiam postulat, sive nos respicias, sive Christum. Nam impletio conditionum, quas Deus sive vobis, sive Christo imposuit, quibus intervenientibus peccata nobis reipsa condonare, seu eorum pœnas a nobis aufferre voluit, Satisfactio dici potest. De nobis id docuit Socinus Lib. 3. Cap. 2. Quod ad Christum attinet, idem ex ejus sententia consequitur. Quod si enim satisfacere cuipiam est desiderium ejus implere, ut supra docuimus; Christus, qui desiderium Dei perfectissime implevit, & omnia, quæ salutis nostræ causa ipsi à Deo fuerunt imposita, plene fuit executus, plenissime etiam Deo satisfecit, idque pro nobis, h. e. nostri causa, nostroque summo & sempiterno bono, quamquam non loco & vice nostra*: Hactenus Crellius. His addenda quæ habet SMALCIUS, contra Smiglecium de satisfactione, *in resp. ad præfat.* p. 153. „Ante
„omnia autem, inquit, ob rudes & rerum imperi-
„tiores dicendum est, quid à nobis impugnetur
„Impugnatur autem, non quod Christus omnibus
„illis satisfecerit, quæ illi à Deo ad salutem nostram
„pro-

„procurandam imposita erant: Sed quod Justitiæ „Dei, ob quam nullum peccatum impunitum di„mittere posse creditur, satisfecerit, & iratum De„um propitium reddiderit, eum nobis reconciliarit, „pœnas, quas nos luere debeamus, nostri loco „perpessus & salutem nobis meritus sit, & alia his „similia.„ His addi possunt, quæ habet SOCINUS de Servatore, Parte III. Cap. II. p. 228. item in Prælect, Cap. XVIII. p. 98. Autor *Anymus* Epistolarum *sur la Religion essentielle* totam hanc de satisfactione, sive Christi loco nostri substitutione, doctrinam ridiculam ac exosam reddere conatur; plurima quæ hac de re habet Epist. XIX. hic ut adducamus necesse est, ne aliquid omittamus, quod in Adversariorum gratiam dici, quodque ad illorum sententiam tuendam aliquid conferre potest; ita nimirum Autor hic: „Le salut, dicent les Partisans de l'Ancien Systême, n'a pu être acheté que par le Sang „de Jesus Christ. Le salut, disent les Theologiens „modernes est la recompense des bonnes actions. „Ces Propositions opposées s'acordent en un point. „On y suppose unanimement, que la felicité doit „être achetée, & par consequent vendue; que Dieu „en est le Vendeur, & qu'il ne la donne pas sans „être bien & duement payé. Je me demande à „moi même, ce qui pourroit engager la divinité à „vendre aux hommes la felicité qu'elle leur destine? „Seroit-ce par la même cause qui fait que les „Hommes ne donnent rien pour rien? - - - Trou„verons nous cette Cause dans la Divinité? De „quelle monnoie les hommes la payeront-ils? La „supposerons nous dans le cas de Princes, qui „ne pouvant tirer d'Argent de leurs Sujets pauvres, „se payent de leurs personnes. - - - Encore un coup, „de quoi se payera le souverain Etre? Entendons „là-dessus nos Theologiens? Ils nous disent, que „l'Etre infini n'a pu se payer que par des souffrances „d'un prix infini. Arretons-nous ici un moment. „Se payer par des souffrances! c'est ce que l'on a „peine à concevoir. Les hommes eux mêmes ne „se payent gueres de telle monnoie, excepté ceux, „qu'un Esprit de cruauté ou de vengeance anime.

„Hors de là les Hommes mediocrement humains „n'infligent des peines à d'autres, qu'en vue d'en „retirer quelque avantage, soit pour eux mêmes, „soit pour le public. De quelque façon que je „l'envisage, je ne puis concevoir comment la divi„nité peut être payée, satisfaite par des souffran„ces; & je ne puis assez m'etonner, que durant „tant de Siécles on ait admis cette supposition. „Supposition qui seroi même injurieuse à un homme, „& qui detruit necessairement l'idée de la souverai„ne Perfection. On m'accordera une chose, C'est „qu'une Supposition qui tient lieu de Principe, de„vroit étre batie sur des Verités de la derniére evi„dence. Celle-ci, loin d'être de cette espéce, n'est „fondée, que sur une comparaison & une comparai„son trés imperfaite -- Il est aisé à demontrer. On „applique l'idée de la substitution à deux sortes de su„jets. L'un en est très susceptible, l'autre ne sau„roit l'être. Voici comment. Qu'un homme retien„ne un Prisonnier ou un Esclave dans les fers, & qu'il „consente à le relâcher sous la Condition d'une cer„taine somme, ou si l'on veut, sous la Condition „qu'un autre se fera Esclave à sa place, la chose est „très faisable, & ici la substitution peu-être admi„se sans difficulté. La raison en est claire, c'est que „celui qui retient cet homme en prison, ne de„mande, que de l' Argent ou un Esclave, ainsi il „lui importe peu de quelle part l'un ou l'autre lui „vienne. Mais ou la Substitution ne peut avoir „lieu, pas même d'Homme à homme, c'est à l'e„gard des offenses commises & de Punitions infli„gées. Donnons en un Exemple. Un homme m'a „fait une* offense personelle, je demande qu'il soit „puni; Vous en substituez un autre cela ne me „satisfait point. La raison en est, que je ne puis „être mû à le poursuivre, que par l'un ou l'autre „de ces motifs, ou par un principe de Justice, ou „par des motifs de Vengeance. Il est aisé de prou„ver, que ni la Justice ni la Vengeance ne peuvent „admettre de Substitution, la chose parle de soi„même. Si c'est par Justice, que l'on inflige une „peine, c'est le coupable qui la doit subir. Si c'est

„par

„par le desir de se venger que l'on veut absolument „frapper sur celui qui en est l'objet ; substituez en „quelqu'autre à la place, Vous desarmez l'Homme „le plus irrité. Or s'il est evident, que la substitution „ne peut avoir lieu à titre de reparation d'offense, „pas même d'Homme a Homme, il l'est encore da„vantage, qu'elle ne peut-être de mise par rapport „au souverain Etre, puisqu'on ne peut se flatter de lui „faire prendre le Change. - - - Mais j'oubliois un „point, qui fait partie de ce Systême, & qui ne doit „pas être supprimé. Ce n'est pas uniquement par des „souffrances que Jesus Christ a satisfait la Divinité. „C'est dit-on encore, par une Vie toute remplie de „bonnes Oeuvres, ceci fait partie de la Justice im„putée. Les Hommes, qui se l'appliquent par la foi, „sont reputés, non seulement avoir souffert ce que „J. C. a. souffert, mais encore avoit fait tout ce qu'il „a fait. Oserons-nous encore examiner de près ce „qu'emporte cette supposition ? On a de la peine à „s'y resoudre : on est obligé pour cela d'entrer dans „des precisions, qui repugnent à tout ésprit qui re„specte la divinité, qui la connoit sous l'idée de „l'Etre simple. Cela est evident ; il faudroit suppo„ser la divinite capaple d'imaginer ce qui n'est pas, "& de se satisfaire par cet acte imaginaire. C'est-a„dire, qu'il faudroit supposer du Faux dans le Dieu „de Verité, du contradictoire dans l'Etre simple.

§. LI.

Negant idcirco Christum pro illis solvisse, & peccata nostra esse caussam cur per Spiritum suum æternum humanam naturam ut hostiam piacularem Deo stiterit; negandum igitur ipsis fuit, Christum tanquam magnum domus Dei pontificem *loco* & *vice* seminis electi, constantem atque perfectam obedientiam atque παθηματα sua, secundum Legem æterni pacti præstanda, ideo præstitisse, ut hoc λύτρῳ divinam placaret iram, electorum suorum expiaret peccata, Justitiæ divinæ satisfaceret, & jus impetraret spiritualium bene-

beneficiorum Testamenti gratiæ & vitæ cœlestis; sed dicunt è contra doctrinam hanc de Satisfactione Christi alienam plane esse à Ratione, nec fundatam in Scriptura.

§. LII.

Ut tamen rationem reddant cur Christus Dominus probrosam crucis mortem & dirissima, quæ eam præcesserunt παθήματα sustinuerit, dicunt: Id factum esse α. Ut Doctrinam suam gratiæ, quam ipse Doctor in his terris docuerat, obsignaret & confirmaret.

§. LIII.

β. Ut nobis constantiæ & patientiæ in dirissimis afflictionibus daret exemplum.

§ LIV.

γ. Ut ipse, qui tot mala passus erat atque afflictiones, eo magis commiseratione infirmitatum humanarum tangeretur, pressisque succurreret.

§. LV.

δ. Ut à Deo Patre jus acquireret, omnibus, qui mandatis suis sive doctrinæ Evangelicæ morigeros sese præberent, æternam largiendi vitam.

SOCINUS ea præcipue rationi Christum Servatorem nostrum esse contendit, quod α. Evangelii & salutis Doctrinam annuntiaverit, unde de Servat. Part. I. Cap. II. & Part. II. Cap. II. p. 83. dicit: ut intelligamus, non alia ratione magis partam nobis esse salutem per Christum, quam, quod per ipsam Dei voluntatem in salute nobis conferenda, plenissime assecuti fuerimus, & ipsum Deum quasi præsentem conspexerimus. Cap. XXI. pag. 179. non per satisfactionem divinæ Justitiæ pro peccatis nostris exhibitam, sed per Divinæ Voluntatis declarationem & vitæ

vitæ æternæ supræmeque potestatis adeptionem, nos Christus expiavit. *Altera ratio* est, quod salutis Doctrinam variis modis confirmaverit, confirmasse autem dicitur miraculis & morte, maxime vero Resurrectione, unde SOCINUS Part. I. Cap. III. pag. 23. inquit: *Animadvertere autem oportet, non solum miraculis confirmasse Christum viam salutis, quam annuntiaverat, sed vel maxime sui sanguinis effusione,* pag. 24. *Resurrectio Christi plenissima est Evangelii confirmatio. Sed quid dicam de Jesu Christi resurrectione, per quam potissimum & Calesti atqne ineffabili ratione ea omnia plenissime ac perfectissime confirmata sunt, quæ nobis ille de Cœlo attulit atque annuntiavit.* Pag. 25. Jesum Christum, quia salutis æternæ Viam nobis annuntiaverit & confirmaverit, merito Servatorem nostrum & dici & agnosci debere. His additur Vitæ Christi exemplum, unde SOCINUS de Justif. p. 7. inquit: *Quare ad ipsius Jesu Christi vitæ Exemplum, & à mortuis resurrectionem, quibus in sua ipsius Persona Viam salutis manifeste eum nobis ostendisse, & ob eam rem Servatorem etiam nostrum esse, contendo, excutienda transeamus.* His addunt *Potestatem nos salvandi,* unde SOCINUS Part. II. pag. 179. Non per satisfactionem divinæ Justitiæ pro peccatis nostris exhibitam, sed per divinæ Voluntatis declarationem, & vitæ æternæ supremæque potestatis adeptionem nos Christus expiavit.

§. LVI.

Ut porro rationem dent, quare Christus vocetur *Sponsor*, id nullam aliam ob caussam fieri dicunt, quam, quod nomine Dei ad nos venerit, fœdus nobiscum pepigerit, & promissiones Dei fideliter obedientibus ratas fore spoponderit, atque ita in se susceperit Deum fœderis promissio-

missiones servaturum esse, ut adeo tantummodo sit Sponsor Dei apud homines, non hominum apud Deum.

§. LVII.

Mediatorem autem ipsum vocari dicunt ideo tantum, quia 1. Divinæ apud nos voluntatis fuerit internuntius, fœdusque gratiæ hominibus proposuerit, atque ejus conditiones exposuerit idque nomine Dei cum hominibus iniverit.

§. LVIII.

2. Illam Salutis doctrinam miraculis, sanctimonia vitæ, morte & resurrectione confirmaverit: Unde *Catech. Racov.* Quærenti, *Cur Christo nomen Mediatoris Scriptura tribuit?* Respondere jubet: *Cum Christus appellatur Mediator addita voce fœderis, intelligitur, Christum in novo fœdere pangendo inter Deum & hominem medium fuisse, annuntiando illis perfectam Dei voluntatem, eamque confirmando, & tandem sanguine proprio sanciendo* &c. de morte Christi Sect. VI. Cap. VIII.

SOCINUS de Servat. Part. I. Cap. VII. p. 45. dicit: Covetum deceptum esse, quod Mediatorum vel non dici, qui duos inter se invicem dissidentes componat, & alterum alteri conciliet: vel saltem hanc esse hujus vocabuli præcipuam significationem existimet. Contra dicit: Mediatoris seu τȣ μεσίτȣ nomen in S. Litteris nihil aliud significare, quam eum, qui Medius quidem inter duos sit, hoc est inter Deum & Hominem; non tamen qui Deum iratum homini placat: sed quo Deus ut internuntio atque interprete, ad fœdera sua cum hominibus pangenda & sancienda utatur: & per quem illi ad ipsum, ejus Voluntatis cognitione instructi, accedere possint.

§. LIX.

Servatorem autem ideo eum vocari dicunt; quia *α.* primus attulerit promissionem vitæ æternæ, & viam ad illam assequendam ostenderit.

§. LX.

β. Quia à Deo Patre omnium eorum, quia legibus ejus obsequuntur, servandorum acceperit potestatem, omni lytri exclusio respectu, ab ipso divinæ justitiæ persoluti. Unde SOCINUS Coveti sententiæ suam opponens dicit: *Ego vero Orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annuntiaverit, confirmaverit, in sua ipsius Persona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit.* Disp. de J. C. Serv. p. 1. Cap. I.

§. LXI.

Quia autem statuunt, Christum primum attulisse vitæ æternæ promissionem, atque ad eam viam ostendisse (§. 57. 59.); hinc est quod negant, Patribus V. T. factam fuisse vel promissionem vel spem vitæ æternæ, & fœdus gratiæ, quo Deus credentibus addicit vitam æternam & salutem, quoad essentiam sive substantiam suam, omnibus mundi ætatibus idem fuisse. Sed dicunt promissum vitæ æternæ proprium esse illi fœderi, quod Deus cum homine peccatore post tempora Christi pangit. Patres vero potuisse spem vitæ æternæ concipere non vi fœderis, sed ex divinæ liberalitatis magnificentia, qua cumulate solet justitiæ cultores donare: Unde VOLKELIUS: *Hæc tamen non perinde à nobis disputantur, quasi illos,*

qui

qui olim fide justitiaque vixerunt, vitæ æternæ possessione exclusum iri putemus; eam enim fuit divinæ liberalitatis magnificentia, ut quosdam justitiæ cultores, tum terrenis bonis ex pacto, tum cælestibus ex voluntatis suæ arbitrio cumulare decreverit; & ne de fide sua parum laborare videretur, illos, qui ob pietatis divinæque gloriæ studium, loco felicitatis (scil. terrenæ) tunc promissæ, multis ærumnis atque calamitatibus vexati fuere, in iisdem nobiscum beatis sedibus collocare, & sic plusquam pollicitus erat, illis dare constituerit. Lib. III. *de vera Relig.* Cap. II.

SOCINUS adversus Palæologum Part. IV. pag. 561. „Ex quibus non solum intelligitur, Judæos quidem „existimasse, vitam æternam in Mosis & Propheta„rum Scriptis contineri, id est; eam illis promis„sam fuisse, qui inibi mandata servassent, rem ta„men aliter se habuisse; verum etiam, quid omnino „de Vetere Novoque Fœdere, quod ad vitam æter„nam attinet, statui debeat, facile percipitur, nem„pe Vitam æternam in Vetere fœdere, ut dictum „est, promissam non fuisse nec in illius fœderis „scriptis eam contineri, nisi quatenus in illis olim „promissus, ac prænuntiatus fuit Christus, deque „ipso illa testantur, ad quem hodie ire oportet, si „quis Vitam æternam habere velit. Ad Christum „autem ire, quod Judæi facere nolebant, nihil „aliud est, quam ab ipso velle doceri, & porro illi „confidere eique obedire. Quibus rebus summa to„tius novi fœderis plane continetur." SMALCIUS adversus Franzium. Disp. VII. de bonis operibus p. 22. *Nec enim Christus dicit, in S. Litteris V. T. esse vitam æternam, sed ait, Judæis putare, se habere in iis Vitam æternam. Potest autem quis putare, se aliquid habere, & tamen revera illud non habere.*

§. LXII.

Tertiam Rationem, quare Christus Salvator dica-

dicatur, perhibent esse, quia ipse conditiones fœderis gratiæ afferens, tanquam novus Legislator etiam perfectiorem attulerit legem: h. e. quia fœderatis sub œconomia nova, legem Religionis & charitatis, ratione materiæ perfectiorem Lege antiqui temporis, & speciatim Mosaicâ, præscripserit; & nova spiritualia mandata legibus Veteris Oeconomiæ adjunxerit, de sui abnegatione, tolerantia crucis, Christi imitatione; & sigillatim legem decem præceptorum novis auctariis perfecerit.

§. LXIII.

Addendo primo Præcepto α. præceptum de precibus Deo faciendis. β. Formulam Orationis Christi. γ. De Christo præter summum & æternum Deum religiose colendo & invocando mandatum.

§. LXIV.

Secundo præcepto α. Legem de non adorandis idolis. β. Fugiendo eorum habitationis loco. γ. Et non comedendis Idolothytis.

§. LXV.

Tertio α. De fugiendo levi juramento β. De jurejurando per nomen Christi.

§. LXVI.

De quarto dicunt, illud Christianos nihil attinere.

§. LXVII.

Quinto addidisse, mandatum de obsequio Magistratui & Superioribus reverenter præstando.

§. LXVIII.

Sexto præcepto. α. De dilectione inimico-

 rum.

rum. β. De iræ & vindictæ cupiditate omni exuenda.

§. LXIX.

Septimo α. Alienæ uxoris concupiſcentiam eſſe adulterium. β. Polygamiam & divortium extra caſum adulterii, eſſe illicita. γ. De vitanda ſcortatione, omnique animi, oris, geſtusque impuritate & turpitudine caviſſe.

§. LXX.

Octavo, prohibitionem avaritiæ, & rerum non neceſſariarum cupiditatis adjunxiſſe.

§. LXXI.

Nono, interdictum omnis generis mendacii, calumniæ, vituperii & obtrectationis Proximi.

§. LXXII.

Decimo, Legem de concupiſcentia omni & perfecta & imperfecta, quæ peccandi non tam volitio quam velleitas ſit vitanda.

Catech. Racov. Sect. VI. Cap. I. de Præceptis Chriſti, quæ legi addidit: quærit; *Quænam ſunt perfecta Dei mandata in novo Fœdere comprehenſa? Pars eorum continetur in Præceptis à Moſe traditis, una cum iis, quæ ſunt eis per Chriſtum ejusque Apoſtolos addita; pars vero continetur in iis, quæ ſunt particulariter ab eodem Chriſto, ejusque Apoſtolis præſcripta:* His addenda, quæ toto illo Capite ſequuntur, nec non quæ catecheres capite præcedente de munere Jeſu Chriſti Prophetico habet. SMALCIUS contra Franzium Diſp. IV. de Juſtif. p. 93. At fides, quæ eſt ſub N. T. præter ea, quæ olim à Fidelibus requirebantur, requirit etiam obſervationem eorum quæ partim ad legem ſunt addita, de quo Matth.

V. 6.

V. 6. 7. & alibi, partim tanquam nova prorsus à Christo præcepta, qualia abnegatio sui ipsius, portatio crucis suæ, & imitatio Christi, quorum ne vestigium quidem in lege extat, de quo postea. His addenda, quæ habet SOCINUS de Officio Christi. Them. XXVIII. XXIX. XXX.

§. LXXIII.

Cum autem statuant, Christum perfectiorem attulisse legem, veteremque legem rudiora tantum & externa officia complexam à Christo auctam & profundius esse extensam; hinc negant hominibus Christianis librorum V. T. lectionem serio commendandam esse, tanquam ad Doctrinam veritatis confirmandam, & studium pietatis promovendum utilissimam. Sed contra dicunt: hac œconomia Ecclesiæ sufficere posse, & longe præferendam esse lectionem librorum N. T. quippe perfectiorem continentem Legis Doctrinam.

SOCINUS de Autoritate Script. Cap. I. p. 16. „Quod „vero pertinet ad autoritatem V. T. ea non est hic „magni facienda, nisi prius constet, &c. pag. 36. „Postremo considerandum est (disputet contra quivis) „si recipiatur N. T. non posse ad ipsam Religionis „summam quidquam fere momenti habere, quam„cunque V. Testamenti depravationem, cum nihil „non levis momenti potuerit esse in V. T. quod No„vo non contineatur; nec quidquam illius recipien„dum sit, quod non conveniat cum iis, quæ in hoc „sunt scripta. Adeo ut utilis quidem plures ob „causas sit lectio V. T. iis, qui Novum recipiunt, „id est, hominibus Christianæ Religionis, sed non „tamen necessaria.„ Et contra Dudith: p. 65. 66. *Sane quidem sub Novo Fœdere & illa, quæ in Veteri tradita sunt, creduntur, non quod ea nobis creditu necessaria sint - - - Quin ausim dicere, ut quis vere Christianus audiat, ne ipsius quidem V. T. notitiam ei ullam habere necesse est.*

§. LXXIV.

Cum Sociniani negare non audeant, quod, licet corruptionem nativam non admittant, homines peccatis dediti, immo maxima illorum pars habitum peccandi sibi contraxerit; hinc ad Satisfactionis necessitatem contra illos adstruendam argumentamur à necessitate pœnæ, quæ Justitia Dei vindicativa nititur, cui homo ipsemet satisfacere nequeat, seque ab infinito malo liberare impossibile sit; hinc, cum, uti supta vidimus, negent Satisfactionis & Lytri Christi *Veritatem*, & insuper inficiari non possunt, homines peccatores esse, adeoque pœnam mereri, nullum ipsis effugium superest, quam, ut etiam destruant ejus *Necessitatem*. Unde non tantum Justitiam punientem naturaliter Deo inesse negant, sed nullam prorsus, ne quidem ex Decreto Dei pendentem, Satisfactionis veri nominis necessitatem agnoscunt, Justitiam vindicativam considerantes non tanquam proprietatem Dei essentialem, sed tanquam effectum voluntatis Dei liberum, eoque non justitiam, sed furorem in Scriptura appellari existimant; vide *Catech. Racov.* de morte Christi. Cap. 8. §. 6. SOCINI Prælect. 16. atque hinc Deum, quippe in pœna creditorem, citra injuriam, vel suam, vel alienam, posse remittere de suo jure, posse mitiorem pœnam irrogare, quin prorsus remittere. Justitiam non minus Deo essentialem esse, quam Misericordiam negant.

Doctrinam de Justitia punitiva Deo essentiali quod attinet, tanti illa momenti est, ut Religionis Christianæ fundamentum constituat, dum, ut suo loco ostendimus, sine ea nec Satisfactionis, nec propterea etiam Revelationis, necessitas demonstrari possit. Dum vero Sociniani prius negent, adeoque etiam

veram

veram Necessitatis Revelationis rationem pervertant, neque absolutam Justitiæ hujus punitivæ necessitatem admittere potuerunt. Unde *Catech. Racov.* Sect. VI. de morte Christi Cap. VIII. p. 273. „Etsi enim nos „fatemur, & hinc summa voluptate afficimur, Deum „nostrum esse misericordem, mirum in modum & „justum, tamen eam Misericordiam & Justitiam, „quam adversarii volunt, negamus Deo inesse: cum „altera alteram omnino perimat. Altera enim se- „cundum ipsos requirit, ne Deus ullum peccatum „puniat; altera, ne ullum non puniat. Itaque si „Deo id naturaliter inesset, nullum peccatum puni- „ret, non posset Deus contra naturam suam facere, „ut ullum peccatum puniret: Similiter etiam si Deo „naturaliter inesset, nullum peccatum non punire, „non posset itidem contra suam naturam ullum pec- „catum non punire. Adversus enim ea, quæ Deo „insunt natura, nunquam potest quidquam facere „Deus. Exempli causa, cum Sapientia Deo insit „natura, nunquam contra eam Deus quidquam facit; „verum quæcunque facit, omnia facit sapienter. „Cum autem constet, Deum remittere peccata, & „punire, quando velit, apparet Deo Misericordiam „quæ parcit, & Justitiam quæ perdere jubet, ita „inesse, ut utramque insita naturæ suæ sapientia, „bonitate, sanctitate, & Voluntate moderetur. „ SOCINUS Prælect. Cap. XVI. inquit: „Deum igi- „tur, contra quam nonnulli sentiunt, jure potuisse „nobis peccata nostra condonare, nulla a quoquam „pro ipsis satisfactione accepta, id manifeste pro- „bare videtur, quod peccata nostra nihil aliud sunt, „quam offensæ majestatis divinæ, & debita quædam, „quæ cum Deo contrahimus. Sic enim in S. Litte- „ris appellari solent. Atqui nemo est qui injurias „sibi illatas, debitaque secum contracta, summo „jure condonare & remittere non queat, nulla vera „pro ipsis satisfactione accepta. Igitur, nisi veli- „mus Deo minus concedere, quam hominibus ipsis „concedatur, confitendum omnino est, Deum jure „potuisse nobis peccata nostra ignoscere, nulla pro „ipsis vera satisfactione accepta - - - Neque enim in „Deo ulla justitia est, quæ peccata punire omnino

„jubeat, cui ipse renuntiare non possit.„ Lib. de Servat. Part. I. Cap. I. p. 10. *Potest enim Deus, praesertim cum ipse omnium sit Dominus, de suo jure, quantum velit, dimittere.* Lib. III. Cap. I. Doctrinam hanc recoxit DEMOCRITUS CHRISTIANUS imprimis in *Demonstratione* sua *Evangelica*, ubi id praecipue agit, ut ostendat Deum nonnisi bonitatem suam erga Creaturas patefacere, ut quidquid Deus agat etiam nonnisi huc tendat; infringit deinde ex hac hypothesi DIPPELIUS integram de Christi pro peccatis satisfactione ejusque imputatione Doctrinam, uti suo loco videbimus.

§. LXXV.

Et hinc est, quod, omnem ideam Entis summe perfecti pervertentes, statuant, in Deo esse affectus, & varias voluntatis commotiones.

§. LXXVI.

Et dum ita pervertunt veram sacrificii expiatorii Christi rationem, cui cum beneficiis per ipsum adducendis figurando universus ille Mosaicæ Legis adparatus inserviit; mirum non est, quod rem signatam & antitypum negantes, etiam negent totam illam legem in placitis fuisse typum futurorum bonorum; sed contra perhibeant, in illis verum Dei cultum constitisse, & legales victimas, de quibus in legibus illius fœderis, peccata ignorantiæ sub œconomia illius temporis commissa, proprie & per se expiasse; neque mirum est, quod scotomate Judaico percussi, clarissimas prophetias hominibus applicare etiam post implementum malint, quam agnoscere, Spiritum prophetiæ esse testimonium Jesu.

Ita SOCINUS Part. II. Cap. IX. „Quare, inquit, „cum non omnia sacrificia legis, quamvis pro pec„catis facta, Christi morti, tanquam imago veritati „respondeant, non omnia Christi mortem figurabant, „sed

„sed figura mortis Christi erant tantummodo sacri-„ficia illa, quæ publice, hoc est, pro universo po-„pulo, ipso etiam aliquando summo sacerdote non „excluso, & statis quibusdam temporibus fiebant; „præsertim vero illud, quod semel in Anno summus „sacerdos, in Sancta Sanctorum ingrediens perage-„bat - - - In hoc igitur sacrificio, ut dictum est, „potissimum mors Christi, adeoque ipse Christus, „quatenus Deo pro nobis sacrificavit, adumbratus „fuit. Cap. XII. pag. 132. Præterea quod ad ipsum „sacrificium attinet, quod in eo solemni festo fiebat, „& de quo hic præcipue agitur, dico, illud gra-„viora peccata, quæ adversus divinam legem ex ani-„mi malitia perpetrata essent, non expiasse, neque „pro illis oblatum fuisse; sed pro iis tantum, quæ „ignorantiæ appellari possunt, & pro quibus priva-„torum sacrificia instituta fuerant. Ex quibus verbis „(quidquid iidem illi eruditi Viri dicant) manife-„stum fit, Pontificem illum non pro omnibus pecca-„tis, sed pro ignorantiis, & erroribus ex infirmitate „admissis sacrificasse.„ Et Parte II. Cap. XI „Sa-„crificia tamen non minus pro gravioribus, quam „pro levioribus delictis, instituturum fuisse Deum, „omnino dicendum videtur; si sacrificium nullum „peccatum vere expiasset; sed ut vos dicitis expia-„tionem tantum per Christum olim faciendam ad-„umbrasset, & à satisfactione, quæ pro peccatis „nostris ejus morte peragenda foret, vim omnem „sumsisset - - - Statuendum omnino est, per sacri-„ficia, victimas illas expiatorias, non modo expia-„tiones, quæ sub Novo Fœdere fieri debebant, „adumbratas esse, verum etiam peccata ipsa, pro „quibus offerebantur vere, ea ratione, qua supra „expositum est, expiata fuisse.„ Cap. X. *Similitu-dinem etiam inter legales illas purificationes, & purificationem per Christi sanguinem factam eun-dem auctorem (ad Heb.) agnovisse, nempe, quia non minus per illas, quam per istam, mundatio vere fieret, quamvis rerum diversarum.* Part. II. Cap. X. dicit: *Paulus Act. XIII. 39. ait, in*

Christum credentes justificari ab omnibus, à quibus lex Mosis justificare non poterat; satis indicans, à quibusdam levioribus tantum, ut ipsosmet Judæos, quos alloquebatur, optime novisse ibidem innuit, per Mosis legem justificationem contigisse, sed per Christi fidem omnium etiam gravissimorum delictorum remissionem dari.

§. LXXVII.

Cum porro Sacramenta in hunc præcipue finem sint instituta, ut divinam gratiam, per sacrificium Christi partam, fœderatis obsignarent, & veluti arrhæ & pignora iis essent; Sociniani autem negent rem signatam, scil. quod per Christi obedientiam & sanguinis effusionem, sive per passiones ejus & mortem, omnibus fidelibus parta sit remissio peccatorum & jus ad vitam æternam; hinc illis etiam omnis Sacramentorum usus fuit invertendus; inde est; quod dicant: Ritus illos Symbolicos, quos Sacramenta vocamus, tantum habendos esse pro tesseris & notis externæ Christianismi professionis, adeoque eorum usum esse tantum depingere & significare gratiam, non autem obsignare.

SMALCIUS contra Franzium Disput. III. de Sacram. pag. 372. „Notandum est, inquit, nos ea, quæ „Frantzius commemorat, Sacramenta non ita reji„cere, ut pro rebus sacris ea non habeamus. Quo„modo enim, quod Deum Autorem habet, & quod „ad gloriam suam, vel etiam Populi divini à reli„quis hominibus segregationem, Deus & olim ex„tare voluit, & nunc etiam extare vult, rei sacræ „nomen non mereatur? Sed istam significationem „phaleratam vocabuli Sacramenti, quo aliquid tre„mendum & adorandum tegunt Lutherani cum Pon„tificiis, merito detestamur, ne superstitioni & ido„latriæ fenestra denuo in Christi Ecclesia aperiatur.„

Disp.

Disp. vero V. de Ministerio Ecclesf. p. 158. 159. omnem plane fidei per Sacramentorum Usum confirmationem rejicit, dicens: „Non tam ideo, quod Sa„cramentorum nullam faciant Sacræ Litteræ mentio„nem, quod tamen & ipsum non minimi est mo„menti, quam quod ea, quæ nos ipsi facimus & fa„cere tenemur, fidem in nobis excitare & alere, „valde ineptum esse videatur, cum potius fidei sunt „argumentum.„ Clarius adhuc sese exprimit Disp. IX. de Hypocritis pag. 289. „De efficacia Sacramen„torum non est, quod dicatur; fabulæ enim sunt, „aliquam esse internam efficaciam in baptismo vel „cœna Domini. Cum utraque aliud nihil sunt, „quam externæ hominum actiones, quibus aliquid, „quod in mente ipsorum latet, expressum volunt; „& per Baptismum quidem publicam nominis Christi „professionem. Per cœnam vero Domini solemnem „mortis Christi commemorationem vel annuntiatio„nem„ Contra Smiglecium de satisfactione Cap. IX. pag. 255. *Sacramentum enim, quod vocant baptismi, professio tantum publica nominis Christi est: Cœna vero Domini, mortis Christi commemoratio & annuntiatio.*

§. LXXVIII.

Hinc est, quod de Baptismo, ablutionem peccatorum per sanguinem Jesu Christi significante & obsignante, dicunt, illum eum tantum in usum à Christo Jesu in Ecclesia formanda institutum esse, ut qui ex Judaismo vel Paganismo ad Religionis Christianæ SECTAM se adjungerent, externo Charactere signarentur, atque eo à Judæis carnalibus atque face gentilismi discernerentur; respectu autem illorum qui in Ecclesia Christiana jam plantata nascuntur, censendum esse tanquam ritum indifferentem & non necessarium; qui proinde gratiam Christi nec obsignet nec confirmet, sed in imagine tantum Symbolica figuret & depingat.

α. Sacramentum Baptismi non universale & perpetuum omnibusque Christianis necessarium agnoscunt; ita enim SOCINUS Epist. II. ad Radecium Epist. 127. sententiam suam exprimit: „De Aquæ Baptismo ego ita sentio, eum Ecclesiæ in perpetuum „præscriptum non fuisse, nec unquam, ut illum „acciperent, iis præceptum neque a Christo neque „ab Apostolis fuisse, qui jam ipsi Christo alia quacunque ratione publice nomen dedissent, vel à „primis annis in Christiana disciplina educati atque „instituti essent, - - - Verum, ut ad propositum „revertar, dico, aquæ Baptismum ad Ecclesiam externam hoc tempore instaurandam meo judicio nihil pertinere, remque indifferentem esse. Ad Dudithium Epist. III. pag. 56. Mirum tibi videtur, „affirmare me errorem illum (ut ego quidem censeo) si quis Baptismum unicuique necessarium statuat, æternæ salutis jactura non constare, atque „adeo in vera quoque Ecclesia vigere posse. Adde „quæ habet VOLKELIUS Lib. VI. Cap. X. pag. 656. „Quid vero, inquit, de Aquæ Baptismo dicam? „cum enim is ideo olim adhibitus fuerit, ut Symbolum quoddam publicum extaret, quo illi, qui „in Religione Christiana educati minime fuerant, „sed vel ex Judæis, vel Ethnicis rerum divinarum „ignaris, oriundi erant, in Christianum populum „adscriberentur; evenit, ut tam diu Baptismus ille „valuerit, dum quidem tales homines Christi disciplinam amplecterentur. Postquam vero isti quodammodo defecerunt, & hodie illi fere tantum „Christi nomen profitentur, qui in Christi institutis sunt enutriti; quis non videt, Ecclesiam, nisi „aliud spectet, baptismi istius cæremoniam intermittere, vel certe neminem, qui in Christiana Religione à pueris sit institutus, ad illius Religionem „compellere jure posse? Præsertim cum, qui olim „in eodem fuerunt statu, eos nec ab Apostolis baptizatos esse demonstrari possit.„ β. Adversarii Baptismum ex Sacramentorum N. T. sive rituum, ut vocant, cæremonialium numero excludunt; *Catechesis* quidem *Racoviana*, uno in loco Baptismum ritibus in Ecclesia semper observandis accenset, ita

enim

enim Sect. VI. Cap. IV. de Fractione Panis Sacri quærit; *Expone nunc ea, quæ actus externos Religiosos seu ritus sacros respiciunt? Actus externi religiosi, seu Ritus sacri in Ecclesia Christi, semper usurpati, sunt Baptismus & Fractio panis sacri.* Ita tamen intelligenda sunt hæc verba, ut Catechetes intelligat Baptismi cærimoniam quidem semper in Ecclesia fuisse observatam, licet ad Ritus illos universaliter in Ecclesia observandos non pertineat. Aliter enim VOLKELIUS Lib. IV. Cap. XXII. *Adhuc moralia Christi præcepta fuerunt. Insequitur, ut de Cæremoniis agamus: Unum autem tantummodo datum à Christo nobis est, nimirum Cœnæ ipsius sanctissimæ religiosa celebratio.*

γ. Infantum Baptismum ceu erroneum rejiciunt. Ita enim *Catech. Racov.* Sect. VI. de Baptismo Aquæ Cap. III. pag. 222. „Numquid ad eum Ritum infan„tes pertinent? Siquidem Veteris Apostolicæ Eccle„siæ morem spectes, & finem, in quem hic ritus „fuit ab Apostolis institutus, ad infantes non perti„net; cum in Scripturis nec mandatum, nec exem„plum ullum hac de re habeamus, nec ipsi, ut res „indicat, fidei in Christum, quæ hunc ritum de„bet antecedere, & eorum, quæ per hunc ritum „fiunt, adhuc capaces sint. Quid vero de iis sen„tiendum est, qui infantes baptizant? Non recte „dicis, eos infantes baptizare. Non enim baptizant, „quod sine totius Corporis in aquam immersione & „ablutione fieri nequit: Sed verticetenus tantum „leviter adspergunt; non solum erronée ad Infan„tes traducto hoc ritu, sed etiam in ejusdem er„roris gratiam plane immutato; quem tamen erro„rem adeo inveteratum & pervulgatum, præsertim „circa rem ritualem, Christiana Charitas tolerare „suadet, in iis, qui ceteroquin pie vivunt, & alios „qui huic errori renuntiarunt, non insectentur, do„nec veritas magis magisque patescat.„ Eandem fovent sententiam SOCINUS in Epistola ad Sophiam Siemichoviam pag. 379. & SMALCIUS contra Franzium, Disp. X. p. 321.

§. LXXIX.

Sacram Cœnam autem tantum in *commemorationem* mortis Christi, non vero in *Confirmationem* & *obsignationem* Gratiæ salutisque in Christo esse institutam, adeo ut nulla bona vere & symbolice in ea exhibeantur, sed solummodo ut Christus discipulis suis in figura quasi depingeret, quid sibi brevi post in cruce eventurum sit, & ut Ecclesia sequentium temporum in ipso Symbolo haberet commemorationem quandam summæ Charitatis, qua Christus se tradiderit in mortem.

Catech Racov. Sect. VI. *de Fractione Panis Sacri.* Cap. IV. quærit: „Quis est fractionis Panis ritus? Est „Christi Domini institutum, ut fideles ipsius panem „simul frangant, & comedant, & ex calice bibant, „ipsius commemorandi, seu mortem ipsius annun„tiandi caussa: quod permanere in Adventum ipsius „oportet. Quid ergo est annuntiare mortem Domi„ni? Est ritum hunc obeundo, tantum Christi be„neficium, quod is, pro ineffabili sua erga nos Cha„ritate, corpus suum torqueri & confodi, & sic quo„dammodo frangi, & sanguinem suum fundi passus „sit, celebrare; seu quantum illud sit, quamque no„bis utile ac salutare, hoc ipso facto, ad nominis „ipsius Gloriam, ac perpetuam tantæ rei commemo„rationem solenniter testari. Nonne est alia caussa „potior ob quam ritum hunc Dominus Jesus insti„tuit? Nulla est potior, etiamsi alii dicant, eum „ideo institutum, ut usu ipsius consequamur pecca„torum remissionem, & fidei confirmationem; alii „etiam, ut sit sacrificium pro vivis & mortuis. Quid „vero de his opinionibus statuendum est? Eas subsi„stere non posse. Nam quod ad priorem attinet, cum „is finis ritus istius usurpandus sit, ut beneficium à „Christo nobis præstitum commemoremus seu annun„tiemus, nec ullus alius, præter hunc sit à Christo „indicatus finis, apparet, non eo institutum esse, ut „aliquid illic beneficii aliter, quam quatenus digne „obser-

„observatus pietatis Christianæ pars est, à Christo su„mamus. Præterea quod ad fidei confirmationem at„tinet, tantum abest, ut per ipsum panis & vini „usum fides in nobis confirmetur, ut is qui digne „iis uti velit, de remissione peccatorum ex parte Dei „certus jam esse debeat, quantoque certior est, tanto „dignius eum ritum obire possit.„ Hactenus Catechesis, cui assentiunt VOLKELIUS Lib. IV. Cap. XII. pag. 303. 304. 313. 319. SOCINUS in Parænesi Cap. IV. SMALCIUS contra Franzium Disp. III. de Sacram. pag. 372.

§. LXXX.

Cùm Religio communis, quam Sociniani fingunt, duo habeat capita, quorum prius versatur circa Dei cognitionem, alterum circa cultum Dei (§. 20.), quem dicunt à Ratione dictari, & per naturæ vires ab homine præstari posse; hinc tota de divina Gratia & Salutis consequendæ Medio Doctrina pervertenda fuit.

§. LXXXI.

Et cum propterea omnia negent Mysteria, Christumque considerent tanquam merum hominem, Dei duntaxat Legatum, Ministrum, Interpretem, Internuntium; non Ἀρχηγὸν ἀλλ' Ὄργανον σωτηρίας; & cum homo officia Religionis propriis viribus præstare possit, neque Justitia divina, quæ punitiva dicitur, ita Deo essentialis, ut de ea dispensare nequeat; hinc etiam Satisfactionem Christi pro peccatis inficiantur, atque perhibent, imputationem Justitiæ Christi merum esse commentum, fraude Diaboli inventum, ut per speciem sanctimoniæ vitæ stabiliendæ omnis vera sanctitas convelleretur, existiment (vide Socin. de Servat. Cap. IV. p. 4.); hinc magnus iterum errorum numerus oritur, Justitiam

tiam quippe Dei ignorantes & negantes, propriam exigere coguntur.

§. LXXXII.

Hinc est quod Justitiam Christi in obedientiam præceptorum ejus, & Fidem in persuasionem de consequenda per hanc obedientiam salute commutent; (vide SOCINI Thes. de Justif.) *Fides enim illis est talis assensus doctrinæ Christi adhibitus, ut eum ad rem ipsam applices i. e. Deo per Christum confidas, proinde voluntati illius exequendæ, quo promissa consequaris, totum te tradas.* Ita *Catech. Racov.* Cap. IX. Sect. 6. Quærenti dein loc. cit. quid sit Deo per Christum confidere? Respondet: *Esse Deo ita confidere, ut Christo, quem ille misit & cujus manu cuncta posuit, simul confidamus, ac porro tum promissa ab illo proposita expectemus, tum præcepta ab illo tradita observemus.*

§. LXXXIII.

Cum vero negare non ausint, in peccatorem justitiam inhærentem perfectam non cadere; hinc dicunt, peccata nobis sub Oeconomia gratiæ remitti ex mera Dei gratia, absque interveniente satisfactione, modo in illa Gratia Dei fiduciam ponamus, & in hac fiducia præceptis Evangelicis obsequium præstemus; quod, licet perfectum non sit, à Deo tamen ex gratia per acceptilationem, ac si perfectum esset, censeri; ac proinde hoc sensu fidem proprie & formaliter, non objective & instrumentaliter dici, imputari ad justitiam.

Eam Adversariis mentem esse, quod homo per obedientiam præceptorum Christi coram Deo justificetur è sequentibus clarissimum est. SOCINUS imputationem Justitiæ Christi pro mero commento habet.

Vide

Vide de Servat. Part. IV. Cap. IV. SMALCIUS contra Frantzium Disp. II. de peccato originali pag. 55. ait: *Apage istud somnium acceptionis meriti Christi per fidem.* SOCINUS mentem suam hac de re variis in locis exponit, & primo quidem de Servat. Parte III. Cap. II. pag. 229. „His vero, „inquit, non imputat delicta, quibus sunt obno„xii, si resipiscant; quia deinceps pure & inno„center vivunt. Si in utrisque vitæ puritas & inno„centia quædam causa est, ut Deus illis clemen„ter ac benigne peccata condonet.„ Ita tamen SOCINUS alibi mentem suam exponit, ut dicat: Bona opera non quidem *causam justificationis* esse *impulsivam* & *efficientem*, sed tantum *sine qua non*, dum in Synopsi de justificatione dicit: „Ut autem „cavendum est, ne, ut hodie plerique faciunt, vi„tæ sanctitatem atque innocentiam effectum justifi„cationis nostræ coram Deo esse dicamus, neve il„lam nostræ coram Deo justificationis caussam effi„cientem aut impulsivam esse affirmemus; sed tan„tummodo causam, sine qua eam justificationem „nobis non contingere decrevit Deus.„ Alibi tamen in fragmento de Justif. pag. 55. iis vim & efficaciam tribuit, dicens: *Hæc opera efficaciam habebunt justificandi coram Deo ad Vitam æternam, non quidem ut opera, sed ut fiducia, quæ per Christum in Deo collocetur, & quia Deus pro bonitate sua ita vult.* Ibidem pag. 48. Opera Causam justificationis meritoriam esse negat, dicens: *Quod tamen non eam vim habet, ut à causa Justificationis nostræ, omnia quæcunque Opera, & quocunque modo considerata, excludere velit Apostolus: Sed sensus ipsius est, ut indicavimus, nulla esse opera, quæ tanti sunt, ut propter ipsorum meritum justificari possimus. Quando scilicet nemo est, qui perfectissime atque integerrime per totam vitam ea opera faciat, quæ sive sub V. sive sub N. T. præscripta sunt, id quod tamen omnino requiritur, sive requireretur*

ad

ad hoc, ut per ipsa opera, tanquam ejus rei aliquo modo meritoria, justificatio contingeret. Et pag. 49. „Ubi considerandum interea est, quod „nihilominus merito dici potest, & verissimum est, „dari obedientiam, quæ possit dici causa justifica„tionis nostræ propter Dei promissum, nec tamen „dicendum sit, operum merito tunc justificationem „nobis concedi, quippe quod obedientia ista sub „ipso N. T. si omnia præcepta in eo nobis data „considerentur, non possit dici perfecta, quamvis „Deus pro sua bonitate velit, si ea præditi fueri„mus, nos justificatos pronuntiare. Pag. 60. con„cludit: Jam igitur ex iis, quæ dixi, satis intelli„gere potes, quid ego bonis operibus tribuam, „ejusmodi videlicet operibus, qualia fieri præcepit „Jesus Christus, quæque sub spe æternæ vitæ, ut illi „obediatur, fiunt, cum affirmaverim Deum per ipsa „nos justificare, id est, ea propter Dei bonitatem „& misericordiam, causam esse, ut ipse Deus no„bis peccata nostra ita condonet, ut vitam æter„nam largiatur.„ Sibi ipsi tamen non recte constat SOCINNS, dum operibus mox plus mox minus tribuit; dicit enim l. c pag. 55. Ita ut opera à fide reipsa non distinguantur, tunc Christi fides, quam opera subsequentur; aliud nihil erit, quam ipsi Christo confidere, quod sine dubio,. coram Deo justificandi vim habet, & consequenter Opera ipsa justificant, quatenus executio sunt ac Perfectio, & tanquam forma ipsius fidei Pag. seq addit: „Atque hoc pacto fides, id est Christo confidere, „(qui enim in Christum credit, in ipsum Deum „credit) & opera, id est, obedientia præceptorum „Christi, quæ ut dictum est, executio & perfectio, „ac tanquam forma est ipsius fidei, coram Deo nos „justificat, seu potius, ut magis proprie, atque „ut Scriptura solet loquamur, Deus per illa, ex „illisve nos justificat, sive per illa ex illisve justifi„camur, & consequenter ex Dei gratia ac bonitate, „plurimum valent ad vitam æternam consequendam.„ Imputatio vero Justitiæ Christi ab Adversariis plane rejicitur. Unde SOCINUS Prælect. Cap. XV. „Quærimus igitur utrum in justificatione nostra per „Chri.

„Christum, peccata nostra compensatione seu satis-„factione aliqua deleantur, an vero remissione & „condonatione? Plerique satisfactione interveniente „id fieri arbitrantur; nos vero simplici condona-„tione. Nam quod satisfactionem cum remissione „ea in re conjunctam fuisse asserunt, plane nugato-„rium est.„ Ita de Servat. Parte IV. Cap. I. & II. *Nullo pacto, ut recte dictum, sustineri posse, Christi satisfactionem nobis imputari,* Cap. IV. Christi justitiam nobis imputari merum commentum esse. CAP. V. pag. 267. „Non aliam præterea „imputationem in salute nostra æterna intervenire, „cognoscendum, quam pro justis haberi à Deo, „quicunque ex Christi præscripto ipsi ex animo „obedierint.„ : Nec non Cap. III. asserit: *Perperam dici per Fidem nobis imputari, id est, applicari seu impertiri Christi satisfactionem.* Fidem vero SOCINUS considerat ceu opus, & obedientiam præceptorum illius formam constituere contendit; ita enim in Synopsi de Justif. pag. 8. „Ex ho-„minum vero parte (requiritur) resipiscentia, & Dei „Præceptorum in posterum obedientia, quæ illa fides „est revera, quæ semper hominem Deo acceptum „reddit, & redditura est.„ In notis ad Dialogum „de Justif. pag. 25, ita sese explicat: Fides, qua justifi-„camur, non est credere promissionibus divinis; sed „est ipsi Deo confidere: quod ut fiat, propterea sunt „à Deo proposita promissa, quibus creditis necessario „ipsi Deo confiditur. Et idcirco alicubi videtur, „fidei isti, quod Dei promissa sunt vera, tribui, „quod per eam justificemur; quæ fides, obedientiam „præceptorum Dei, non quidem ut effectum suum, „sed ut suam substantiam & formam continet atque „complectitur. Meminisse enim debemus ejus, quod „supra recta conclusum est, fidem, hanc scilicet, „qua justificamur, Dei obedientiam esse.„ Pag. 15. dicit Nullo modo fieri posse, ut fides in Christum qua justificamur, sit credere, quod per ipsius sanguinis fusionem deleta fuerint peccata nostra, sed formam atque essentiam fidei in Christum esse, ejus præceptis obedire.

§. LXXXIV.

Sicuti autem hominis opera justificationis faciunt caussam, ita ipsi etiam adscribenda fuit conversio; hinc statuunt: etiamsi vires ad ea, quæ Deus ab hominibus exigit, perficienda, in iis supersint exiguæ, nihilominus tamen, ita prostratas non esse, ut statuendum sit, absque præcedente interna animi illuminatione, hominem vocationi Evangelicæ obsequi, & ad Deum se convertere non posse. Quod distincte asserit *Catech. Racov.* de promisso Spiritu S. Hominem autem adjuvari dicunt auxilio, *cum* externo, quod sint promissa & minæ, ex quibus tamen promissa vim habeant longe majorem: Unde etiam, quod sub N. T. promissa sint longe præstantiora, quam sub V. fuerunt, facilius esse dicunt sub N. T. voluntatem Dei facere.

Catech. Racov. Sect. 6. de Prophetico Christi officio pag. 252. Quærit: „Nonne ad credendum Evange„lio, Spiritus Sancti interiori dono opus est? Non. „Nec enim in Scripturis Sacris legimus, cuiquam „id conferri donum, nisi credenti Evangelio. „ Neque aliud Sociniani per Spiritum S. intelligunt, quam ipsum Dei Verbum, sive Evangelii prædicationem, ita enim SOCINUS de Justif. pag. 27. *Non est, ut antea indicavimus, Spiritus S., qui necessario requiritur ad vim & efficaciam verbo Dei conciliandam, quippiam diversum ab ipso verbo: imo verbum ipsum recte annuntiatum, est virtus divina ad salutem; Evangelium enim Christi, ut ait Paulus, Dei virtus est ad salutem omni credenti,* Et de Servat. Part. IV, Cap. XII. pag. 404. asserit: Fidem in Christum non ita Dei Donum esse, ut singulari & interiori quadam virtute divina, cui resisti non possit, in hominum cordibus inscribatur; sed potissimum per externa iis etiam

etiam, qui non credunt, communia in ipsis generari. SMALCIUS contra Franzium, Disp. XII de Causis peccati pag. 441. inquit: „Spiritus S. voce „dicimus, tum ipsum Evangelium, tum promissum „ejusdem singularissimum appellari. Ergo sine Spi„ritu Sancto, in priore significatione accepto, nega„mus, hominem credere & obedire posse Deo. „Hunc autem in posteriore significatione acceptum, „iis, qui jam assensi sunt & obediunt, dari credi„mus.„ Evangelii vero prædicationem solam suffi„cere existimat idem Autor ad fidem in homine exci„tandum; ita enim *de Lib. Arb. Disp.* VIII. pag. 420. „Hoc enim totum, inquit, tam diu verum est, „quamdiu ut supra diximus, non accedit revelatio „Dei, quæ Spiritus illius est. Hac accedente in „homine, jam ita ad voluntatem Dei amplecten„dam & faciendam aptus est, ut antea erat ad alia „Opera bona, quæ externa Frantzius appellat; & „peristam revelationem, vel Spiritus S., ut loqui„tur Frantzius, non potestas vel facultas volendi in „homine excitatur, sed occasio ei datur id volen„di, quod antea velle, quia revelatum non erat, „non poterat. „ Adde huic SCHLICTINGIUM in Disput. pro Socino, contra Meisnerum, de Servo Arbitrio pag. 88. ubi dicit: Hominem (generatim loquendo) audito vel intellecto Dei verbo, sine ulla alia, nedum sola, speciali Spiritus S. operatione posse reipsa se ad Deum convertere, & illius verbo firmiter credere. Pag. 60. Verum si intellectus vel per Spiritum., vel per Dei verbum illuminetur, tum statim homo arbitrio suo vel uti, vel abuti potest, id est, vel credere vel non credere. Et in Heb. IX. pag. 426. dicit: Omnes, quibus Deus gratiam suam offert, credere & obedire possent. *Adminicula* vero *duo* esse statuunt, quibus homo convertitur, internum scilicet & externum: *Catech. Racov.* Sect. 6. de Lib. Arb. Cap. X. pag. 298. *Quidem est auxilium istud divinum? Auxilium* istud divinum *duplex* est: *interius & exterius. Quod vero exterius est? Sunt illa ingentia N. F. promissa & minæ, quorum tamen promissa*

vim habent longe majorem. Quod autem interius? Id nimirum, cum Deus in cordibus fidelium, quod promisit, magis magisque, per Spiritum suum inscribit & obsignat, utque promissi divini peculiari quodam gustu afficiantur facit. Totum vero istud auxilium tandem in propositione promissorum divinorum absolvitur, quod patet ex iis quæ SOCINUS ad objectiones Cuteni observat, dicens: „Homo ipse per se nec seipsum, nec De„um ejusve Voluntatem cognoscere potest, sed ne„cesse est, ut hæc illi Deus aliqua ratione patefa„ciat; quæ patefactio, si plena fuerit, qualis est „in Evangelio, id est, cum Vitæ æternæ promisso, „jam habebit, unde possit vires sumere ipsius „Dei Voluntatem perficiendi. Homo in hac vita „non quidem viribus naturalibus, sed viribus sibi „à Deo per spem Vitæ æternæ sibi ab eo factam „subministratis, potest ejusdem Dei Voluntatem „perficere.„ Ut adeo juxta Socinianos, Spiritus, gratia, auxilium exterius & interius, quod conversionem antecedit, nihil aliud sit quam sola Evangelii revelatio, unde SOCINUS de Servat. Part. IV. Cap. XII. p. 405. aperte dicit: Fidem in Christum non ita Dei Donum esse, ut singulari & interiore quadam virtute divina, cui resisti non possit, in hominum cordibus inscribatur: Sed potissimum per externa quædam iis etiam, qui non credunt, communia, in ipsis generari. Agnoscit vero SOCINUS, Deum etiam extra ordinem singulari & efficaci modo hominum animos commutare & convertere, vide *Prælect.* Cap. V. & *Lib. de Fide & operibus* p. 59.

§. LXXXV.

Præter auxilium externum (§. 84.) homo etiam auxilio interno indiget, quod ipsis est promissorum obsignatio in cordibus obedientium, *Catech. Racov.* Sect. VI. de *Lib. Arb.* Cap. X. vide ad §. antecedentem annotata.

Rege-

§. LXXXVI.

Regenerari etiam ac renovari hominem non aliter existimant, quam quod promissionum efficacia à vitiis ad studium virtutum traducatur, ita enim VOLKELIUS de vera Relig. Lib. IV. Cap. 4. de pœnit. *Ea enim Evangelicæ disciplinæ vis est, ut promissorum amplitudine vitia ex hominum animis extrahat radicitus, eosque totos ad pietatis studium traducat.*

§. LXXXVII.

Quoniam vero docent, hominem justificari ex operibus, & absque efficacia Spiritus S. ad Deum se convertere posse, bonaque præstare opera; proximum fuit statuere, in homine etiam post Adami lapsum Liberi Arbitrii ad bonum sese determinandi & illud efficiendi vires, atque potentiam ad Deo credendum & obediendum superesse.

Catechesis Racov. Lib. VI. Cap. X. *de libero Arbitrio* pag. 293. ita habet: *Estne id situm in nostra potestate, ut ad eum modum Deo obtemperemus? Est accedente Divino auxilio, & filiali illo Spiritu, de quo diximus: Etenim certum est, primum hominem ita à Deo conditum fuisse, ut libero arbitrio præditus esset; nec vero ulla caussa subest, cur Deus post ejus lapsum illum eo privarit; ac neque æquitas ac justitia, seu rectitudo Dei permittit, ut hominem recte agendi voluntate ac facultate privet, præsertim cum post illud tempus nihilominus ut recta velit & agat, ab eo sub comminatione pœnæ exigat: nec etiam inter pœnas, quibus Adæ peccatum punivit Deus, ejusmodi pœnæ ulla mentio extat.*

§. LXXXVIII.

Hoc autem asserere non possunt, nisi nativam corruptionem & labem naturæ, sive hæreditariam, quæ vulgo peccatum originale dicitur inhærens, ex peccato primo ortum, & in omnes Adami posteros naturali progeneratione propagatum, quatenus scil. primum illud peccatum à Protoplastis in Paradiso commissum illos ex statu moralis rectitudinis dejecit, concupiscentiæ habitualis imperio subjecit, & eatenus eorum naturam, atque dimanando in omnes ipsorum posteros, universum genus humanum corrupit) negent, statuendo homines ex imitatione tantum peccare: Unde SOCINUS Cap. V. prælect. Theol. ita tandem concludit: *In homine etiam post Adami lapsum liberum arbitrium esse, nec vim hanc naturalem ex eo tempore imminutam esse, nisi quatenus homines, sæpius peccando peccandi habitum contraxere & seipsos corrupere:* postquam antea dixerat: *Quia in plerisque hominibus*, non quidem propter Adami peccatum, sed quia paulatim degenerarunt & seipsos corruperunt, innata est quodammodo magna ad peccandum proclivitas, ideo in plerisque hominibus naturaliter esse exiguas vires ad ea præstanda, quæ Dei lex jubet; & *Catech. Racov.* Sect. VI. Cap. 10. certum est primum hominem ita à Deo conditum fuisse, ut libero Arbitrio præditus esset, nec vero caussa ulla subest, cur Deus illum post ejus lapsum eo privarit &c. deinde objicienti, nonne peccato Originis hoc liberum Arbitrium vitiatum est? Respondet: Certum est, per Adami lapsum haudquaquam hominis naturam ita vitiatam esse, ut in iis quæ Deus ab ipso, idque sub pœnæ com-

comminatione, aut præmii pollicitatione requirit, obediendi vel non obediendi Deo, libertate & arbitrio privatus sit. Neque aliter se rem habere ullo Scripturæ dicto doceri potest, cum innumera sint illius dicta, quæ contrarium Sole clarius demonstrent. Et lapsus Adæ, cum unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami, multo minus posterorum ipsius posset, habere non potuit. . . . Non negamus tamen assiduitate peccandi naturam hominum labe quadam & ad peccandum nimia proclivitate infectum esse; sed eam vel peccatum per se esse, vel talem esse negamus.

§. LXXXIX.

Eodem plane proposito negant peccati primi *imputationem*, propter quam omnes Adami posteri vocantur filii iræ; sed contra nullam aliam ejus agnoscunt imputationem, præter moriendi omnimodam necessitatem, non quidem ex ipsius delicti vi, sed quia, cum jam homo natura mortalis sit, ob delictum illud suæ naturali mortalitati à Deo relictus sit.

Catech. Racov. Sect. VI. de *Libero Arb.* Cap. X. pag. 297. „At Paulus Rom. V. 12. ait: in Adamo omnes „peccasse? Non habetur eo loco, in Adamo omnes „peccasse, cum nec verborum ordo, Adamo longe „ante nominato, & in proxime præcedentibus non „subaudiendo, nec particula Græca ἐπὶ, qua Paulus „utitur, eam interpretationem ferat. Quare verba „illa, quæ nonnulli interpretes reddunt, *in quo*, red„di debent, ut à quibusdam etiam factum est, *qua„tenus* vel *quoniam* aut *eo quod*, ut è locis similibus „Rom. VIII. 3. 2. Cor. V. 4. Heb. II. 18. videre est: „ita ut Paulus dicat, mortem in homines transiisse, „quoniam vel quatenus omnes peccaverunt. Loqui„tur autem omnino de peccato actuali, ut indicant

 „sequen-

„sequentia, cum ait: Usque ad Legem enim pecca-
„tum erat in mundo, peccatum autem non impu-
tatur, non existente Lege. Hæc enim verba osten-
„dunt, intelligi peccatum Lege prohibitum, quale
„Originale istud peccatum non est, sed actuale.

§. XC.

Cuivis nunc facile patet, quare negent, mortem esse pœnam peccati; cum enim peccati primi gravitatem & imputationem negent, hinc ipsis etiam neganda fuit pœna peccati; ideo mortem considerant tanquam sequelam naturæ, non vero tanquam pœnam peccati; unde SOCINUS de statu primorum hominum Cap. X. & de Serv. Cap. VIII. asserit: Tametsi omnes ab Adamo prognati morti perpetuæ sint obnoxii, id non ideo fieri, quod ipsis Adami delictum imputetur; sed quia ab eo progeniti, qui morti perpetuæ divino decreto fuit addictus: putans benignissimo Deo satis fuisse, id quod jam naturale erat necessarium efficere,; uti in respons. ad defens. Franc. Puccii Cap. X. loquitur.

Argumentum capitis primi prælectionum SOCINI hoc est: *Primus homo etiam ante lapsum natura mortalis fuit.* Et contra Puccium Cap. V. pag. 122. sic proponit: Utrum primus homo, antequam delinqueret, immortalis esset nec ne? Quæstio vero ita proponi deberet; num homo moriturus fuisset ante peccatum? Sive an mors à natura, an vero à peccato proficiscatur? Non enim de mortalitate aut immortalitate quæritur, sive an per hominis naturam possibile fuerit ut mori potuisset; quæstio enim hæc est, an ab hominis natura, prout ea à Deo creata fuit, necessaria mortis caussa fluxerit? Vide HOORNBECKII Socinianismi confutati Lib III de Creatione Cap. IV. Tom. I. pag 586. Nos ut controversiæ cardinem ostendamus, affirmamus, naturalem & qualis nunc est nostra, & communem mortem esse peccati stipendium;

dium, Sociniani id negant, ita SOCINUS adversus Riccium pag. 10. respondens ad locum Genes. III. 17. Vides inquit, mortis non tanquam pœnæ mentionem fieri - - - nec tanquam aliquid pristinæ ejus Naturæ vel contrarium, vel etiam dissimile. Et pag. 195. dicit, mortem ipsam vere non peccati pœnam fuisse, „VOLKELIUS Lib. III. Cap. XI. pag. 66. Has ne„gationis affert rationes: Ex iis, inquit, quæ hactenus „a nobis disputata sunt, aperte colligitur, non solum „in magno errore illos versari, sed in Christum etiam „injurios esse, qui primos parentes nostros immortales „creatos fuisse contendunt. Hunc enim primum, ut „satis jam demonstratum est, immortalitatis, & præ„conem & datorem Deus esse voluit. Quæ quidem „laus ei detrahitur, ipsumque immortalitatis bonum „valde extenuatur, si antequam Christus & nascere„tur, & muneris sui officium susciperet, hominem „jam in ipso mundi primordio, natura immortalem „extitisse affirmatur. Eidem assentit SMALCIUS de „Divinit. Christi, Cap. VII. pag. 25.

§. XCI.

Ut porro Adami peccatum in præsidium liberi arbitrii extenuent, & per consequens etiam satisfactionis necessitatem eo melius excludere possint, statuunt, non quemlibet actum vitiosum, sed solum peccandi habitum & consuetudinem, eamque non omnem cœlo excludere, inde etiam peccata in venialia & mortalia dividunt.

§. XCII.

Ut mentem eorum circa hunc Articulum eo melius intelligamus, VOLKELII verba, quibus sententiam Socinianorum exponit, audiamus, qui de vera Relig. I. 4. c. 23. ita loquitur: *Illa (venialia peccata intellige) dicuntur quibus Deus æternæ mortis pœnam non constituit, adeo ut vita æterna per se neminem privent; Ea vero vel in uno actu con-*

sistunt vel habitum quidem complectuntur non tamen ejusmodi, qui Religionis pietatisque naturæ prorsus adversetur, nempe quia aliquid tantum indecori, non autem veram turpitudinem in se continent, ac præterea, non data opera, sed vel naturali quadam inclinatione, vel quacunque alia virium humanarum fragilitate, ob quam, occasionibus invitantibus, difficulter resisti queat, committuntur. . . . Hæc (mortalia scil.) vero talia esse dicit, quibus mortis æternæ pœna à Deo est constituta, licet interim fieri possit, ut quibusdam ex iis, non quidem per se, sed per accidens, venia tribuatur, quatenus nimirum homines illis polluti vere resipiscunt.

§. XCIII.

Ut porro in patrocinium liberi arbitrii peccatum Originale elevent, & ne posteris Adami ratione virium naturalium quicquam, quo Adamus integer gavisus est, deesse concedendum sit; negant hominem ante lapsum habuisse justitiam aliquam originalem, & imaginem Dei constitisse in virtutibus moralibus, sapientia intellectus & justitia voluntatis, rectitudine indolis, moderamine affectuum &c. E contra contendunt, ipsum creatum esse in statu puræ naturæ, quem vocant, h. e. absque ullis virtutum vel vitiorum habitibus, itaque imaginem Dei in prima creatione nonnisi esse imperium in omnes res conspicuas, includens rationem & mentem, unde SOCINUS concludit, nullum, inproprie etiam loquendo, peccatum Originale esse.

SOCINUS Prælect. Cap. III. pag. 8. inquit: „Dei „imago & similitudo, ad quam conditus est homo, „ne in ipsa quidem mente ac ratione, unde omnis „justitia in illum derivari poterat, præcipue consi„stit, sed in Dominatu rerum omnium, præsertim „infe-

„inferiorum, sex illis diebus à Deo creatarum.„ Sic VOLKELIUS Lib. II. de Religione Sociniana Cap. VI. pag. 9. „Quæ quidem, dicit, in eo con„sistit, quod eum Deus non solum ratione atque „intelligentia præditum esse; Sed Dominatu etiam „suo omnes naturas inferiores, sive in terris sive in „aquis, sive denique in aëre degentes complecti, & „ita divini imperii similitudinem gerere voluerit: „id quod ex ratione, tanquam causa efficiente, pro„fluit, eaque nititur. Quæ quidem res, quo pateat „illustrius, hominis tum mentem ratione præditam, „tum dignitatem atque imperium, qua Dei imago „potissimum continetur, attentius paulo considera„bimus. Huic adde OSTORODUM instit. Cap. XXXIV. pag. 267. Uti vero Adversarii Dominium in primo homine imaginem Divinam constituisse asserunt, ita justitiam excludunt, unde SOCINUS Prælect. Cap. III. pag. 8. dicit: „Concludimus igitur, „Adamum etiam, antequam mandatum illud Dei trans„grederetur, revera justum non fuisse, cum nec im„peccabilis esset; nec ullam peccandi occasionem „habuisset: vel certe justum eum fuisse affirmari „non posse, cum nullo modo constet, eum ulla „ratione à peccando abstinuisse. At recto liberi „Arbitrii usu eam acquirere potuisse Adamum asserit „SOCINUS pag 9. dicens: Quare non potuit eam „homo in creatione nancisci: sed si libero Arbitrio „liberaque voluntate, qua præditus erat, recte usus „fuisset, eam adeptus esset. SMALCIUS contra „Frantzium Disputat. II. pag. 44. dicit: Istam sapien„tiam rerum divinarum & sanctimoniam, quam „Adamo ante lapsum tribuit Frantzius una cum aliis, „Ideam quandam esse in cerebro ipsorum natam, „de qua ne γρῦ quidem in S. Litteris. Simplicitas „& innocentia si tribuatur Adamo ante lapsum satis „superque esse. Et contra Smiglecium de Dei Filio „Cap. VII. pag. 59. dicit: Foetidam & veterem „Fabulam esse, statuere, hominem primum in sua „creatione tam sanctitatem, quam alia dona super„naturalia habuisse. Et pag. 62. unde tamen videre „est, magnam quidem fuisse hominis præstantiam, „quatenus eum Deum ratione præ aliis omnibus Crea-

„turis

„turis donavit, & Dominum operum suorum con-
„stituit; at - sanctitatem illi in Creatione donatam,
„vel dona supernaturalia concessa fuisse, nonnisi im-
„perite affirmatur.

§. XCIV.

Negata originali Sapientia & Sanctitate in primo homine, etiam negandæ fuerunt ejus reliquiæ, cognitio illa Dei naturalis & communes notiones, quæ omnibus, quotquot sunt, hominibus sunt insitæ, ex quibus vel absque revelatione indubitato colligere & certo scire possunt, esse Deum ens summe perfectum, atque cognoscere quid justum sit, quid injustum &c. Errore eo detestabiliore, quod omnis certitudinis, in scientiis, & moralitatis in caussa Religionis fundamenta labefactat & scepticismo viam aperit; de eo vide SOCINUM Prælect. c. 2. & CRELLIUM Lib. de Deo ejusque attributis Cap. 2.

Hic minime consentiunt SOCINUS, SMALCIUS, & CRELLIUS, *Prior* Cognitionem Dei naturalem aperte negat, *posteriores* eam asserere videntur. SOCINUS Prælectionum Cap. II. probare contendit, falsum esse, quod homini naturaliter, ejusque animo insita sit Divinitatis alicujus opinio. Et in Libello de Auctoritate Scripturæ, editionis Racovianæ, Anno 1611. Cap. II. pag. 46. ita loquitur: „Nam cum „Religio res naturalis nequaquam sit (alioqui non „invenirentur Nationes omni prorsus Religione ca„rentes, quales nostra ætate quibusdam in locis in„ventæ sunt, ac nominatim in Regione Bresilia, „quemadmodum testantur Scriptores digni quibus ha„beatur fides, mihique constanter affirmavit Pisto„riensis quidam Monachus Franciscanus concionator „ex iis, quos Capucinos vulgo vocant, homo hone„sto loco natus, prudens admodum ac cordatus, qui „in ea regione fuerat) cum, inquam, Religio ne„quaquam res naturalis sit, sed si vera est, pate„factio sit quædam divina; „ Sic etiam OSTORODUS

DUS in instit. pag. 110. asserit, quod homines de Deo aliquid sciunt, id eos non habere ex natura, neque ex consideratione Creationis; sed ex auditu, quoniam ab initio Deus se hominibus manifestavit. Hisce ex parte tantum accinit CONR. VORSTIUS in notis ad Disp. de Deo pag. 148. „Cœterum, in„quit, quod notitiam Dei quandam naturalem su„pra vocavimus, id dextre volumus intelligi. Non „enim existimamus innatam esse nobis aliquam Dei „notitiam: quum proprie loquendo, nullius rei „cognitio homini videatur innasci: sed universa, „suo demum tempore, per sensum & intellectus „operationem acquiri. Hactenus tamen ita vocari „potest, quatenus ope & præsidio solius naturæ h. „e. rationis naturalis, & hinc exstructæ Philosophiæ, „homines hucusque pervenire possunt, ut saltem, „Deum aliquem esse suspicentur: quippe quod na„turali rationi valde consentaneum est.„ SMALCIUS vero contra Frantzium Disp. IIX. de libero Arb. à SOCINO plana dissentire videtur, dicens: „Nam præter Revelationem divinam, datur etiam „cognitio eorum, quæ ad Dei voluntatem perti„nent, ex ipsa Naturæ & rectæ rationis, luce, quæ „etiam non sit par ei, quæ per Revelationem con„tingit, non est tamen per se mala, sed igniculus „quidam flammæ istius ingentis, revelationis scili„cet.„ Et CRELLIUS Lib. de Deo & Attributis Cap. II. ita sententiam suam exponit: „Postquam „universam rerum naturam in divinitatis testimonium „advocavimus; sequitur, ut ea, quæ in humanis „rebus cernuntur, ejusdem rei documenta videa„mus. Sumemus autem non ea, quæ hominis na„turam constituunt, de quibus superius diximus; „sed ea, ad quæ hominum vel naturalis instinctus, „vel mens evidentibus rationibus nixa, vel superior „aliqua causa ducit.

§. XCV.

Sed errandi nondum est finis; circa Decreta Dei enim Pelagianorum errores non tantum admittunt, sed pessime præterea incrustant; statuen-

tuentes illa liberum arbitrium evertere, dependentiamque creaturæ in agendo ejus libertati efficere; hinc corruptis hominis viribus toti faventes Deum in intelligendo & decernendo à creatura rationali dependentem faciunt; unde ipsam futurarum actionum liberarum & contingentium infallibilem in Deo præscientiam negant, existimantes, certitudinem futuritionis, quæ inde fluit, contrariari libertati actionum & contingentiæ rerum.

§. XCVI.

Inde est quod doceant α. Deum ante conditum mundum nil de personis salvandis, sed solummodo de conditione salutis aut condemnationis decrevisse, Deum autem hominem demum eligere, quando conditiones, i. e. fidem & obedientiam actu præstiterit.

SOCINUS Prælect. Cap. XIII. pag. 70. „Nec alia, „inquit, sane Ratione explicandi sunt omnes ii loci, „in quibus de divino eoque antiquissimo quorundam „hominum servandorum Decreto agitur, nempe, „ut non certi quidam homines nominatim intelli„gantur, sed genus quoddam hominum. Pag. 61. „Quia Deus ante mundi jacta fundamenta, per „Christum Jesum & Judæos & Gentes ad æternam „vitam vocare decreverat, eaque illos donare, qui „ipsum dilexissent, id est ipsius Dei mandata con„servassent, propterea ii, qui Jesu Christo per Apo„stolos suos vocanti paruerant, & qui divina præ„cepta exequi non recusaverant, & prædestinati à „Deo in adoptionem filiorum, & prædestinata ab „eodem, ut essent conformes imagini filii ejus, imme„rito dicuntur: quamvis nec nominatim unusquisque „eorum antea iis rebus destinati essent; & fieri „posset, ut illi in ejusmodi obedientia & dilectio„ne non perstarent, ob eamque rem destinatio ista „ex ipsorum parte irrita redditur.„ SCHLICTINGIUS de Prædestinatione contra Meisnerum ita suo-

rum describit sententiam, dicens: „Meisnerum eam „non recte proponere. Nec enim, inquit, nos di„cimus, Deum certa individua ab æterno præde„stinasse ad Vitam, certa reprobasse, idque ideo, „quod illa quidem pie victura, & libero Arbitrio „recte usura, hæc vero non usura præviderit, „Utrumque istorum, & prædestinationem reproba„tionemque in singulari seu individuo factam, & „præsensionem istam, utpote utramque pietatis stu„dio infestam, & S. L. contrariam rejicimus. Sed „id tantum asserimus, Deum eos omnes, quicun„que ipsius præceptis pro virili ad finem usque pa„ruerint, ad Vitam æternam prædestinasse, eos ve„ro, qui non paruerint reprobasse. Ut vero quis„piam hac ratione obediat vel non obediat, cuique „liberum esse dicimus, nec quempiam à Deo, an„tequam esset, vel prædestinatum, vel etiam infal„libiliter prævisum ad obedientiam vel inobedien„tiam esse contendimus. Itaque Electio & Repro„batio in genere prorsus est certa & immutabilis: „in individuo autem mutabilis est, utpote cum ex „Electorum, vel etiam ex reproborum numero esse, „cuique à Deo liberum sit relictum.

§. XCVII.

Cum vero homo in singula momenta sit mutabilis, & fides in homine deficere possit; propterea decretum electionis & reprobationis demum absolutum, peremtorium & immutabile fieri post finalem resipiscentiam vel impœnitentiam: Voluntaria enim à fide & obedientia defectione irritum reddi posse perhibent; ; *Catech. Racov.* Cap. X. Sect. 6. SOCIN. Prælect. Cap. VI.

Ea nobis circa hunc Articulum mens est, quod fideles nolint à vera fide deficere, non enim quæritur, an possint, si velint? Sed potius an nunquam possint velle? SMALCIUS *Refut. libri, de Erroribus nov. Arrianorum* Lib. I. Cap. I. pag. 7. dicit: „Ut omni„bus liberum est credere, qui antea fuerunt infi„deles, cum eis datur ad credendum Occasio: ita

„vicissim

„vicissim omnibus liberum est, postquam semel cre„diderint, à fide deficere.„ Nos proprie non negamus ipsis liberum esse deficere, sed negamus eos unquam velle vel posse velle. At Sociniani statuunt, Deum sæpe permittere, ut veri fideles prorsus deficiant, neque Perseverantiam necessario cum fide conjunctam esse asserunt; Ita enim SOCINUS Prælect. Cap. XIII. pag. 61. „Et fieri potest, inquit, ut „illi, scilicet fideles, in ejusmodi obedientia & di„lectione non perstarent. In 1. Joh. II. pag. 110. „Ex hoc loco valde multi colligunt, fiere non posse, „ut quis semel veram fidem in Christum habeat; „& sic vere Christianus sit, & postea esse desinat; „quamvis hoc manifeste pugnet & cum ipsa ratione, „& cum non paucis locis sacrarum litterarum.„ SMALCIUS *in Refut. de divin Verbi incarn. Nat.* Cap. VII. pag. 32. „Possunt enim fideles mutari, & „deficere, & ita perdere quod ipsis erat destinatum. „Et *Homil. VII. in Cap. I. Joh. pag 78.* quantumvis „enim aliquis mutatam habeat mentem & volunta„tem suam, morti tamen obnoxius est, & istud to„tum, propter quod filius Dei erat, amittere po„test. SCHLICHTINGIUS *contra Meisnerum* „*de Duab. Quæst.* pag. 30. id est, generatim loquen„do, neminem sic nominatim eligi, quin perire „possit; & vicissim neminem sic nominatim repro„bari, quin servari possit, si ille credere desinat; „hic incipiat. Hoc dogma quo nihil verius, & ad „pietatem promovendam accommodatius esse potest, „Meisnerus erroneum esse dicit, & scripturis con„trarium.

§. XCVIII.

Inde nata distinctio in *Decreta absoluta & conditionata peremtoria & non peremtoria*, ita enim CRELLIUS Lib. de Deo Cap. 32. pag. 331. *Vel enim simpliciter & absolute aliquid decernit Deus, vel sub conditione, simpliciter olim decrevit Deus, Mundum condere & gubernare, at non sine conditione decrevit servare homines, sed si crediderint... priora semper ad exitum deducuntur, & irrita fieri nullo modo*

modo possunt, posteriora vero non semper ad exitum perducuntur, quia cessare potest conditio illis asserta vel opposita, quam cessare potest conditio illis asserta vel opposita, quam Deus ex creaturarum arbitrio pendere voluit.

CRELLIUS l. c. pag. 339. „Etsi enim vulgo arbi„trentur, Decreta Dei temporis differentiam non „admittere, sed omnia ab æterno facta esse: tamen „ne ea nunc repetamus, qui hinc inde sunt à „nobis dicta, ad hanc sententiam refutandam per„tinentia; id solum ad eam convellendam sufficere„ret &c. & pag. 40. Non ergò eodem tempore „omnia in Deo existunt, adeoque nec ab omni „æternitate simul extitere. Quare possumus ita Dei „decreta distinguere, ut alia dicantur ante condi„tum mundum esse facta, ut de mundo ipso con„dendo, conservando, regendo, decretum de sa„lute nobis per Christum offerenda, & reipsa præ„standa; & si quæ his sunt conjuncta: alia post „conditum mundum, diversis iterum temporum „articulis, prout rerum ipsarum ratio, aut præstan„tia postulare visa fuit.„ Decreta enim nonnisi ab hominis voluntate pendent, unde VOLKELIUS, Lib. V. Cap. XVII. pag. 536. „Nemo enim reipsa „à Deo electus dicitur, nisi consensu ipsius, aut „factum aliquod à libera ipsius Voluntate profe„fectum, accesserit; adeo ut electio ista ex absolu„ta solius Dei Voluntate & Decreto non pendeat, „nec ad effectum, nisi nobis ita volentibus, per„ducatur.„ CRELLIUS pag. 342. „Prædestinatio „enim, ut & ipsa vox quodammodo indicat, fidem „ac pietatem hominum antecessit, electio eam de„mum consequitur; atque adeo illa ante condi„tum mundum facta est, hæc variis fit temporibus, „prout & ipsi homines non eodem tempore cre„dunt ac pie vivunt, Ad illam nullis hominum non „tantum meritis, sed ne ullis quidem meritis „operum, sed operibus tamen ex fide manantibus „impellitur.

§. XCIX.

Cum ita absolutam decretorum æternitatem negent, & quædam eorum post conditum mundum in tempore demum, sive diversis temporum articulis, prout rerum ratio vel præstantia postulare videtur, fieri statuant; decreta autem nihil aliud sint, quam Voluntas Dei decernens; hinc ad tuendum huncce errorem ipsis etiam asserendum fuit (qui error etiam illi favet, quo creationem Angelorum mundum præcessisse censent) divinæ existentiæ atque æternitatis durationem admittere mutationem & successionem præteriti & futuri, sive differentias temporum; cujusmodi successio & mutatio in duratione omnium etiam creatorum observatur.

SOCINUS Prælect. Cap. VIII. pag. 25. ita sententiam suam proponit: Tempus enim æternum est, „quicquid Theologi nostri contra disputent, semperque & fuit & futurum est, ut & præteritum aliquid, & præsens & futurum sit. Nec vero in Mundi creatione, ut ipsi arbitrantur, tempus „primum extitit, sed tantummodo temporis mensura quædam. Neque enim dies & noctes, ipseque universus Cœlorum & solis reliquorumque astrorum cursus ipsum tempus sunt, ipsumve efficiunt, sed illud metiuntur tantum atque distinguunt. „Quamobrem ipsius quoque Dei respectu aliquid „præteritum, aliquid vero præsens, aliquid etiam „futurum est. „CRELLIUS de Deo & attributis Cap. XVIII. p. 122. „Accedunt alia S. Scripturæ testimonia, in quibus æternitas Dei veluti per partes exprimitur. Partes autem illius vel duæ constituuntur: altera quæ antegressa est; altera quæ „consequitur, & fine fine duratura est: vel tres, „pro triplici temporum differentia. Et interdum quidem tota Dei æternitas ita describitur, ut vel duæ, „vel tres illius partes eodem loco exprimantur: „nonnunquam vero partes ipsius separatim, seu locis „diver-

„diversis commemorentur. Duæ illius partes simul „exprimuntur in illo Psalmi loco; Priusquam mon„tes fierent, aut formaretur Terra & usque in secu„lum tu es Deus. Tres autem in Apocalypsi, ubi „ita Deus describitur, ut dicatur, is qui est &c. „Pag. 127. Non potest autem nobis eorum probari „subtilitas, qui æternitatem Dei, omnia quæ unquam „extiterunt temporum spatia complectentem, in „unius puncti seu momenti angustias cogunt. Indi„visibilem enim eam esse statuunt, nihilque in ea „prius, nihil esse posterius.

§. C.

Cum autem Decretorum quædam sint mutabilia & accidentalia (§. 98.), i. e. à libera & independente creaturarum rationalium determinatione dependentia; hinc mirum non est, quod dicant: Decreta divina, consequenter etiam Dei scientiam, ipsi inesse per modum accidentis, sive actus divinæ voluntatis ab ipsa essentia divina distinctos.

CRELLIUS *Lib. Deo & Attrib.* Cap. XXXII. pag. 348. „Imo vero qui talia, qualia nos decreta Dei „esse volumus, accidentia in Deum cadere posse „negat, is, si vim sententiæ spectes, eum esse De„um negat. Quandoquidem liberam illi voluntatem, „ac porro imperium quoque, ob quod imprimis Deus „dicitur, eripit. Si enim libera Deus voluntate „præditus est, potest aliquid apud se statuere, quod „poterat etiam non statuere. Actus ergo ille decer„nendi in ipso existens accidens erit, siquidem acci„dens id omne est, quod ita alicui inest, ut possit „etiam abesse, circa subjecti corruptionem.

§. CI.

Et quia Attributa divina sunt reciproca, ideo omnes Proprietates Dei concipiunt tanquam accidentia, sive qualitates realiter à Deo atque in-

ter se differentes, qui error etiam favet illi, de Justitia punitiva, de quo supra.

VOLKELIUS *de Religione Sociniana* L. V. Cap. IX, pag. 403 „Nisi forte, ait, divinis attributis seu „proprietatibus hanc sententiam constitui posse pu„tamus, quæ cum in Dei essentia contineantur, in„terque se distinctæ sint, nullam tamen ejus unitati „afferunt eversionem. Verum alia Personarum est „ratio: alia istorum attributorum. Hæc enim uni„tatem istam ideo minime tollunt, quia non sunt „supposita, aut substantiæ per se subsistentes, (sic „enim plurimas haberemus divinas Personas, (sed „qualitates sunt, divinæ essentiæ inhærentes, vel „saltem qualitatibus per quandam analogiam respon„dent. Nil vero repugnat, eidem numero substan„tiæ plurimas inesse qualitates.„ Et GOSLAVIUS *contra Keckermannum* Part. I. Cap. V. pag. 71. „Respondeo, esse medium, sive esse tertium quid in„ter Deum & Creaturam. Quid est hujusmodi in„quies? Æternitas, ajo, & actiones Dei, tum facul„tates illæ, quibus Deus agit quicquid vult. Actio„nes Dei non sunt ipse Deus: quia non omnes sunt „æternæ: & sunt, cum aliquando fuerunt: De Deo „hæc dici nequeunt. Etiam illæ facultates, quæ in „Deo resident, & quibus aliquid agit, non sunt ipse „Deus: quia Velle Dei esset Dei posse: & contra, „ut demonstratum est Cap. III. hujus primæ partis „nostræ. Tum de Misericordia, voluntate, potentia, „justitia, & id genus reliquis qualitatibus prædicare„tur vox Dei. At non prædicatur: quia nihil naturæ „Dei, qua Deus inest in his. Patet; quia Dei defi„nitio non competit his. At quæcunque prædicata „essentialiter dicuntur de subjectis suis, illorum de„finitio his tribuitur.„ SCHLICHTINGIUS *contra Meisnerum, de Artic. Fund. pag.* 12. *Ponamus enim*, inquit, *falsam esse, ut quidem est, illorum sententiam, qui persuasum habent, omnia divina Attributa, puta Dei Sapientiam, potentiam, bonitatem, voluntatem, & quicquid illi inesse Scriptura testatur, esse ipsum Deum,*

Et

§. CII.

Et quoniam negant absolutam Dei Simplicitatem, & attributa ab ejus essentia distinguunt; propterea inficiantur Deum per essentiam suam operari, contendentes id fieri per potentiam ab essentia distinctam.

§. CIII.

Hinc porro etiam essentiæ Dei Omnipræsentiam denegant; statuentes cum VORSTIO & CRELLIO *de Deo* Cap. XXVII. Deum secundum essentiam esse tantum in cœlo, velut Rex in Palatio suo residet, in ceteris vero regni sui, h. e. Mundi partibus esse per Providentiam h. e. per mandata, virtutes & operationes, omnia sustentando & gubernando, (hoc etiam modo actiones creaturarum liberiores & magis independentes videntur, ut suo loco de Arminianis agentes videbimus.

SOCINUS *in Fragmento Catechismi prioris* Cap, II. Part. I. pag. 156. ait: „Nihil his singulare habeo, „præter id, quod non video, cur tandem necesse „sit, quemadmodum vulgo sentiunt, quia immensa „sit (verbi caussa) Dei potentia, ejus quoque essen-„tiam immensam esse. Nam sive potentiæ, sive alte-„rius cujuslibet rei, quæ ad Dei attributa (ut vo-„cant) pertineat, non ejusdem generis est immen-„sitas, cujus illa est, quæ Dei essentiæ communiter „tribuitur, & de qua loquimur? Hæc enim immen-„sitas ad quantitatem (si ita, cum de Deo sermo est, „loqui licet,) illa vero ad qualitatem pertinet.„ „Pag. 159. Iterum dicit: Dei substantiam non ubique pariter præsentem esse, & sic eam non esse immensam, sive infinitam, quamvis ubique tamen sua virtute & providentia si ipse Deus præsens. SMALCIUS contra Frantzium Disp. I. de Trinitate pag. 3. *Nolo nunc perstringere errores de infinitate, immensi-*

menfitateque præfentiæ Dei. Cap. XII. pag. 339. *Omnipræfentiam Dei ftatuimus, & Chrifti etiam, fed talem, qualem Scriptura perhibet, nempe quoad ipforum virtutem; favorem & auxilium:*

§. CIV.

Cum Sociniani ftatuant hominem præcepta Religionis propriis viribus præftare poffe, & omnia ex libero hominis arbitrio derivent, fidem, juftificationem, converfionem & deftinationem ad falutem, proptereaque tum Satisfactionis neceffitatem tum veritatem negent; hinc etiam perfeverantiam in his bonis, ex arbitrio hominis dependentem faciunt.

§. CV.

Sed cum hominis arbitrium, nifi in eodem volendi actu confervetur, quod libertati hominis maxime officere putant Adverfarii, femper fit labile & mutabile, hinc non tantum ftatuunt, hominem ex ftatu gratiæ *totaliter* & *finaliter*, habitibus omnibus penitus amiffis, quos homo in patratione boni habuit, excidere, fed etiam omnem Ecclefiam plane deficere ex mundo poffe ut non fit abfurdum dictu, mundum effe aliquando fine Ecclefia.

§. CVI.

Cum finire deberemus, ad Exordium redimus; diximus ibi, Socinianos ad ftabiliendam Religionem communem fuam, Rationem ejus principium facere & normam, & hinc Rationi omnia adfcribentes, atque ad ejus trutinam omnia exigentes, nihil admittere, nifi quod illa affequi, cujus διότι comprehendere valet, & ex ejus principiis demonftrari poteft, ex quo fonte,

præter

præter errores, quos inde derivamus, alii adhuc fluunt.

§. CVII.

Inde enim est, quod α. quidam illorum concipere non possunt, quomodo nulla præexistente materia aliquid produci, aut Entia per merum volendi actum possint transire à statu meræ possibilitatis ad statum actualitatis, unde negant, materiam, qua visibilis hicce Mundus constat, à Deo esse productam, & probabile esse perhibentes, materiam licet informem Deo coextitisse, quod tamen alii eorum in medio relinquunt.

Vide VOLKELIUM Lib. II. Cap. IV.

§. CVIII.

Concipere porro non possunt, dari proportionem inter peccatum temporale, & pœnam æternam; inde quidam, & SOCINUS ipse, statuunt, impios, qui ante novissimum diem mortui sunt, in statu æternæ mortis, quam per modum annihilationis vel destructionis concipiunt, perseveraturos: qui vero in novissimo judicio superstites erunt, in ignem æternam una cum Diabolo conjectos destruendos esse, ita tamen, ut illo igne consumantur; qui ideo ærernus dicatur, quia nulla unquam ex illo contingat liberatio; cœteroquin absurdum dictu esse, Deum irasci in æternum (iram Dei tanquam furorem hominis concipiunt), & peccata creaturarum finita pœnis infiniti temporis mulctare; ut adeo mors æterna peccati stipendium in pœna damni tantum, non etiam in pœna sensus quoque consistat. Doctrina carni gratissima, & illiciendis in suam communionem incautis maxime idonea.

Impios immortales futuros negant Adversarii: unde SMALCIUS inter absurda ponit, quod Frantzius hoc statuit pag. 415. Veram autem peccati pœnam in sempiterno interitu constituunt ac deletione: ita nimirum SOCINUS 1. Joh. II. pag. 104. *Quia videlicet Apostolus, dum ait, mundum transire, significare voluerit, non modo vitam hanc mortalem desituram: sed etiam eos plane desituros, & in æternum perituros, quia ea sectati fuerint, quæ isti mortali vitæ sunt maxime ac proprie accommodata*, VOLKELIUS Cap. XII. pag. 73. „Postquam enim, sempiternum interitum „veram ac propriam peccatorum pœnam esse, vo„luit, immortalis autem vitæ præmium, innocentiæ „ac Justitiæ proposuit.„ Et Cap. XXXIII, „Dicitur „etiam perditio sive exitium, quod qui supplicio „isto mulctantur, ita misere pereunt, idque in æter„na tempora, ut restitui nullo pacto queant. Po„stremo hæc eadem pœna mortis vocabulo nomina„tur; quod vocabulum quamvis simpliciter, sine„que ulla alterius vocis appositione, à sacris Auto„ribus efferatur, sæpe tamen nonnisi æternam mor„tem illo exprimere voluerunt: quia nimirum ea „demum vero mors censenda est, quæ sit sempi„terna Qui enim aliquando in vitam æternam sunt „revocandi, illi, quia Deo vivunt, propemodum „mortui existimandi non sunt.„ SMALCIUS *contra Frantzium* pag. 401. „Cum porro de interitu vel „judicio Dæmonum legitur; nonne delendos eos „esse, hinc jure colligi potest? Jam quomodo „hoc futurum sit in eo unicuique, nostro quidem „judicio, licet suo sensu abundare; idque idem „etiam de cruciatibus dæmonum & impiorum sta„tuendum est pag. 414. Locus Matth. X. perditio„nem tantum animæ in Gehenna, non cruciatum „denunciat. Ignis Marci IX. 43. inextinguibilis di„ci potest, quomodo etiam ignis, quo Sodoma „exusta est, æternus appellatur, cum tamen hodie „is nullus sit, quia scilicet æternum exitium attulit „isti civitati.

Cum

§. CIX.

Cum igitur hominem per ignem destrui posse credant, quoad corpus & animam, hinc facile patet, qualem illi animæ essentiam attribuant, materialem nempe, quæ cum corpore pereat, igne alias destrui non posset; unde alius fluit error, quo animarum à corpore separatarum existentiam vitalem negant, putantes: eam nec subsistere per se, nec vivere, nec res extra se sibi cum sui conscientia repræsentare.

SOCINUS *Epist. V. ad Volkelium*: Tantum id mi„hi videtur statui posse, post hanc vitam, animam, „sive animum hominis non ita per se subsistere, ut „præmia ulla pœnasve sentiat, vel etiam ista senti„endi sit capax. quæ mea firma opinio, facile po„test ex disputatione ita colligi, cum ex multis, „quæ identidem à me dicuntur, tum vero ex ipsa, „de qua præcipue agitur, sententia mea.„ Vide SMALCII Dispnt. VII. pag. 413. & pag. 409. ubi ita: „Credimus enim cum Sacra Scriptura, pulve„rem reverti ad terram unde sumtus est, Spiritum „autem redire ad Deum, qui illum dedit. An ve„ro Spiritus ille qui ad Deum redit, & à Cor„pore separatus est, sensu aliquo præditus sit, & „an voluptate aliqua fruatur ante adventum Christi, „& ante conjunctionem istam novam Spiritus cum „Corpore glorificato, quod Deus olim daturus est „credentibus, valde dubitamus, imo aliter rem se „habere credimus. Nempe quemadmodum Corpus „sine Spiritu cadaver est: sic vicissim spiritum sine „Corpore nullas actiones exercere posse.„ Ex hisce patet Adversarios quidem concedere animas post mortem quidem esse superstites, nec mortales esse: sed negant illas à Corpore separatas, subsistere, vivere, sentire, intelligere, aut aliquid agere; Unde SOCINUS *ad articulos Cuteni* §. 23. „Quod „animæ nostræ una cum Corporibus moriantur, nul„lo pacto asserimus; tantum ex analogia totius „Scripturæ edocti affirmamus, eas usque ad Christi

adventum non frui beatitudine illa, quæ illis est „promissa, qui ipsius Christi sunt.„ Et SMALCIUS Disp. III. de Persona Christi, pag. 75. „Imperite „autem id dicitur, quod beati perveniant, quasi „scilicet singuli post mortem statim pervenirent ad „beatitatem. Cum tamen nimis decantatum sit, „ultimo die Christum resuscitaturum suos, & reddi„turum unicuique secundum opera sua; Et *de erro„ribus Arianorum*. Lib. I. Cap. XIV. Quæstio au„tem est, an homines post mortem sint reipsa, & „an aliqua Voluptate pii, vel ipsorum animæ fru„antur ante Christi adventum. Hoc ergo negans at„tuli, &c.„ VOLKELIUS Lib. V, Cap. XVI. p. 521. *Cum, ut supra demonstravimus, hominum animæ post mortem personæ aliquæ nequaquam sint, quæ actu ipso vivant, & intelligant.* Eadem ob caussam fit, ut Adversarii Ecclesiam triumphantem in Cœlo existere negent. Vide SMALCIUM *contra Frantzium Disp. de Ecclesia*. pag. 273.

§. CX.

Rationis decempeda tandem metiri nequeunt, quomodo eadem hominum corpora, identitate scilicet numerica, antea mortua, in tenuem pulverem dissoluta, discerpta, ab hominibus & Bestiis devorata, in succum & sanguinem earum conversa, concremata, cinere per aërem huc illuc dissipato iterum conjunctis omnibus eorum particulis, resurgere possint? Hinc est quod negant, eadem novissimo die resurrectura corpora, quæ hic in terra vixerunt.

Ipsam mortuorum resurrectionem Adversarii non negant; At negant eadem futura numero ac individua Corpora. SMALCIUS *de Erroribus Arr.* Lib. I. Cap. XIV. pag. 153. *Non hæc Corpora in futuro sæculo habituri fideles, sed alia longe præstantiora.* Et contra FRANZ. Disp. VII. *de extremo Judicio* pag. 407. *Corpora ex pulvere non sunt preditura.* In Exam. cen-

centum Err. pag. 16. *Corpora hac qua nunc circumferimus, resurrectura non credimus; sed alia nobis danda esse.* Corpora vero spiritualia nobis datum iri asserunt, non accidentibus vel qualitatibus talia, sed ipsa substantia. Ita enim VOLKELIUS Lib. III. Cap. XXXV. „Cum ita discrepent Corpo„ra hæc nostra à futuris, ut terrestria à cœlestibus - - „quid clarius dici potuisset ad ostendendum, non „hoc ipsum, quod seritur, Corpus aliquando re„surrecturum, sed aliud, quod nobis Deus sit da„turus? Illud ab hoc substantia ipsa, non ac„cidentibus tantum differre. - - - Deinde animale & „spirituale, quæ quarta est differentia Corporum no„strorum ab Apostolo explicata, non tantum acci„dentali, sed ESSENTIALI quoque discrimine à se„invicem dispescuntur. - - - Accedit huc differen„tia Corporum istorum ratione materiæ, ex qua de„sumta sunt Hæc enim nostra Corpora ex terra „sunt, adeoque terrestria: futura vero illa ex Cœ„lo erunt, adeoque Cœlestia.„ SCHLICHTINGIUS contra MEISNERUM de Trinitate pag. 92. „Libenter concedimus, nos in resurrectione, con„servatis nostris quibusdam reliquiis, seu ut Scriptura loquitur, Spiritibus, non numero tantum sed „& specie, alia ab iis, quæ terræ mandantur, ha„bituros esse corpora; non secus ac granum, in „terram consitum (qua similitudine ipse Apostolus „rem hanc explicat) abolita prioris corpusculi for„ma, novo corpore longe pulchriori & à priori „specie diverso, amictum exoritur.

§. CXI.

Hi quantum scio, sunt præcipui Socinianorum Errores, qui quomodo ex primaria hypothesi per connexionem fluant, ostendimus; *Heresis* certe detestanda, quæ omnes veræ Religionis Articulos destruit, omnem ad virtutem Christianam obligationem tollit; vinculum quoque, quo ipsi impii ne in omne nefas ruant, retinentur, abrumpit.

§. CXII.

Ut tamen Religionem suam saltem aliquo pietatis tingerent colere, erroresque suos tutius disseminare possent, Anabaptistarum, qui adhuc præ Socinianis tolerantur, sese immiscuerunt sectæ, atque in multis moribus eorum se conformarunt, quosdam ex erroribus eorum assumserunt, quæ modestiæ vel tolerantiæ speciem præ se ferunt, & quo simplices eo magis allicerent, tolerantes sese prædicant atque modestos, qui probos cujusvis Religionis & Sectæ pro fratribus agnoscerent: Unde etiam inutile & supervacaneum esse putant quærere *apud quos sit vera Ecclesia?*

De oprima Socinianos Confutandi Methodo.

§. CXIII.

Communissima est opinio, ex eo Principio hæresin aliquam confutandam esse, quod ejus confessores pro vero ac genuino agnoscunt. Sic ATHEI, DEISTÆ, EPICURÆI, NATURALISTÆ ex solo Rationis principio refutantur, dum solum illud pro vero habent; cum autem SOCINIANI præter *principium Rationis* adhuc *Revelationis* agnoscunt, videtur brevissimam ipsos confutandi viam esse, si Sacræ Scripturæ auctoritate eos debellemus.

§. CXIV.

Ea vero Religionis ipsorum ratio est, ut omnia ad Rationis decempedam exigant, nihilque pro vero admittant, quod ex ipsius Principiis demonstrari, & per illa explicari nequit.

§. CXV.

Nulla propterea præter Rationem Religionis norma remanet; clarissima enim Sacræ Scripturæ testimonia ita torquent ut nihil ibi inveniatur, quod Rationis sphæram excedat, & ut omnia plane Mysteria ex Religione revelata ejiciantur.

§. CXVI.

Omnis propterea ex solis sacris Litteris eos confutandi conatus frustraneus est, nisi à priori & ex ipsis Rationis principiis ipsis demonstres, qualis Revalatio esse debeat; quænam vera ipsius ratio atque forma sit; qualem ab una parte hominum status atque indigentia ab altera parte divina Attributa requirant; quomodo comparata esse debeat, ut cum perfectione universi exactissime conveniat.

§. CXVII.

In hoc enim inprimis peccant Adversarii, quod verum revelationis finem, essentiam atque naturam non agnoscunt, inde omnes reliqui illorum derivantur errores.

§. CXVIII.

Totius igitur cum illis controversiæ cardo in hoc maxime vertitur; quem in finem Revelatio fuerit necessaria? An illa sine Mysteriis concipi possit? An ad hominem ex statu moraliter imperfecto liberandum auxilio omnipotenti opus sit? An per Justitiam Dei punitivam peccata aliter condonare non liceat, quam interveniente satisfactione infiniti pretii? An ea ab alio, quam Persona quæ quidem homo, sed qui cum divina natura arctissime unitus, præstari potuerit?

Hæ

§. CXIX.

Hæ quidem quæstiones ita comparatæ sunt ut ex Sacris Litteris facillime explicari & intelligi queant. Tot vero Adversariorum sunt subterfugia, ut vix ac ne vix quidem adigi possint, ut verum ac genuinum testimoniorum S. S. agnoscant sensum; unde haud faciliori via ad veritatem adduci possunt, quam si ex Principiis Philosophicis, sive ex ipsa rei natura, ex hominis statu, ex illius ad Deum Relatione, ex divinis Attributis demonstretur, quomodo primarii ac fundamentales Religionis revelatæ Articuli comparati esse debeant, ut humanæ divinæque naturæ ac Relationi respondeant, atque cum Universi perfectione conveniant.

Dubium aliquis hic movere posset, quod nimirum hac ratione Religione revelata minime opus sit, & omnis Revelatio inutilis evadat, si vera articulorum illius fundamentalium ratio ex ipsis Philosophiæ principiis demonstrari possit. At observandum est α. quod ex Rationis Principiis negative ostendi possit quomodo Veritates revelatæ *non* comparatæ esse debeant, licet pars affirmativa ex omni parte demonstrari minime queat, & ad hoc Revelatione opus sit. β. Requisita quædam generalia Veritatum revelatarum inde deduci possunt, licet proprietates earum particulares nonnisi ex patefactione sciri possint, per quam id præcise determinatur, cujus attributa generalia ex Ratione cognosci potuerunt. Partem vero negativam & requisita quædam generalia ex Ratione cognovisse sufficit ad demonstrandum α num Revelatio aliqua pro divina habenda sit nec ne? β An Veritates revelatæ primi ordinis, quæ Religionis revelatæ essentiam constituunt, juxta verum Revelationis scopum, juxta Lapidem Lydium sive Regulam divinorum Attributorum, juxta hominis statum ejusque ad Deum relationem explicentur nec ne? Quæ ipsa cum Socinianis controversiæ summa est; Ita ex Philo-

Philosophiæ principiis demonstratur *Justitiam punitivam Deo essentialem* & immutabilem esse. Ad Hominem ex statu imperfectionis moralis liberandum *compensationem* esse absolute necessariam. Id *à nemine* nisi à *Persona dignitatis divina* ac omnipotentia prædita præstari posse. Revelationem Mysteriis carere minime posse & similia; quæ ad Socinianos refutandos sufficiunt. Hoc vero tenendum, ope luminis Revelationis plura ex ipsis Rationis principiis deduci pluresque in ipsa Philosophia veritates detegi posse, quam si Revelatione destituti essemus.

§. CXX.

Ex hisce nunc omnibus patet: Armis primum Philosophicis, & postea demum iis, quæ ex Sacris Litteris depromuntur, cum præsentibus Adversariis pugnandum esse, si felix successus esse debeat; ex iis enim, quæ per Rationem demonstrata fuere, ostendi potest, Adversarios ea quæ ad Revelationis Centrum spectant ita explicare, ut illorum interpretatio cum iis, quæ per ipsa Philosophiæ principia constant, minime conspiret ac conformis sit, adeoque illorum hypothesis contra ipsam rei naturam ac rationem pugnet.

§. CXXI.

Hac methodo si utamur fit, ut ipsi illorum disputandi modo nosmet accommodemus; dum enim illi ad Rationis normam omnium exigunt, ostendendum ipsis Religionem peccatoris, qualis à nobis docetur, rigidissimum Rationis examen subire posse, viceversa autem illorum interpretamenta ab ipsa Ratione respui, & ita patefiet summam Religionis nostræ cum Ratione esse Harmoniam, & ipsam Rationem in Revelatione Mysteria requirere, neque per Hominis statum

licere

licere, ut nulla interveniente Satisfactione, ipsemet sese ex statu moraliter imperfecto & malo inde fluente infinito liberet.

Hypotheseos Socinianæ Refutatio.

Propositio I.

§. CXXII.

Licet Rationis & Revelationis maximus debeat esse Consensus, prior tamen sola Religionis Peccatoris principium atque norma esse nequit.

§. CXXIII.

Hanc propositionem demonstratam vide Cap. IIII. §. 981 --- 989.

Propositio II.

§. CXXIV.

Revelatio Mysterii expers esse nequit.

§ CXXV.

Hujus Propositionis probationem vide Cap. III. §. 988. & Cap. IX. §. 69. - - - 86.

Pro-

Propositio III.

Revelationis Finis eſt Patefactio Medii Liberationis, quo homo ex malo infinito emergere, & ad æternam ſalutem adduci poſſit.

§. CXXVII.

Vide totam neceſſitatis Revelationis demonſtrationem Cap. III. Sect. XI. XII.

Propoſitio IV.

§. CXXVIII.

Medium illud Liberationis homini ſcitu abſolute neceſſarium eſt.

§. CXXIX.

Demonſtrationem vide Cap. III. §.941 ---973.

Ideo hanc propoſitionem hic poſuimus, quia Adverſarii cognitionem Religionis eousque non extendunt, ſed in articulis per Rationem cognitis plerumque ſubſiſtunt; dum juxta eos ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſint pauciſſima, quæ ex ſolis Rationis principiis conſtant, unde oſtendendum peccatoris eſſentiam pertinere.

Propoſitio V.

§. CXXX.

Juſtitia punitiva Deo eſſentialis eſt, abſolute neceſſaria.

§. CXXXI.

Hujus Attributi divini demonſtrationem vide Cap. III. §. 553 --- 648.

Cum Doctrina de hoc Attributo divino ſit fundamentum totius Religionis revelatæ, dum ſine illo nec Revelationis neceſſitas, nec vera illius ratio ac finis pateat, ut ſæpius jam monuimus; Sociniani vero illam inficientur, totamque propterea revelatam Doctrinam pervertant, neceſſum omnino eſt, ut hæc divina Perfectio contra illos ſtabiliatur.

Propoſitio VI.

§. CXXXII.

Satisfactio, ſive compenſatio æquivalens ordinis per peccatum turbari, eſt abſolute neceſſaria & indiſpenſabilis.

§. CXXXIII.

Demonſtratio habetur Cap. III. §. 907.

Propoſitio VII.

§. CXXXIV.

A parte hominis impoſſibile eſt ut ipſemet ſatisfaciat, ſeque à malo infinito per peccatum accerſito liberet, & priſtino perfectionis ſtatui reſtituat.

§. CXXXV.

Vide hanc Theſin probatam Cap. III. §. 914 --- 916.

Propo-

Propositio VIII.

§. CXXXVI.

Negotium Liberationis peragere nemo potuit, nisi Persona infinitis Attributis prædita.

§. CXXXVII.

Hanc positionem demonstravimus Cap. III. Sect. XV.

Objectionum Præcipuarum Solutio.

§. CXXXVIII.

DE NATURALI DEI COGNITIONE ea Reformatæ Ecclesiæ sententia est, quod Deus per triplicem viam cognoscatur, *Primo* quidem per naturalem illam homini insitam facultatem, qualibet data occasione de Deo cogitando, hoc est illud γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod Apostolus in hominibus φανερὸν esse perhibet Rom. I. 19. *Secunda* via est per considerationem operum divinorum in mundo visibili, quatenus omnia divina opera sunt speculum, in quo divinæ Perfectiones conspiciuntur, sive scala qua ad Dei cognitionem adscenditur, de quo Deum cognoscendi modo Apostolus dicit: *Invisibilia Dei atque sempiternam ipsius Virtutem ac Divinitatem conspici in operibus ipsius* l. c. *Tertius* modus est Revelatio, qua Deus clarius adhuc hominibus sese cognoscendum præbet.

§. CXXXIX.

Sociniani duas priores Deum cognoscendi vias

inficiantur, & nonnisi Revelationem admittunt, sive ea per traditionem homini nota fiat, sive ex Litteris Scriptis, eam cognoscat.

§. CXL.

Contra duos priores Modos SOCINUS sequentia *objicit*: α, *In Prælect.* Cap. II. Quod si Divinitatis opinio cunctis naturalis esset, certe ea non esset ex fide: Atqui ex fide eam esse aperte docet Epist. ad Hebræos. Cap. XI. 6. --- Illud ex his verbis certum esse videtur, fieri posse, ut quis fide, & sic opinione ista Divinitatis careat. --- Unde concludendum est, opinionem istam non esse cunctis naturalem.

§. CXLI.

β. Si divinitatis opinio cunctis naturalis esset, quomodo idem Autor ibidem ex eo, quod Enochus Deo placuisset, niteretur probare, eum, Deum esse &c. credidisse? Hoc profecto arguit ejusmodi opinionem non esse naturalem, id est, fieri posse; ut quis eam animo suo non conceperit.

§. CXLII.

γ. Sacras Litteras aperte testari, inquit, aliquos esse, qui Deum esse non credant. Psal. X. 4. XIV. 1. & LIII. 2. item addunt Philosophorum veterum exemplum, qui Atheismi insimulati sunt, nec non Atheorum novissimi temporis.

§. CXLIII.

δ. Dicit denique, non singulos tantum aliquos homines, sed integros Populos hodie inveniri, qui nullum penitus sensum, aut suspicionem divinitatis alicujus habeant. Hos esse in novo

novo occidentali orbe, in Bresilia provincia, ut historici tradant, sed & alibi quoque ejusmodi gentes reperiri, Indiæ recentem historiam testari.

§. CXLIV.

Ad *primum respondemus:* Idem & Fide & Ratione cognosci posse, neque in hoc capite *Fides* Rationi opponitur, sed vivam persuasionem illa notat rerum non visarum (LXI. 1.), quomodocunque illarum notitia ad nos perveniat; ita versu tertio dicitur, fide percipi Mundum creatum esse, licet philosophicis quoque rationibus hoc probetur. Ad *secundum* hoc tenendum, quod Apostolus non ita argumentetur, ut ex translatione Enochi inferat, ipsum credidisse Deum esse; sed inde colligit ipsum Deo placuisse; ex hoc vero concludit ipsum habuisse fidem, ad quod requiritur, ut quis non tantum credat esse Deum, sed & *remuneratorem esse quærentibus ipsum:* unde minime sequitur, nullam de Deo cognitionem naturalem esse, sed talem qualem Enochus de Deo habuit fidem, & qua Deo placemus, non esse naturalem.

§. CXLV.

Ad *tertiam objectionem* observandum, quod si dicamus dari notitiam Dei naturalem, nos non negare notitiam illam in perditorum hominum animis obscurari posse. Is enim Hieropsaltis animus est: Homines, ut voluptatibus eo melius indulgere possent, omnem de Deo cognitionem ex animo excussisse, & ita sese gessisse, ac si nullus Deus existeret. Hoc insuper notandum quod vox אלהים non tam Dei existentiam denotet uti nomen יהוה, sed notat Deum esse *vindicem mali;*

unde omnes illi in corde suo dicunt non esse אלהים, hoc est Deum, qui peccatum vi naturæ suæ execretur ac puniat, qui dicunt Justitiam punitivam Deo non essentialem esse.

§. CXLVI.

Quod *quartam objectionem* spectat: negari nequit, itinerum Scriptoribus hac in re non tuto fidem haberi posse, dum præcipitanter admodum sæpissime judicent; cum alii contrarium testentur. Vide quæ JOHANNES JUNIUS *in confutatione prælectionum* SOCINI hac de re affert, dum de Americanis testimonia contraria adducit, quibus evincit, oppido falsum esse eos nullum divinitatis habuisse sensum; Sacerdotes Populi illi suos habent ac Prophetas, qui cum Spiritibus commercium sese habere populo persuadent. URBANUS CALVETO *in Hist. Novi Orbis* Cap. XXVI. Lib. I. ex HIERONYMI BENZONI *Commentariis Italicis* testatur, non in una solum Insula Hispaniola, sed in aliis omnibus Novi Orbis partibus, Gentiles Deos suos adorasse & coluisse, illos variis modis colendo, effigiendo & nominando. PETRUS MARTYR, *in Decan. Ocean.* de Americanis asserit: Illos visibili cœli lumina pro Diis suis colere, & Dæmones. Et JOH. GERHARDUS VOSSIUS *de Origine & progressu Idolol.* in addendis ad Lib. I. de Tapujonum gente, de qua inprimis quæstio est, in India occidentali ex relatione CHRISTOPHORI ARCISSEROSKI, Poloni, quod duplex agnoscant Numen, bonum, malumque. De Brasilianis, quorum exemplum SOCINUS adducit, constat, malum ipsos spiritum aliquem colere, quem timent adorantque, & eoipso Potesta-

testates quasdam humano genere superiores credunt. Imo omni ævo stupidissimi Gentiles alia post hanc vitam loca sibi imaginati sunt, ubi ipsis pro vitæ hujus ratione vel male vel bene futurum sit; & hoc ipso justum metuerunt *Numen* cuivis secundum opera sua tribuens. Vide Cel. HOORNBEECKIUM *Socinianismi Confut.* Lib. I. *de S. Scriptura & Rel.* Cap. VII. pag. 158. non male se hac de re habent CRELLII verba dicentis: *Verum enimvero fieri nequaquam potuit, ut genus humanum hac aliquando de Deo deque Religione sententia caruerit. Quandoquidem ipsi quoque Athei eam generi humano utilissimam, & ad Remp. gubernandam valde necessariam, ac porro omni studio fovendum esse docent.*

§. CXLVII.

Ex hypothesi Sociniana sequitur: Articulos Religionis fundamentales non modo esse paucissimos, sed ita insuper comparatos, ut in omnibus Religionibus salvi manere possint; Quomodo vero justis limitibus coërcendi sint hi articuli & definiendi, exposuimus Cap. IV. Restat ut ad *duas* hic Adversariorum *objectiones* respondeamus. *Prima* hæc est, quod ii solum sint Articuli ad salutem scitu absolute necessarii, qui ad omnium hominum captum sint accommodati, & quod ii tales non sint, qui in Sacris Litteris expresse ceu tales designati non sunt.

Ita SMALCIUS de satisfactione Christi *contra Smiglecium* Lib. I. Cap. II. pag. 178. *Principia*, inquit, *fidei Christianæ prima non tantum quoad rem, sed etiam quoad nomina in S. Litteris extare necesse est, utpote in quibus salus ipsa*

ipsa sita est. Non negamus dogmata multa verissima esse, quorum expressa & diserta mentio non extet in S. Litteris: sed ad salutem æternam necessaria, vel principia fidei, ea esse, concedi non potest. Pro omnium enim Captu ea esse oportet, quæ ad salutem necessaria, & quod magis est quæ sunt prima fidei principia. At consequentiæ, quas vocant, non pro omnium sunt captu, nempe simplicium, quorum semper maximus in Ecclesia fuit numerus. Itaque aut expresse ista dogmata satisfactionis & meriti nominata esse in Sacris Litteris docendum est, aut confitendum, ea non esse ad salutem necessaria, vel prima fidei Christianæ principia.

§. CXLVIII.

Respondemus α. concedendo quod nihil pro Articulo fidei fundamentali habendum sit, nisi quod Deus in Verbo suo tale definivit (Cap. III. §. 1832. β. Concedimus Religionem non modo eruditorum sed præcipue vulgi esse: Unde illius Articuli ita comparati esse debent, ut quilibet eos capere possit (I. c. §. 1834.). At γ. negamus quod ea fundamentalia non sint, quæ sub iis, quæ in S. Litteris clare & evidenter expressa sunt, comprehenduntur, & cum iis ita necessario immediate cohærent, ut per necessariam & evidentem consequentiam ex illis fluant, ut axiomata in definitionibus inclusa ejusdem certitudinis & momenti habentur (Cap. IV. §. 1833.) δ. Consequentias vero nullas pro captu omnium & simplicium esse longe falsissimum est, dum quilibet rudissimus etiam quotidiano usu in actionibus suis ac verbis consequentias faciat, imo ipsæmet consequentiæ, si rite deducantur rem, claram

claram reddunt. ε. Unde ipsemet SOCINUS aliter hac in re SMALCIUS sentit dicens: *De Adorat. Christi* pag. 57. *Dixi, ad probandum in Sacra Scriptura legi Christum invocatum fuisse, non necesse esse ipsummet vocabulum invocationis, seu verbum invocandi ibi scriptum extare, dummodo ex aequipollentibus verbis eadem sententia eliceretur.*

§. CXLIX.

Altera Objectio inde desumta est, quod in Symbolo, ita dicto, Apostolico, sine ullo dubio omnia ea contineantur, quae ad salutem scitu necessaria sint; Socinianos propterea accusari minime posse, quod non omnes eos Articulos pro fundamentalibus habeant, qui revera tales sunt, dum illi unanimi consensu Symbolum hoc accipiunt.

Ita nimirum SCHLICHTINGIUS *in Praefatione ad Symbolum hoc*, quod nomine Ecclesiarum suarum Polonicarum edidit, loquitur: *Symbolum quod Apostolicum vocatur, antiquissimum esse, ipsamque simplicissimam, qualis ab initio fuit tradita, Apostolicam continere veritatem, à nemine fuit dubitatum. Quae caussa nobis fuit, ut cum toti orbi testatum esse vellemus, nos ipsos Apostolicae & primaevae veritati in omnibus insistere, in edenda hac Ecclesiarum nostrarum confessione, Symbolis istius vestigia presso pede sequeremur.* Concludit: *Quae omnia utut se habeant, cum tamen Articulis istis ea explicentur, quae fides in Christum verissime continet, non dubia est illorum apud nos autoritas. Jam porro Symbolum hoc omnia quae ad Christianam fidem, & sic aeternae salutis adoptionem requirantur, continere,*

tinere, vel inde patet, quod antiquitus ad hæc usque tempora, in omnibus Christianorum Ecclesiis usu receptum sit, eos qui Ecclesiæ per Baptismum aggregantur; non de aliis quam de Symboli istius Articulis interrogare; & si ad omnia in hoc Symbolo expressa interrogati annuerint, eosdem in Christianum nomen cooptare, qui mos nunquam in Ecclesiis invaluisset, nisi jam olim creditum fuisset, Symboli istius professionem plenam esse & genuinam Christianismi tesseram: quam cum unicam Ecclesiæ agnoscant; non ullæ aliæ magis, quam istæ, Christianum nomen & titulum debent usurpare.

§. CL.

α. Observandum est: Symbola ejusmodi vetustissimis temporibus ea occasione fuisse composita, si hæresis aliqua in Ecclesia invaluit; unde talibus ejusmodi fidei confessiones conceptæ fuere verbis, qualibus opus erat ad veræ fidei confessores ab hæreticis illis nuper exortis distinguendos; eos propterea Symbolum ejusmodi comprehendebat Articulos, qui erroribus ingruentibus oppositi erant; neque hanc ob caussam omnium fidei Articulum complexus atque Systema in iis quærendum est.

§. CLI.

β. Ex quo hæc etiam fluit observatio, quæ reperitur Cap. IV. §. 1843. quod omnia dogmata fundamentalia in Symbolo hoc minime reperiantur; dum multa ibi de Deo omissa sint ejusque Attributis; Nulla occurrit mentio de hominis creatione ac lapsu; Nulla de passionis ac mortis Christi fine; de justificationis nostræ modo, alia-

aliaque plura; Imo ne ipſimet quidem Sociniani omnia ea ibi reperiunt quæ inter Articulos fundamentales ponunt (§. 22.); Neque etiam ibi inveniuntur, quæ Remonſtrantes in hunc numerum referunt, de fide, ſcilicet, promiſſorum, de præceptorum obedientia, de debita S. Scripturæ reverentia. Neque Pontificii; dum ibi nihil occurrat de Papæ ſuprematu, de Miſſa, de confeſſione auriculari, & quæ ſimilia.

§. CLII.

γ. Non omnia fundamentalia in Symbolo hoc eſſe contenta, & hoc clariſſime patet, quod omnes cujuscunque ævi hæretici Symbolum hoc non modo non reſpuunt, ſed lubentiſſime illud recipiunt; ſic Ariani Nicænum huic admodum ſimile quoad ſpeciem externam receperunt.

§. CLIII.

δ. Hujus rei ratio præcipue hæc eſt, quod verba in ejusmodi Symbolis contenta à veritatis hoſtibus non ſecundum fidei analogiam, ac Sacræ Scripturæ genuinum ſenſum conformiter cum divinis Attributis, Univerſi fine, ac hominis ſtatu explicantur; dum hæretici omnes ad ipſas S. Litteras refugium ſuum habent, & ex illa Errores ſuos tueri conantur. Quid mirum ſi etiam ejusmodi Symbolum breviſſimis verbis conceptum recipiant, dum omnia ad hypotheſin ſuam detorquent; Unde argumentum nullum hoc eſt: *Hæretici quidem verba Symboli Apoſtolici ad placita ſua accommodata & ſecundum ea explicata, recipiunt; Ergo omnia veræ fidei fundamentalia dogmata retinent.*

§. CLIV.

ε. Sed nec ipſimet denique Sociniani omnes eos

eos pro fratribus habent, qui Symbolum hoc recipiunt, quod exempla *Budnei*, *Francisci Davidis*, & *Christiani Franckii* satis produnt; quos; dum ab ipsis de adoratione Christi dissentiunt, pro fratribus agnoscere nolebant, licet Symboli hujus confessionem non respuerunt. Vide THEOPH. NICOLAIDES, *de Ecclesia* Cap. VIII. p. 81. SMALCIUM *contra Frantzium* Disputat IX. de hypocritis pag. 298. SOCINUM *in Catechesi* pag. 32. & contra *Vujeckum* c. 45. Eadem ipsis de Pontificiis mens est, qui Symbolum Apostolicum semper receperunt, ita enim SOCINUS in Epist. ad *And. Dudithium* pag. 42. *Quod ad me attinet*, inquit, *nullum mihi est dubium, quin omnes illi, sive Calviniani, sive Lutherani, sive Anabaptistæ, sive Ariani, qui se ad præscriptum Christi gesserint (nec enim dubito, ex singulis istorum ordinibus tales non paucos aut esse, aut esse saltem posse) cœlestis vitæ hæreditatem adituri sint: De Papistis idem affirmare nolim, quos omnes hodie Idololatras esse statuo, novi vero neminem Idololatrarum salutis æternæ compotem fore.* Et THEOPH. NICOL. *de Ecclesia* p. 3. *Nos hæreticum esse dicimus, qui talia dogmata in Christi Ecclesiam infert, quæ universam fidem Christi vel partem ejus potissimam & essentiam, vel, ut aliis verbis idem dicamus, quæ vel veram Dei & Christi gloriam, vel veram pietatem tollunt. Hoc autem facere Pontificios docemus.* Ex hisce nunc omnibus facile patet falsam esse Adversariorum argumentationem, quod sufficiant ad Religionis essentiam ii Articuli, qui in Symbolo hoc comprehensi sunt.

§. CLV.

Ad *aliam* nunc accedimus *controversiam* quæ Religionis revelatæ principium spectat; Varios nimi-

nimirum Sociniani committunt Errores, qui Divinitati ac autoritati Sacræ Scripturæ obsunt; *primo* enim in S. Litteris dissensiones & repugnantias reperiri asserunt. At dum hujus rei nulla adversarii producant exempla, nec sententiam suam probet, nos etiam eos refutandi labore hic supersedemus.

§. CLVI.

Sacræ Scripturæ textum authenticum pluribus in locis immutatum fuisse ac corruptum perhibent: Ita SOCINI hac de re verba habent *de Auct. S. Scripturæ* Cap. I. pag. 28. *Quod si quis fortasse eam probare velit ex variis lectionibus, quæ habentur plurium in ipsis locorum; Dico, quamvis necessarium quodammodo sit, unam tantam esse veram lectionem, alias vero falsas, non tamen dici posse, scripta illa esse depravata; immo jure posse affirmari, ea valde conservata esse. Nullum enim est Scriptum, in quo temporis longinquitate, ob varias incidentes causas, multa aliqua ratione non immutentur. Quamobrem inter scripta antiqua illud minus depravatum censere debet, cujus pluribus in locis variæ lectiones extant. Ut verisimile sit in quolibet loco, quem tempus immutavit, veram lectionem inter ipsas extare; quam lector, ratione duce, & collatione aliorum locorum similium, assequi atque complecti possit. Magis vero depravatum illud existimandum est, cujus nusquam ulla extat varia lectio.* Et l. c. p. 29. *Jam igitur*, inquit, *ut de conjecturis agamus depravationis Scriptorum Novi Testamenti. Si quispiam dixerit, admodum verisimile esse, tot sæculorum spatio, cum tot exempla eorum descripta fuerint, ea pluribus in locis fuisse immutata; ut sane non negabo.*

Ad

§. CLVII.

Ad hanc difficultatem respondimus Cap. X. §. 137. 138. 139. Hic adhuc SOCINI addimus verba l. c. pag. 28. *Si quis enim argumentando eam* (depravationem) *colligere velit ex rebus manifesto falsis, vel inter se repugnantibus aut diversis, quæ in ipsis scriptis legantur; jam dictum est, res ejusmodi minime in eis inveniri aut certe non tales, quæ ullius sint momenti, & idcirco non aptas ne ad suspicionem quidem inducendum depravationis ipsorum.*

§. CLVIII.

Alia Controversia est, an nonnulli Libri Sacri sive canonici perierint? Quod Adversarii adfirmant. *Argumenta* illorum sive *objectiones* contra sententiam nostram ipsis Socini verbis proponemus, ita nimirum habet *in Lection. Sacris*, p. 57. Tertium, quod omnino animadvertendum existimamus, est, quod non omnes Sacris Libri hodie extant, ex quibus non extantibus, omnino credendum est, citata fuisse in N. T. testimonia illa, quæ hodie in Libris V. Testamenti non leguntur; quæ tamen pauca admodum sunt. Quod autem perierint multi Sacri Libri, apparet manifeste ex eo, quod verborum Nathanis Prophetæ, & Gadis videntis fit mentio 1. Paral. 29. & ejusdem libri Cap. 9. nec non verborum Jheddonis videntis eodem Cap. 9. Lib. 2. Paralipomenon. Immo non verborum sed visionis. Eodem porro Capite mentio fit Achiæ Silonitæ. Præterea Cap. 12. ejusdem secundi Libri Paralip. fit mentio verborum Iddonis videntis in Genealogiis, & Cap. 13. ejusdem Prophetæ commemoratur Midrasch, Cap. porro eodem 12. habetur mentio verborum Semajæ Prophetæ. Insuper

per Cap. 10. libri Josuæ, itemque Cap. 10. 2. Samuelis fit mentio libri recti, Cap. vero 21. Numerorum, commemoratur liber Bellorum Jehovæ. Quamquam non omnino certum est, isto in loco certum aliquid librum significari. Sed præterea apud Esajam 34. nominatur Liber Jehovæ seu Domini. Postremo omnes sciunt, identidem in Lib. 2. Regnum fieri mentionem Chronicorum Regum Judæ, & Regum Israëlis ad quæ Scriptor illius Libri sæpissime se refert, & ad ea lectorem rejicit.

§. CLIX.

Ad hæc in genere *observandum* α. Quod non sequatur Librum aliquem canonicum fuisse, licet alicubi in S. Litteris citetur; potuit enim Scriptor sacer provocare ad testimonium Historiographi cujusdam tum temporis notissimi, licet illius scripta inter canonica nunquam fuere habita; sed ad rei veritatem demonstrandam nostro etiam tempore hoc fieri solet, ut Historicorum profanorum ac sacrorum convenientiam indicemus; ita fieri potuit, ut Prophetæ etiam ad eo majorem fidem apud homines sibi conciliandam ad reliquas Historias tum temporis existentes provocarent, licet Libri quos citarunt canonici non fuerint.

§. CLX.

β. Provocant etiam sæpius S. Scriptores, quidem ad Historias litteris consignatas, sed etiam ad traditiones notissimas & certissimas, ita Paulus aliquid refert de Janne ac Jambre II. Tim. III. 8. & Judas in Epistola sua de Corpore Mosis & Prophetia Enochi, vers. 9. 14.

γ. Nec

§. CLXI.

γ. Nec hoc prætermittendum, quod Libri nonnulli citati alio nomine extare possint, quam citantur; ita ex gr. Librorum Justorum de Genesi explicant Rabbini.

§. CLXII.

δ. Sed & hoc animadvertendum, quod Libri nonnulli in sacro Codice extent, quorum Auctores vel nomen scriptoris libro præfixum non est; Unde fieri potuit ut, cum eo tempore Scriptor notus fuerit, Liber aliquis nomine Autoris sui citaretur, qui hodie adhuc dum extat, Scriptor vero nobis ignotus est. Etiam hoc verissimum esse potest, tales historicos extare libros in ipso Canone, qui non unum tamen habuerunt Autorem, sed ex variorum scriptis compacti fuere.

§. CLXIII.

ε. Hoc ergo Socinianis probandum incumbit, Libros omnes qui citantur aliquando sacros ac Canonicos fuisse, *secundo* illos fuisse deperditos, neque sub alio hodie venire nomine.

§. CLXIV.

Sequens Controversia versatur circa necessitatem lectionis Librorum V. Testamenti sub N. T. quam Sociniani negant; quorum Argumenta sive *objectiones* ipsis iterum SOCINI proponemus verbis, qui *De Autorit. Script.* p. 36. ita loquitur: *Quandoquidem ista suo tempore & vera fuerint & sancta. Sed postea qualitatem mutarunt, cum mutatum est Testamentum (ut etiam ipsa Nomina indicant Vetus & Novum), id est Fœdus, quod pepigit Deus cum populo suo.* Addit: *Postremo considerandum est &c.* vide verba ejus ad §. 73. Lib. cit.

Cap. IV. pag. 33. *Qui enim*, inquit, *Novum Testamentum recipit*, *habet in ipso*, *quidquid sibi est opus*, *quod attinet ad Doctrinam.*

§. CLXV.

Respondemus α. Ad ipsam Religionis essentiam pertinere, ut sciamus primitus hominem integrum ac sine ulla peccati macula aut corruptione à Deo fuisse conditum; propria vero culpa atque Libertatis sibi concessæ abusu omnem hanc miseriam sibi attraxisse, hoc vero quomodo & quod factum sit melius quam ex Sacris Litteris edoceri non possumus.

§. CLXVI.

β. Neque minus ad ipsam Religionis essentiam spectat, ut multifariam Dei in Ecclesiæ suæ Gubernatione sapientiam cognoscamus, quod aliter quam ex Veteris ac Novi Testamenti collatione disci nequit.

§. CLXVII.

γ. Nec porro minus, vel ipsis Adversariis nostris id concedentibus, ad Religionis revelatæ fundamentum referendum est, ut quam certissimi simus, Jesum Christum esse Messiam ac Prophetam illum à Deo promissum; major autem hujus rei certitudo haberi nequit, quam si Vetus & N. Testamentum inter se conferantur.

§. CLXVIII.

δ. Licet Cultus ille Leviticus abrogatus sit, negari tamen minime potest permulta in Libris N. T. occurrere, quæ aliter quam ex ritibus illis in Mosis Libris descriptis explicari non possunt; nec Sociniani negare poterunt, multa

alia in Codice N. T. occurrere, quæ nonnisi ope V. T. explicare valemus, unde lumen suum accipiunt.

§. CLXIX.

Doctrinam in V. T. contentam qualitatem suam amisisse inde minime sequitur, quod Cærimoniæ externæ in Cultu publico observandæ abrogatæ fuere; Ab aliquarum enim rerum abrogatione ad universalem conclusio inferri nequaquam potest. Unde concludimus V. Testamenti lectionem etiam sub N. T. non modo utilem, sed & necessariam esse.

§. CLXX.

Quoad illam *quæstionem:* An ab homine sine interna ac singulari illuminatione Spiritus S., Sacra Scriptura recte & salutariter intelligi, atque servari possit? Nos negativam tuemur, idque conformiter cum S. Litteris, quæ gratiam & illuminationem Spiritus S. ad S. Scripturam intelligendam necessariam faciunt. Matth. XVI 17. 1. Cor. II. 10. 11. 12. 13. Et peculari Spiritus operationi id adscribitur 1. Cor. XII. 3. 1. Cor. III. 7. 2. Cor. IV. 7. 2. Tim. II. 25. Deut. XXX. 4. Phil. II. 13. 1. Cor. II. 7 - - - 14. Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. Joh. XIV. 16. 17. Act. XVI. 14. 1. Cor. IV. 6. Ephes. I. 17. 18.

§. CLXXI.

Contra hanc Doctrinam OSTORODIUS *objicit* Instit. Cap. I. pag. 7. seq. Quod alterum, inquit, illud concernit, quasi homo sine singulari interna illuminatione & revelatione Spiritus S. nullum usum salutarem ex S. Scriptura habere posset, quando eam legit vel audit legi, cujus eadem

eadem eſt ratio cum concione vel prædicatione Evangelii: dicimus, id (ſi alias verum) debere ex altera harum duarum cauſarum venire, nempe, quod vitium vel apud homines, vel apud S. Scripturam ſit. Si apud homines foret, iterum hoc ex altera harum duarum cauſarum procederet, nempe vel quod Deus hominem ſic creaſſet, ut à natura res divinas, utcunque illi externe revelatas non poſſet intelligere; vel ſi non ita creatus, ejus naturam ergo adeo corruptam & depravatam eſſe, ut homines jam res divinas, utcunque ei externe, ſive verbo ſive ſcriptis revelatas, ſine interna ſpirituali Revelatione, nullo modo intelligere vel capere poſſint. De eo, an vitium penes Scripturam ſit, dicemus poſtmodum. Jam quod hominem ſpectat, & primum an Deus eum ſic crearit, ut divina illi etiam externe manifeſtata, capere nequeat; Adverſarii id pro ſe accipere nequeunt, quia ſentiunt, Deum tali ſapientia hominem in creatione donaſſe, ut perfectam cognitionem, non ſolum omnium terrenorum, verum etiam cœleſtium naturaliter in ſe habuerit. Proinde ad ſecundum devenire neceſſe habent, ac dicere, hominis naturam corruptam eſſe: quod non concedimus & falſum arbitramur, cujus probationem ſuo loco reſervamus, ad diſputationem ſcilicet de libero Arbitrio: Hucusque OSTORODIUS. Ita vero Remonſtrantes Socinianizantes argumentantur: Certum eſt, inquiunt, Diabolos ipſos Scripturæ S. ſenſus neceſſarios cognitu & creditu ad ſalutem clare intelligere, quos tamen credere poſſe atque obedire Deo, juxta ſenſus illos, nemo dicet. Diabolos autem poſſe intelligere ſenſus neceſſarios; id unum

evincit, quod ſeducere homines à fide atque obedientia eorundem ſenſuum, omni ſtudio conentur. Vide *Apologia* pag. 34.

§. CLXXII.

α. Hominem ſpiritualiter mortuum, impotentem ad opus vere bonum edendum, intellectu obtenebratum, & voluntate perverſum eſſe demonſtravimus, Cap. III. §. 821. 823. 871. 869. 870. ut adeo falſum ſit Socinianorum placitum, quod nimirum hominis natura per peccatum non corrupta ſit.

§. CLXXIII.

β. Non negamus impios etiam ac irregenitos litteralem Sacræ Scripturæ ſenſum aliquo modo capere poſſe, ſed non de hoc quæſtio eſt; Aliud enim eſt cognitionem tantum habere theoreticam ac hiſtoricam, aliud eſt pie, ſalutariter ac quantum ſatis eſt intelligere. Non autem de ſimplici aliqua hiſtorica ac naturali cognitione agitur, ſed de tali, qua homo de veritate cœleſti ita perſuaſus eſt, ut lubentiſſime etiam eam ſequatur, ut intima adſit convictio, quam voluntas non poteſt non ſequi; ſic non impii modo ſed & Diaboli quidem ſenſum veritatum cœleſtium intelligere poſſunt, ſed non quantum ad illorum converſionem ac ſalutem ſatis eſt.

§. CLXXIV.

γ. Falſiſſimum vero eſſe illud, quod OSTORODIUS tam audacter aſſeverat, nempe falſum eſſe quod hominis natura corrupta ſit, clariſſime patet, *primo* ex univerſali experientia qua homo quilibet non regenitus intime conſcius eſt ſe naturalem quandam ad peccatum habere propenſionem,

sionem, contra vero ad bonum sentit in sese inertiam. Sed *secundo* ipsimet Sociniani id fateri tenentur, naturam humanam per continuam peccandi consuetudinem depravatam esse, ut talis corruptio, licet non à primo illo Adami peccato originem ducat, ad posteros etiam propagetur. Unde ipsemet SOCINUS *prælectionum* Cap. IV. pag. 13. ita loquitur: *Cæterum Cupiditas illa mala, quæ cum plerisque hominibus nasci dici potest, non ex peccato illo primo parentis manat, sed ex eo, quod humanum genus, frequentibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & seipsum corrupit, quæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur.*

§. CLXXV.

S. Hoc etiam observandum, quod in omnibus Christianis Ecclesiis, imo in Sociniana etiam, semper in usu fuerit Spiritus Sancti gratiam, ad verbum divinum recte ac salutariter intelligendum ac observandum, solenniter implorare; Unde Sociniani usui ipsis etiam recepto contradicunt, dum omnem Spiritus divini illuminationem & auxilium plane rejiciunt.

§. CLXXVI.

Sequens quæstio circa judicem controversiarum versatur: Sociniani asserunt, res fidei omnesque controversias Theologicas ex ratione ceu norma, canone ac argumento decidendas ac examinandas esse. Ecclesia nostra id negat.

§. CLXXVII.

Ita vero res hæc intelligenda est, ut Rationi usus suus in dijudicandis rebus Theologicis minime denegetur; absque ratione enim nihil con-

fici potest; & Rationis usum rejicere velle esset oculos sibi eruere. Uti autem illa veritatum revelatarum norma ac principium esse negatur, ut non secundum suum placitum & sententiam decidere possit, ita ipsi instrumenti functionem adjudicamus, hoc est, facultatem dignoscendi, inferendi & conferendi circa objectum. Non ceu lex & norma in dijudicandis rebus fidei, sed ceu organum dijudicandi, illa adhibenda est.

§. CLXXVIII.

Hoc vero tenendum, quod Ratio aliter se habeat postquam pravis habitibus corrupta, & usu ac consuetudine peccandi: concedentibus ipsis Adversariis, præjudiciis imbuta, æquum ac justum de omnibus rebus judicium fere non amplius queat.

§. CLXXIX.

In rebus Theologicis distinguenda sunt ea quæ ex ipsis Rationis principiis constant, ab iis quæ sunt supra Rationem: in prioribus dijudicandis & nos Rationem normam facimus, in posterioribus nonnisi instrumentum.

§. CLXXX.

Nec negamus in S. Litteris omnia *cum* Ratione concilianda esse, quidquid enim Rationi contradicit illud ceu falsum rejicimus; sed hoc negamus, omnia *ad* Rationem exigenda esse; per Rationem dijudicare possumus num aliquid possibile esse possit, an vero contradictionem involvat, sed modum quo aliquid esse potest illam in omnibus assequi posse plane negamus; licet ergo illa sit judicium *falsi*, minime tamen sequitur illam normam & Principium *omnis veri* esse.

Obji-

§. CLXXXI.

Objiciunt autem α, contra Sententiam nostram, quod hoc modo Atheus vel infidelis converti minime possit: Qui enim, inquiunt, nondum credit Deum esse, Religionem esse, Sacris Litteris fidem habendam esse; is utique Spiritum Sanctum non habet: Ergo ejus ope dijudicare non potest. Jam si Ratio non admittatur sine Spiritu S. nihil ille judicabit. Adeoque Atheus perpetuo manebit.

§. CLXXXII.

At α. Objectio hæc ex male intellecta controversia fluit, omnem enim Rationis usum in Rebus Theologicis minime negamus, uti ex præcedentibus §. §. patet, principium enim ac norma est omnium veritatum in Theologia Naturali comprehensarum, quam cum Athei negant, non aliter quam ex Rationis principiis de illius veritate convinci possunt; Ex quo patet maximum, imo præcipuum, Rationis in convertendis Atheis esse usum. β. Antequam porro ad ipsam Veritatum Revelatarum naturam acceditur, ex ipsis Rationis principiis Theologiæ revelatæ necessitas demonstratur, atque generalia quædam traduntur criteria, ex quibus dijudicari potest, utrum Revelatio aliqua vere talis ac divina sit nec ne? Unde fluit Rationis etiam hac in re ad convincendum Atheum maximum esse usum.

§. CLXXXIII.

γ. Cum igitur Infideli ex Ratione demonstratur, Revelationem non modo nihil in se continere quod à Ratione abhorret, sed omnia ea quæ ipsa tradit divinis Attributis, hominis naturæ,

statuit ac indigentiæ, illius ad Deum relationi, nec non promovendæ ipsius veræ felicitati esse conformia, Ratio ad Atheum convincendum maximum præstat usum. δ. Si res eo devenit, ut is, qui antea infidelis fuit, Sacræ Scripturæ auctoritatem ac divinam originem agnoscat, demum de Rationis usu in dijudicandis veritatibus supernaturalibus, quas sola Sacra Scriptura tradit, agitur, ubi convincendus monetur, ut de veritatibus hisce non ex Principiis rationis judicet, sed judicium totum soli S. Scripturæ deferat, & ab ea unice ac religiose dependeat.

§. CLXXXIV.

Neque nos ferit *objectio secunda*; quod scilicet per Rationem omnia judicentur, neque sine ratione aliquid recipi possit. Rationis, inquiunt Adversarii, sanæ judicio, quid quisque velit, quantum cujusque testimonium valeat, quantum à vero falsove discedat, cognoscitur: quæcunque dubitationes profligantur, quæcunque Controversiæ sopiuntur. Rationis sanæ judicio omnes disputationes legitimæ instituuntur; & sua, quisquis alteri loquitur, dijudicari cupit. Neque quisquam adferre quidquam contra Rationem ausit, quod Rationis judicio non comprobatum ipse velit, ut manifesto appareat, non posse non sibi ipsis contradicere, quicunque sanæ Rationis judicium oppugnatum ullo modo eunt. Quocirca necessarium omnino est, illi & Sacras Litteras intelligendi judicandique facultatem adscribi.

§. CLXXXV.

Nullus unquam Theologorum nostrorum negavit, Rationem esse instrumentum, quo omnia

dijudi-

dijudicantur, sed hoc negant illam in veritatibus Theologicis supernaturalibus esse normam ac principium; & hoc statuunt illam semper ex & ad S. Scripturam omnia Dogmata Theologica, quæ ex sola Revelatione patefiunt, ceu ad Regulam dijudicare debere; minime propterea Rationis judicium oppugnatur, dum illud à certissimo Dei Verbo suspenditur.

§. CLXXXVI.

Nihil etiam contra nos facit *tertia objectio*, quod nihil in Theologia verum sit quod falsum est in Philosophia, unde ex Ratione de veritatibus Theologicis judicare liceat. Ita SMALCIUS Disp. VII. de extremo Judicio pag. 407.; *Nos vero*, ait, *sentimus*, *Philosophiam quidem non debere æquiparari Theologiæ*: *Sed falsam vicissim eam Theologiam existimamus*, *quæ aliquid affirmet contrarium veræ Philosophiæ.*

§. CLXXXVII.

Hoc vero id ipsum est quod (§. 180.) asseruimus & jam alibi demonstravimus. Et rectissime idem SMALCIUS Disp. III. de Sacram. pag. 373. *Nos vero*, dicit, *ultro fatemur*, *plurima esse in Religione Christiana*, *quæ Rationem superent*, *& tamen nobis necessario sint credenda ob id ipsum*, *quia*, *quantumvis Rationem superent*, *tamen in S. Litteris prodita extent*, *& Rationi nostræ*, *quam superant*, *sint maxime consentanea.*

§. CLXXXVIII.

Alia objectio SMALCII *in Præf. ad Ref. Frantzii* ita habet: *Si Ratio Mysteria Dei non intelligit*, *quid igitur ea intelliget? Nonne rationalis*, *λογικὸς*, *cul-*

tus noster Christianus esse dicitur ab Apostolo, tum ob alias, tum ob hanc Causam, quod totus rationi ita sit conformis, ut jure δόγμασι legis opponi possit?

§. CLXXXIX.

Non vero hic quæstio est an Ratio, & quousque, Mysteria intelligere possit? Sed an illa in dijudicandis veritatibus Revelatis sit principium & norma? Neque negamus cultum nostrum totum Rationi debere esse consentaneum, & non tam Corpore quam Spiritu peragendum, cum dicimus Rationem judicium suum ad solam Sacræ Scripturæ Regulam componere debere.

§. CXC.

Ad *Controversias* nunc *de Deo* accedimus, & *primo* quidem ad eam *de æternitate Dei*, quam quidem Dei perfectionem Adversarii non negant, sed male explicant, eam concipientes tanquam successionem temporis habentem per prius & posterius.

§. CXCI.

Cum æternitatis Dei nec incipiat nec desinat (Cap. III. §. 304.), inde etiam fluit, quod omnis successionis expers sit; ubi enim est successio, ibi semper in partibus prioris & posterioris est initium & finis, una durationis pars incipit ubi altera desinit, ubi vero successio partium est, ibi etiam datur numerus partium, si autem per notionem æternitatis illa nunquam incepit, oportet detur regressus numeri illius partium in infinitum; hoc vero cum impossibile sit, omnis enim numerus quantuscunque sit, tandem in Unitatem resolvitur, & ab illa incipit; sequeretur etiam successionem illam partium durationis in

in Deo, sive numerum partium illius successionis, per regressum in Unitatem resolvi, adeoque terminus ponitur ubi successio illa incepit. Omnis ergo successio involvit initium; Cum autem Æternitas Dei sit sine initio, sequitur duas has notiones, *Æternitatem* scilicet *successivam* seinvicem tollere, adeoque impossibilem esse.

Regeri hic posset, æternam creaturarum durationem etiam æternitatem dicendam esse, quæ tamen successionis minime expers sit, unde sequatur æternitatem dari successivam. In sequentibus autem observabimus, inter æternitatem quatenus Attributum Dei est, & perpetuam Creaturarum durationem. quæ sensu improprio æternitas dicitur, maximam esse differentiam.

§. CXCII.

Objectiones, quas contra afferunt Adversarii, CRELLIUS sequentibus complectitur verbis, quæ extant *lib. de Deo & attributis* Cap. XVIII. pag. 127. ubi ita. Etenim S. Litteræ æternitatem Dei describentes, eam ut vidimus, nunc triplici temporum differentia complectuntur, dum dicunt, is qui est, & qui erat, & qui venturus seu futurus est; nunc in duas partes eam dividentes, præteritum & futurum, aut simul, aut disjunctum commemorant. Quorsum enim illa, cum Deum esse dicunt à sæculo in sæculum? Nonne à sæculo præteritam ævi partem, in seculum, futuram significat? Quorsum illa, cum hinc quidem eum ante conditum mundum extitisse aut aliquid egisse docent; cum antiquum Dierum appellant; Hinc vero eum porro permansurum, & annos ejus non defecturos asserunt. Nonne hæc omnia temporum successionem arguunt? Atque ut hanc sententiam sibi quoque ipsi adversari videas; utuntur illi qui eam propugnant,

pugnant, Boëthii potissimum definitionem, qui æternitatem ait esse *Interminabilis Vitæ totam simul & perfectam possessionem.* Ideo autem totam ejus vitæ possessionem simul esse dicunt, ut intelligatur, æternitatem non in infinito quodam seculorum tractu consistere, ita ut alia ejus pars præcedat, succedat alia; sed universam uno eodemque momento existere - - - Interminabilis vita ea demum est, quæ semper durat. Sempiterna autem duratio, quomodo tota eodem momento consistere potest? Siquidem omnis duratio partem habet, quarum alia succedat alteri, alia prior sit, alia posterior. Si potest tota æternitas in uno momento tota consistere, ponatur, Deus momento extitisse ac periisse: num tu eum interminabilem habuisse Vitam, num æternum fuisse dixeris? Eadem ne Vita & momentanea esse potest & æterna? Deinde quo pacto potest indivisibile complecti spatia in innumeras partes divisibilia? Æternitas Dei complectitur omnia, quæ unquam fuerunt aut futura sunt, tempora. Nihil enim eam antecessit, nihil sequetur: Sed quæcunque ab initio Mundi fluxerunt, & ad ejus finem fluent sæcula, intra ejus ambitum continentur. Quomodo ergo indivisibilis est? Quomodo in punctum momentumve collecta? Quis quæso dixerit Punctum aliquod, aut id quod puncti sit instar, amplecti totum hunc Mundum? Indivisibile quodvis quovis divisibile minus est. Majus autem minoris amplexu contineri non potest. Certe hoc pacto non vita nostra respectu æternitatis divinæ puncti instar esset, sed æternitas Dei respectu Vitæ nostræ. Præterea si æternitas Dei quovis momento tota existit, quidquid est æter-

num

num erit. Quidquid enim cum tota æternitate una existit, id æternum esse necesse est. At ista sententia posita, etiam ea, quæ momento existunt, una existent cum tota æternitate. Quin etiam ipsa temporum intervalla & res omnes, licet longissimis spatiis à se invicem disjunctæ, hac ratione simul extiterunt atque existent; & initium mundi, verbi gratia, cum ejus fine connectetur. Omnia enim in illo æternitatis divinæ, ut ita dicam, momento inter se coëunt: Non aliud hac, aliud illa æternitatis parte extitit, vel existet. Quæ vero eodem momento existunt, certe simul existunt. - - Quod si æternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea prius est, nihil posterius: certè cum omnia in ea fiant, omnia eodem momento fient: & quicquid Deus semel fecit, aut facturus est, æternum fecit facturusque est.

§. CXCIII.

Quotquot hic sint CRELLII, VORSTII, aliorumque Argutiæ, omnes inde oriuntur, quod nostram de hoc divino Attributo sententiam non intelligant, neque distinguant inter id quod est in ipso Deo, & quod est extra Deum. *Primo* enim dicta illa ex Sacris Litteris allegata quod attinet, ea Deum ejusque existentiam non considerant qualis in se & sine relatione ad Creaturas est, sed relate eum describunt, qualis esse apparet, si inter illius æternitatem & creaturarum durationem comparatio instituitur. Ita ratione nostri & durationis successivæ mundi dicitur extitisse tempore præterito & extiturus tempore futuro, hoc verissimum est; inde tamen minime sequitur, Deo in se considerato durationem suc-

cessivam

cessivam competere; non enim quæritur qualis existentia illius nobis in duratione successiva viventibus videatur, sed qualis in se sit?

§. CXCIV.

Secundo in reliquis ab indirecto CRELLIUS contra sententiam nostram argumentatur, & absurdas inde deducit consequentias; at in hoc peccat, quod non ex dogmate nostro, sed ex falsa quam nobis attribuit opinione, absurda illa deducat; semper enim supponit æternitatem esse aliquid extra Deum, aliquid à Deo distinctum, cum juxta nos nihil aliud sit quam ipsa Dei existentia, initii, finis & successionis partium expers. Ipsi propterea omnia fere quæ affert concedimus, dum non ex nostra, sed ex falsa argumentetur hypothesi; nobis enim α. attribuit, quod statuamus totam Dei æternitatem unicum esse momentum, idem facit quod illi qui Deum Ens compositum esse credunt, ex nostra de Dei simplicitate sententia nobis affingunt, nos ex Deo facere punctum aliquod Mathematicum. At licet dicamus Deum esse omnis initii, finis ac successionis partium expertem, neutiquam tamen sequitur, nos divinam existentiam ceu momentaneam concipere, sed potius hæc de æternitate divina notio omnem momentaneam durationem, sive quam momentis metiri licet excludit, & indicat, illam in comparationem cum duratione successiva sive momentanea minime venire. β. Supponit id quod in quæstione est, nempe quod in Dei existentia pars altera alteri succedat. γ. Semper confundit modum existentiæ Creaturarum cum modo existentiæ divinæ; & idcirco semper comparatio-

nem

nem instituit inter ea, cum tamen ea quæ in Deo sunt ab iis quæ in Creaturis deprehenduntur toto cœlo differant; non concipit adversarius à modo quo creaturæ existunt ad modum existentiæ divinæ conclusionem inferri & comparationem institui minime posse. Unde tota ejus argumentatio ita habet: Creaturæ habent successivam durationem, in qua una pars alteram semper excipit; Ergo idem etiam in Deo locum habet; cum tamen Dei essentia & existentia cum Creaturarum essentia & existentia nihil plane commune habeat. Potest ergo Deo talis existentia competere, quæ omnium partium successionis expers est, licet in mundi, qui aliquid à Deo diversum est, duratione una pars alteram sequatur. In hoc autem CRELLIUS maxime peccavit, quod Deum à Mundo non distinxerit. Ex hisce quæ diximus omnia facile dilui possunt sophismata; quod scilicet ex nostra sententia tota æternitatis unicum tantum momentum efficiat, & quod illa ratione vitæ nostræ nonnisi momentum sit & quæ similia.

§. CXCV.

Ut rem breviter absolvamus hoc adversariis probandum incumbit, *aut* æternitatem sive existentiam Dei omnis successionis partium expertem in se impossibilem esse, *aut* eam reliquis attributis divinis contrariam, ut cum illorum perfectione consistere nequeat; omnis enim cum Creaturarum existentia comparatio ad rem plane nihil facit, neque cum creaturis Deus quidquam commune habet. Quæ in Deo deprehenduntur talia qualia in se sunt considerare oportet.

Sequen-

§. CXCVI.

Sequentem Articulum de *divina omnipræsentia* quod spectat, divinam hanc perfectionem (Cap. III. §. 658.) demonstravimus; superest ut ad Adversariorum *objectiones*, quæ nonnisi ex crassa de Deo notione ortum suum trahunt, respondeamus.

§. CXCVII.

α. Ita CRELLIUS *Lib. de Deo & attrib.* Cap. XXVII. pag. 277. crasse contra nos argumentatur: *Ejus autem*, inquit, *essentiam in quovis pulvisculo atque Atomo totam latere, ac in locis quibusvis spurcissimis non minus, quam in augustissimo Cœlorum domicilio extare, & porro obscœnissimis etiam atque impurissimis actionibus plane mediam intervenire, & cum iis rebus intime jungi, à quibus vel cogitatio abhorret; id de Deo sanctissimo atque augustissimo omnino sentiendum esse, & sine certissima salutis jactura ignorari non posse; nondum ex Sacris Litteris discere potuimus.*

§. CXCVIII.

Dilui hæc facile possunt ex iis quæ Cap. III. §. 657. 658. de hac Perfectione diximus: neque Deo tribuimus essentiæ diffusionem, aut intimam aliquam junctionem sive commixtionem, neque in divina essentia concipimus totum aliquod quantitativum, cui partes respondeant. Unde quæ hic ab adversario afferuntur, nos plane nihil feriunt.

§. CXCIX.

β. *Secunda objectio* inde desumta est, quod Dei præsentia vulgo in Cœlis constituatur. Ita enim l. c. interjectis paucis CRELLIUS pergit: *Itaque*

que, ait, *ignoscendum saltem iis est, qui ob summam Dei Majestatem, ac Venerationem Numinis illius; ista de eo cogitare non audent, & malunt simplicius quam à plerisque Theologis fieri solet, & vulgari loquendi consuetudini accommodatius accipere & credere id, quod toties tamque aperte inculcant S. Litteræ: nempe Deum in cælo, in alto, in excelsis esse aut habitare, cælum ipsius esse habitaculum, sedem, domum è cælo illum attendere, exaudire, in templis manufactis non habitare &c. quod omnium temporum fide Author probare conatur.*

§. CC.

Sed *α*. Inde quod Deus in Cœlo esse dicitur, neutiquam excluditur omnibus reliquis, quæcunque in toto Universo existunt, eum etiam præsentem esse. *β*. Caussa vero cur Deus in S. Litteris in Cœlis præsens dicitur hæc est, quod ibi creaturis sese ceu summum Bonum maxime fruendum exhibet, gratiam suam cum reliquis attributis plus quam hic in terra manifestat, unde omnium etiam piorum desideria eo diriguntur.

§. CCI.

Tertio Adversarius noster varia absurda ex nostra sententia elicere conatur, dum ita pergit: *Primum, Deum infinitum esse, & nihilominus in minimo quovis pulvisculo, aut spatio, quod oculorum etiam nostrorum aciem fugiat, totum consistere, totumque puncti instar esse. Deinde Deum eidem rei simul & æqualem & inæqualem, infinities majorem & minorem esse, --- Ad hæc Deum respectu ejusdem plane rei, & secundum eandem rei cujusvis partem, totum extra & intra, supra & infra, ante & post, ad dextram & ad sinistram esse; imo non tantum respectu*

aliarum rerum, verum etiam respectu sui ipsius: quæ omnia cum opposita sint, tacitam contradictionem in se continent. Præterea omnia corpora, licet extra se invicem posita, ac longissime à se mutuo distantia, secundum omnes tamen partes simul juncta esse. Junguntur enim secundum omnes partes Deo invisibili ac porro etiam inter se jungentur secundum omnes partes, ubicunque res illa indivisibilis existit. Quæ enim eidem secundum idem junguntur, etiam inter se junguntur. Quæ autem Deo junguntur, secundum idem ei jungi necesse est, non secundum diversa membra seu partes, siquidem tota toti jungantur.

§. CCII.

Eadem hujus *objectionis* ratio est, quæ ejus, quam contra Æternitatem Dei affert CRELL US (supra §. 192.): Quod scilicet totam Æternitatem momento sive puncto temporis includamus. Uti vero illa *objectio* à falso de Æternitate conceptu ortum trahit, ita etiam hæc de Dei Omnipræsentia falsæ, quam de sententia nostra habent, opinioni Originem debet. Putant nos, nescio quam, corporalem Deo attribuere præsentiam, quæ fit per diffusionem aut per extensionem, totum aliquod quantitativum quod ad res corporales mensurari potest, quod oppido falsum. An quæsumus Deus ideo major fit, quod integro homini præsens, quam si pulvisculo præsens est, An cum Corporibus coëxtensus est? Si nostram percipere mentem non possunt Adversarii, dum dicimus divinam essentiam omnibus rebus præsentem esse & quidem totam, invertant Propositionem ut statuamus, omnes res in toto Universo totas Deo præsentes esse; nobis perinde est, qua ratione quæstio formetur.

At

§. CCIII.

At supponamus Socinianorum hypothesin veram esse, scilicet Deum secundum Essentiam suam nonnisi in Cœlo præsentem esse, idem ex opinione illa sequitur quod ex nostra; si eadem qua Adversarii ratione argumentari velimus; nempe si Deus ibi præsens est pulvisculo, quærere possum an totus, an vero per partes ipsi præsens sit? Si per partes, oportet statuatur Deum ex partibus compositum divisibilem, extensum esse. Si totus pulvisculo præsens est, tunc non Cœlo sed unico solum pulvisculo præsens dici potest. Si præsens est Animabus Beatorum aut Angelis, aut cuilibet totus præsens est, aut solummodo illius pars aliqua; posterius dici nequit, ergo prius; si vero uni solum Angelorum aut Animarum totus præsens sit, à reliquis absens est adeoque nec Cœlo præsens dici potest.

§. CCIV.

Sequens Controversia versatur circa divinam *Omniscientiam*, de qua quæritur, an comprehendat etiam futura contingentia? Quod Sociniani negant. Deum Omniscium esse demonstratum à nobis est (Cap. III. §. 346.), ubi ostendimus, divinam Scientiam ad omnia sese extendere, quæcunque possibilia sive futura sive non futura sint. Nunc ut objectiones solvamus superest.

§. CCV.

Prima Objectio à CRELLIO *lib. de Deo & attributis* Cap. XXIV. pag. 202. hisce proponitur verbis: *Nam si omnia futura, qualicunque sunt, Deo ab omni æternitate determinate cognita fuisse contendas; necesse est statuere omnia necessario fieri, ac*

 futu-

futura esse. Unde sequetur, nullam esse aut fuisse unquam humanæ Voluntatis libertatem; ac porro nec religionem. Quin & ipsi Deo arbitrium, seu Voluntatis libertas neganda erit. Quod nihil est aliud, quam Deum negare Deum esse, ut alia nunc reticeam absurda, ex eo dogmate in Deum redundantia; inferius, quantum instituti nostri ratio feret, commemoranda. Nam si omnia determinate ab æterno Deo fuerunt cognita; nihil in rerum natura erit, quod absolute sit contingens, sed omnia erunt necessaria. Absolute autem contingens dico, quod habita ratione omnium caussarum, à quibus pendet, contingens est, hoc est, non tantum ratione causarum secundarum, à quibus forte proficisci queat; sed etiam ratione Caussæ primæ, hoc est, Dei: ita ut simpliciter possit, vel fieri, vel non fieri.

§. CCVI.

Respondemus α. Ut aliquid necessitetur, sive ex contingenti necessarium fiat, oportet accedat actio aliqua ab extra, quæ objectum aliquod necessitat, sive caussa aliqua extrinseca, quæ agit in objectum, sine hac enim nulla dari potest ratio, cur res illa per aliam rem extra se necessitaretur; ut ergo divinus Intellectus sive omnium rerum præscientia ex re in se contingente necessariam faceret, actio aliqua divini Intellectus in rem illam requireretur, sine hac enim mutari non posset; atqui notio Intellectus & præscientiæ divinæ nullam in res extra se involvit actionem; E. Infinitus Dei intellectus & omniscientia, qua res omnes possibiles sibi repræsentant, nullam rebus mutationem infert, nec ex contingentibus necessarias facere potest; sed res tales

sibi

ſibi repræſentat, quales ſunt, neceſſarias ceu neceſſarias, & contingentes ceu contingentes.

§. CCVII.

β. Neque ullo modo humanæ Voluntati Libertas auffertur, dum divinus Intellectus & rerum repræſentatio ſimplex ac Præſcientia ſola in actiones ſive Voluntatem humanam non influat, neque propterea eam neceſſitet; & licet certo futuræ ſint actiones illæ, futuritionis certitudo contingentiam tollere nequit, cum neque hæc actionis qualitatem mutet, aut in illam influat; non magis ac ſi aliquis præſcit & certiſſimum eſt, me cras Scripturam hanc continuaturum, id aut libertatem meam tollit, aut actionem meam neceſſariam facit; hoc enim non obſtante libera manet ac contingens actio mea.

§. CCVIII.

γ. Quomodo vero ipſi Deo arbitrium & voluntatis Libertas auſferatur per Præſcientiam omnium futurorum, Adverſarius non oſtendit; neque quisquam id oſtendere poterit, dum nihilominus omnia dependenter à Deo fiunt quæcunque fiunt; contrarium potius demonſtratu perfacile eſſet, quod ſcilicet, ſi Deo omnium rerum Præſcientia denegetur, Intellectus illius non modo à rebus extra ſe dependens fiat, ſed quod illius etiam Voluntas ſecundum res illas quæ Deo inſcio contingunt ſeſe determinare debeat, adeoque non liberrimo voluntatis actu omnia dirigat. Mirum eſt, quod Sociniani exiſtiment divinam Præſcientiam, ac futuritionis rerum certitudinem, actionum libertatem tollere, ſed contra agnoſcere nolint, ſi Deum à rebus extra

se dependentem faciunt, tum in intelligendo tum in volendo, id non modo divinis Perfectionibus multum derogare, sed summam etiam illius Libertatem limitibus circumscribi.

§. CCIX.

Ea Scripturæ loca, quæ à SOCINO *Prælect.* Cap. XI. pag. 39. à VORSTIO in *Notis ad Disput.* V. pag. 265. & à CRELLIO *de Deo* Cap. XXIV. pag. 208. afferuntur, nihil contra nos probant: Uti *Gen.* VI. 6. 7. ubi Deum pœnituisse dicitur. Item Cap. XXII. 12. *Esajæ* V. 4. *Num* XIV. 12. 22. 23. 28. 29. 30. Vis objectionis in hoc consistit, quod Deus dicitur *pœnitere*, *exspectare*, ac hominem *tentare*; inde concludunt, illum futurorum contingentium non præscium esse.

§. CCX.

At nisi ex Deo hominem facere velimus, maximasque ipsi imperfectiones adscribere, facile patet non sensu proprio, sed improprio & ab hominum actionibus desumto hæc explicanda esse; & ipsemet CRELLIUS l. c. pœnitendi verbo tropum subesse fatetur, & si Deus expectare dicitur, agnoscit humano more Scripturam de Deo loqui; Si vero fatente ipso Adversario non proprie verba hæc accipienda sunt, argumenti vis nulla est; sed hoc sequitur, phrases ab hominum actionibus esse desumtas, & pœnisi ad effectum respicere; unde humano more Deo talis affectus adscribitur qualis apud homines est, si ejusmodi effectum produnt; unde optime MENASSE BEN ISRAEL *in Conciliatore in Pentateuchum* ad Gen. VI. 6. Qu. XXIII. observat: Pœnitentia, inquit, infert ignorantiam præteriti, præ-

præſentis & futuri, mutationem Voluntatis, & errorem in Conſiliis, quorum nihil in Deum cadere poteſt. Dicitur tamen ille pœnitentia duci. Quemadmodum nos, quando alicujus nos rei pœnitet, abolemus id quod antea feceramus, quod non fieri poteſt ſine tali mutatione Voluntatis; qua nunc homo aliquid facit, quod poſt mutato animo deſtruit. Atque ita quando dicitur Deum pœnitentia duci, accipiendum de effectu, quatenus hominem quem creaverat diluvio ſuſtulit. Sic ſane R. MOSEH & doctus ABEN EZRA, in ſimilibus caſibus ſemper utuntur his verbis: loquitur lex humano more, nimirum accommodat verba ſua corporeis & ſenſibilibus, quo melius capiantur. Hactenus Judæus. Eadem, ratione *Exſpectationis*, reſponſio locum habet. *Tentare* Deus hominem dicitur non ad ſui ſed ad hominis inſtructionem, alias Deus non ſolum futura ſed & præſentia neſciret. Alia vero quæ ab Adverſariis afferri ſolent dicta, conditionem ſemper ſupponunt, ſub qua Deus aliquid vel facturus vel non facturus eſt.

§. CCXI.

Nullius fere ponderis illa SMALCII *objectio* eſt, quam contra *Frantzium* Diſp. XII. *de Cauſ. pecc.* pag. 436. affert, dum inquit: *Dicere: Deum illa, quæ nullo modo ſunt, ſcire, qualia ſunt futura contingentia, eſt ſibi contradicere. Nam quod ſcibile eſt, illud contingens proprie non eſt: Quod contingens eſt, proprie ſciri non poteſt.*

§. CCXII.

Sed α. ex hoc ſequeretur, Deum ante hunc Mundum conditum nullam plane de eo cogni-

tionem habuisse, cum totus Mundus, & quidquid est in eo, sit Ens contingens, quod Adversarii facile concedunt; Deus ergo aliquod extra se producere decrevit, de quo ipsemet nullam habuit Ideam; imo nescivit quid illud futurum sit, dum totus nexus rerum sit contingens; Imperfectior hac in parte Deus esset ac Architectus aliquis, qui ædificii formam, quod exstructurus est, prænoscit; imperfectior ac Rex aliquis aut Pater familias, qui novit quid in Regno vel familia sua subditi ad ipsius normam facturi sint. Imo Deus cœco quodam impetu ageret quidquid ageret, nesciens qualem eventum tandem opera sua habitura sint; Intellectus illius ac Scientia novum semper augmentum caperet; hodie doctior foret quam heri fuit; à Creaturis in actionibus extra se totus dependeret; & creaturarum voluntas actionum divinarum Regula esset, quod quantam in Deo imperfectionem arguat quisque facile videre potest; Deus non aliter se in hujus Mundi regimine haberet, ac nauta aliquis peritus, qui aliud nihil facere potest quam quod navim huc illuc actam, atque à ventis agitatam, ita dirigit ut ex maximo elabatur periculo, & navis non pessundetur, nesciens quodnam tandem ipsius futurum sit fatum, aut ad quem tandem portum navis adpulsura sit.

§. CCXIII.

R. Si contradictionem involvit, quod Deus ea scire dicatur quæ nullo modo existunt, sequitur Deum etiam præterita nescire, dum & illa nullo modo existunt, neque futura contingentia nullo modo futura dici possunt Contradictionem involveret, si diceretur, Deum ex certo

futu-

futura præscire, quæ nullo modo futura sunt; at dicere, Deum noscere ea quæ futura sunt futura esse, nullam plane contradictionem involvit.

§. CCXIV.

Alia SOCINI *Objectio* inde desumta est, quod nulla hujus Præscientiæ sit utilitas. Ita enim inquit *Prælect.* Cap. VIII. pag. 27. *Cui enim usui, obsecro, ista prænotio esset? Annon satis est, Deum cuncta regere perpetuo ac gubernare, nec ipsa plane nolente quidquam fieri posse: sed cum ubique semper, ita scientia sua ac potentia sua præsto esse, ut omnes hominis conatus & perspicere & si sibi visum fuerit impedire possit, infinitaque sua sapientia quidquid homo moliatur aut moliri queat, omnia ad sui gloriam convertere, & qua ratione, prout hominis conatus fuerit sibi agendum sit, jam antea, si ita placet, constituisse? certe prænotio ista, tantum abest ut aliquid Deo tribuat, ut potius illi nonnihil adimat, id est, curam perpetuam, quam rerum humanarum gerit, aliqua saltem ex parte tollat atque obscuret, & otiosum quodammodo eum reddat.*

§. CCXV.

Hæc SOCINI verba studio adduximus, ut inde appareat, quam male de Deo philosophetur, & quam perversum de eo habeat conceptum; Nullius divinam Præscientiam usus esse asserit: Sed is est *α.* usus, quod Intellectus divinus nullis circumscribitur limitibus, si omnia quæcunque fuerunt, sunt & futura sunt, unico actu sibi repræsentat. *β.* Si præscientia illa stabilitur, Deo nihil ab extra accedere potest, uti fit, si in repræsentationibus ac Consiliis suis à rebus extra se dirigitur. *γ.* Nullis proinde mutationibus obnoxius

 est;

est, si nec Intellectus nec voluntas ipsius à rebus extra se aliquo modo dependet. δ. Non quæritur de Deo quid satis sit, (uti Adversarius loqui amat), ut ipsi tribuemus, sed quid per illius essentiam ipsi revera competat, & quid ex ea demonstrari possit? Absurdum est de Deo dicere, satis esse ut ipsi hoc vel illud adscribatur, dum illius Perfectiones nullos limites habent; si de divinis Attributis sermo est omne *satis* excluditur, quoniam omne id ab eo excluditur, quod citra infinitum subsistit. ε. Ab omni vero ratione plane abhorret, quod Adversarius dicit ex nostra sententia Deo aliquid adimi, curam ipsius circa res humanas tolli, illumque quodam modo otiosum reddi, hæc cum seipsa confutent, ut respondeam necessum non est.

§. CCXVI.

Alia quæstio circa Attributa Deì in genere versatur, de quibus Sociniani affirmant, quod Deo insint per modum accidentis, ut realiter à Deo & inter se differant.

§. CCXVII.

Objectiones magni momenti non sunt, ita nimirum α. GOSLAVIUS contra *Keckermannum* argumentatur Part. I. Cap. III. pag. 27. *His adjicio*, inquit, *numero eadem futura, Dei posse & velle: Si posse est Deum esse tum & velle. Quia esset Deus non Deus: Si utrumque non idem inter se, & tamen unus & idem Deus. Atqui posse & velle in Deo idem non est. Etenim Deus multa potest, quæ non vult: Ut, mundum hoc momento temporis destruere, mortuos in vitam revocare. Nam quid prohiberet, si vellet? Falsum igitur est, Deum quid-*

quid

quid in Deo est. Pag. 71. Postquam de nonnullis Dei Attributis loquutus est addit: *Patet: quia Dei definitio non competit his. At quaecunque praedicata essentialiter dicuntur de subjectis suis, illorum definitio his tribuitur.*

§. CCXVIII.

Inde haec *Objectio* fluit, quod adversarius nescit, distinguenda esse divina Attributa qualia in se sunt, sive in ipso Deo, ab illorum effectis extra Deum; Non negamus effectum divinarum Perfectionum esse aliquid à Deo diversum, quatenus vero Attributum consideramus ceu facultatem aliquam in ipso Deo, id à Deo realiter differre negamus, cum Ens simplex & omni gradu perfectissimum ejusmodi distinctionem excludat. Verum omnino est Deum multa posse extra se producere, quae non vult producere; Omnipotentia enim illius ad omnia possibilia sese extendit; at inde non sequitur, haec duo posse & velle realiter in Deo differre, ut enim extra se aliquid sistatur, nihil opus est quam ut Deus velit illud existere; ut Deus per idem per quod vult etiam possit. Neque putandum est divinam Potentiam latius quam vero Voluntatem patere, nam licet multa in se possibilia non ad actum producat, quae per Omnipotentiam producere posset, tamen etiam circa ea illius voluntas versatur, dum vult ea non existere, uti contra de reliquis vult ut existant.

§. CCXIX.

Altera GOSLAVII *objectio* loc. cit. ita habet: *Actiones Dei non sunt ipse Deus: quia non omnes sunt aeternae: & sunt cum aliquando non fuerint; de Deo, haec dici nequeunt.*

Non

§. CCXX.

Non distinguit Adversarius in divina actione id quod est in ipso Deo, & nihil aliud est quam ipse Deus agens, ab eo quod est effectus illius actionis extra Deum; Non de posteriori quæritur an realiter à Deo differat? Sed an facultas illa agendi realiter ab essentia divina sit distincta? Sive, an non sit ipse Deus agens? Adversarius dicit, non omnes divinas actiones esse æternas; hoc quidem verissimum est quoad *effectum*, quatenus actio sumitur pro eo quod *extra Deum* sistitur, sive pro *effectu*; at negatur quoad *facultatem agendi*, quam Deus ab omni æternitate habuit vi essentiæ suæ.

§. CCXXI.

Una ex difficillimis quæstionibus, quam Sociniani movent est ea, quæ circa Sacrosanctæ *Trinitatis Mysterium* versatur; de quo ita Adversarii sentiunt, ut illud pernegent, statuentes in divina Essentia nonnisi unam esse Personam. Cum hic non modo cum Socinianis, sed & cum omnibus reliquis Antitrinitariis res sit, non ad illorum modo, sed ad omnes, quæ à cæteris etiam afferuntur difficultates respondebimus.

§. CCXXII.

Argumentum quod *Catechesis Racoviensis* contra Sacrosanctum hoc Revelationis dogma affert, jam supra ad §. 30. adduximus. GOSLAVIUS vero *objectionem* ita format pag. 120. *Nam cum persona Trinitatis sit essentia Dei, individua, intelligens, non possunt multiplicari personæ, essentia Dei non multiplicata. Unum & idem, simul unum & multa esse nequit. At persona Trinitatis, & Essentia indi-*

individua intelligens, unum & idem, simul unum & multa esse nequit VOLKELIUS Lib. V. *de Religione Socin.* Cap. IX. pag. 402. ita ratiocinatur: *Ac primo*, inquit, *quod ad tres Personas una essentia comprehensas attinet; nihil hac sententia à vero alienius esse inde patet, quod non solum ipsa rei istius natura, sed omnes etiam sanæ mentis homines summo consensu comprobant, divinam essentiam numero unam, unumque adeo tantummodo Deum esse. Ex quo consequitur, fieri nequaquam posse, ut in divina essentia plures sint personæ, quarum quælibet sit unus ille verus sempiternusque. Hæc enim usque adeo se invicem convellunt, ut pluribus in divina essentia personis concessis, ejusdem unitas necessario tollatur. Nam & unum & tres summos Deos hæc sententia inducit. Fieri enim non potest, quin si ea vera est, quælibet divina Persona propria sua nitatur substantia; (aliter nec per se subsisteret, nec revera alia à reliquis censeri posset) & sic non una, sed tres sint divinæ essentiæ. Essentiæ quippe intellectu prædita, qualem Dei esse nemo ignorat, nihil quicquam à persona differt; cum Persona nihil sit aliud, quam essentia, seu mavis substantia intellectu prædita.*

§. CCXXIII.

Ut ad *Objectiones*, quæ contra Trinitatis Mysterium afferuntur, distincte respondeamus, in certas classes prius illæ dividendæ sunt: Difficultates enim quæ afferuntur omnes respiciunt *vel* realem personarum distinctionem, sive Mysterium hoc in genere; *vel* divinitatem Filii in specie; *vel* Spiritus Sancti. *Argumentum* quod modo ex *Catech. Racov.* ex GOSLAVIO & VOLKELIO allegavimus ad primam Classem pertinet, Mysterii hujus possibilitatem impugnat, & breviter, ita

ita sonat: *Quod numero unum est, non potest esse numero plura, alias statueretur contradictio. Sed Natura divina numero una est. Neque ergo Personis numero diversis multiplicari potest.*

§. CCXXIV.

Respondemus distinguendos hic esse *varios respectus* sive *relationes*; Deitas nimirum numero una est ratione essentiæ, quæ unica est, diversa tamen esse potest ratione Personarum illarumque subsistendi modi & *proprietatem*: Unde Syllogismus ita solvendus est: Quidquid numero unum est, illud eo respectu, quo numero unum est; non potest esse numero plura. Atqui divina Natura una solummodo est, Essentia scilicet. E. respectu essentiæ non potest esse numero plura; id quod nos minime negamus. At si alio respectu Deum considerant Adversarii, proprietatesque ejus personales, quæ sunt diversæ; minime ita argumentari possunt: *Quidquid certo respectu numero unum est, id omnibus respectibus, quocunque modo consideretur, unum numero est; Atqui divina natura respectu essentiæ una tantum numero est. E. ratione omnium respectuum, Personalitatis etiam, numero una est, proptereaque non plures potest continere Personas.* Hoc enim modo si Syllogismus formetur, negamus Majorem.

§. CCXXV.

Alia Difficultas, quam nonnulli insolubilem putant, hæc est: Trinitatem consistere non posse cum Canone: *Quæcunque sunt eadem cum uno tertio, illa sunt eadem inter se.* Hunc canonem dicunt fundamentum esse omnis ratiocinationis Syllogisticæ; dum ideo diversi præmissarum termini

mini in conclusione connectantur, quia in uno tertio, termino scil. medio, conveniunt: At hoc Trinitati adversari videtur, licet enim personæ Divinitatis in uno tertio conveniant, scilicet in Essentia divina, non tamen conveniunt inter se. Dici enim nequaquam potest: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus; E. Filius & Spiritus S. est Pater.* Unde aut Canon hic falsus sit oportet, aut essentia divina cum Persona identificari nequaquam potest.

BÆLIUS in Dict. Hist. Crit. Art. Pyrrhon. Nota B. Edit. Basil pag. 732. Difficultatem hanc hisce proponit verbis: *Il est evident que les choses qui ne sont pas differentes d'une troisieme, ne different point entre elles: Quæ sunt idem uni tertio sunt idem inter se: C'est la base de tous nos raisonnemens, c'est sur cela que nous fondons tous nos Syllogismes, & neanmoins la Revelation du Mystère de la Trinité nous assure que cet axiome est faux. Inventez tant de distinctions qu'il vous plaira, vous ne montrerez jamais que cette maxime ne soit pas dementie par ce grand Mystère.*

§. CCXXVI

Respondemus ante omnia observandum esse Naturam divinam sumi *vel* ESSENTIALITER pro essentia divina, quæ omnes tres Personas complectitur, & abstracte à Proprietatibus personalibus illarumque relationibus consideratur; *vel* PERSONALITER pro certa Divinitatis persona. Id est, vel *absolute* vel *relative*. Sequitur ex his, quod si aliquid de divina Natura priori sensu sumta asseratur, id eoipso non semper de Divi-

nitate

nitate posteriori sensu sumta dici posse, & vice-versa: Cum alius ejus sit modus, alius respectus. Ut clarius me exprimam: Aliquid de Essentia divina, quatenus omnibus tribus personis æque communis est dici potest, quod de illa dici non potest, quatenus Proprietate aliqua personali characterisata est; sive Divinitas certo respectu considerata certas habere potest Proprietates, quas aliter considerata non habet sed alias & distinctas; quod ne minimam quidem involvit contradictionem & optime concipi potest. β. Quod nunc Canonem illum logicum attinet quam BAELIUS affert, ille Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio nequaquam tollitur aut impugnatur; ita enim ille intelligendus est, quod quidquid convenit in uno tertio convenit inter se, sive est idem inter se, nempe in eo tertio in quo idem inter se est, quod nos non negamus, sed hoc negamus, quod quidquid in uno tertio idem inter se est, etiam in omnibus quæcunque de eo dici possunt, quocunque consideretur respectu, idem inter se sit. Concedimus ideo Tres Divinitatis Personas in eodem tertio idem inter se esse cum quo idem sunt, nempe cum Essentia divina absolute considerata, quam omnes tres communem habent: At negamus inde sequi, Proprietates Divinitatis personales atque characterisatas idem inter se esse, quia sunt idem inter se in aliquo tertio, nempe essentia divina absolute spectata; ut adeo canon hic recte explicatus, non obstante Trinitate, optime consistere possit.

§. CCXXVII.

Celeberrimus CARPZOVIUS in *Revelato Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio methodo demonstrativa*

propo-

proposito pag. III. ex POLYC. LYSERO *in Apparatu Literario Societatis Colligentium pag.* 212. etiam hanc movet & solvit Difficultatem; quod S. S. Trinitatis Mysterium rationi adversetur, & contra canonem impingat, *quod impossibile sit, ut tria perfecte æqualia quartum, quod nec aliud, nec majus quid est quam unum ex his tribus, constituere possint.* Sive *Pars non potest esse æqualis toti.*

LYSERI verba ita se habent: „Ratio objicit: in „Patre est tota substantia & essentia divina: in Filio „est tota substantia divina: in Spiritu Sancto est „tota essentia divina. Pater non est Filius, non „Spiritus S., Filius non est Spiritus Sanctus; E. dan„tur tres Essentiæ divinæ. Ut evincam esse Myste„rium hoc contra rationem, addo Demonstrationem „Mathematicam:

„Sit Pater $= a$.
„Filius $= b$. Tota Subst. divina $= x$.
„Spiritus S. $= c$.

„Ex hypothesi (Trinitariorum) est
$$a = x$$
$$b = x$$
$$c = x.$$

„E. $a + b + c = x + x + x = 3x$

„Atqui ex mente orthodoxæ sententiæ Pater, Filius „& Spiritus S. sunt una Essentia divina, id est

$$a + b + c = x$$

„Ergo foret

$$x + x + x = x \text{ sive } 3x = x$$

„At contra rationem est, partem esse æqualem toti. „E. & Mysterium Trinitatis est contra Rationem. „Q. E. D.

§. CCXXVIII.

Ad difficultatem hanc removendam attendendum. *α.* Calculos algebraicos nonnisi ad quanti-

tates applicari posse; cum vero Trinitati nec partes nec quantitas corporalis competat; quæ proportionem aliquam magnitudinis vel aliud Corporis Attributum habeat; etiam mysterio huic ne calculus hic applicari potest: illud enim nec æquale nec simile quidquam in rebus physicis habet. β. Mysterium hoc definivimus, quod sit *Essentia divina cum certis Proprietatibus numero tribus, quas eadem aliter considerata non habet sed alias & distinctas* (Tom. I. Cap. III. §. 1124.) Proprietas enim unius personæ non competit alteri, ut revera una non sit altera. Tres illi tamen unum sunt; hoc est, omnibus Tribus illis Divina ἀξιώματα & ἰδιώματα conveniunt atque communia sunt. Ex hisce nunc patet, Divinitatem non considerandam esse ceu ex tribus constantem partibus, quarum Divina substantia totum aliquod efficiat, cui calculus Arithmeticus dividendo, subtrahendo, multiplicando & addendo, nec non mensura Geometrica applicari possit. Neque ullam contradictionis speciem habet, si dicimus, substantiam divinam *Tres speciales* habere *Proprietates*, quæ à seinvicem differant, ut una Proprietas non sit altera, id tamen commune habere, quod ad Divinitatem absolute spectatam pertinet. Minime vero necesse est, ut distinctionem harum Proprietatum ad ea distinctionum Genera revocemus, quæ in Creaturis obtinent; siquidem Divina substantia cum creaturis nihil commune habeat.

§. CCXXIX.

γ. Celeberrimus CARPOVIUS dubium à *Lysero* allatum optime solvi putat, si ostendatur, illum

illum male ex nostra sententia argumentatum esse, dum si recte sententiam nostram intellexisset, ita debuisset inferre (licet & hoc modo si Algebra Mysterio huic adplicetur, difficultates non desint):

„Sit tota Substantia divina $=$ Patri $(a) +$ Filio $(b) +$ Spiritui S. $(c) = x$.

E. $2.\ x = 2a + 2b + 2c$.
„Deus Pater $= a = x - (b + c)$
„Deus Filius $= b = x - (a + c)$
„Deus Sp. S. $= c = x - (a + b)$

„E. $a + b + c = 3x - (2a + 2b + 2c)$
$3x - (2a + 2b + 2c) = 3x - 2x = x$.

E. $a + b + c = x$.

„Ita prodit, Patrem Filium Spiritumque S. constituere divinam substantiam, quod Doctrinæ nostræ „est conveniens.„ Addit deinde celeb. CARPOVIUS; pag. 113. in Scholio: „Sunt equidem, quibus displicuit hæc meditatio, dum aliis inconveniens visum fuit, Trinitatem ex Algebra demonstrare velle; alii petitionem Principii & circulum „in præcedentibus invenire sibi visi sunt. Utrique non satis capiunt mentem meam. Approbo „eorum sententiam, qui Trinitatem ex Calculis algebraicis non demonstrandam esse contendunt. „Sed non est hæc mens mea Non demonstrare „hic volui Trinitatem, sed dubium removere. Remotio autem dubii & demonstratio Theseos non „eadem sed diversa sunt. Majori cum specie agunt „posteriores objicientes, qui circulum commissum „esse credunt, ideo quod in conclusione fit, quod „erat in hypothesi, nempe $a + b + c = x$. sed attendant velim, distinguendum esse inter demonstrationem & objectionis remotionem. Si mihi „animus fuisset, Trinitatem per præsentem calcu-

„lum demonſtrare, & in concluſione producerem,
„quod erat in hypotheſi, concederem circulum à
„me commiſſum eſſe. Sed modo monui, me no-
„luiſſe. h. l. demonſtrationem inſtituere. Longe
„alia eſt ratio remotionis dubii. LYSERUS ex no-
„ſtra de Trinitate doctrina abſurdum derivat, nem-
„pe quod

$$x + x + x = x.$$

„quo, eandem ſane rationi repugnare, mathema-
„tice ſe demonſtraſſe credit. Qui autem falſo &
„ita, ut noſtræ doctrinæ minus conveniens eſt, hy-
„potheſin formavit, nempe quod

$$a = x$$
$$b = x$$
$$c = x$$

„oſtendendum erat, modo dictum abſurdum non
„contineri in doctrina noſtra, ſi intelligatur recte,
„& hinc hypotheſis formetur ita, uti veræ doctri-
„næ eſt conveniens. Quocirca oſtendi, ſi hypothe-
„ſis formetur recte, nempe ita, quod Pater, Fi-
„lius & Spiritus S. totam ſubſtantiam divinam con-
„ſtituant, non ſequi abſurdum, quod exſculpere ni-
„tebatur auctor nominatus„ Hactenus CARPO-
VIUS. Paulo prolixiores hic fuimus, dum falſo hoc
Principio, & Myſterium Trinitatis interpretandi mo-
do, omnes fere, quæ contra Dogma hoc in genere
afferuntur Difficultates, nituntur; dum adverſarii
Trinitatem Perſonarum conſiderant ceu tres Divini-
tatis partes, quod tamen nemo orthodoxorum un-
quam docuit.

§. CCXXX.

Eadem etiam ratione ſolvitur hæc *difficultas:* Quod nempe *contradictorium ſit, ut unus detur Summus Deus, & tamen qualibet Deitatis perſona ſit Summus Deus, adeoque tres Dii ſummi ſint. Reſponſio* ex ſuperioribus patet: Nam diverſo reſpectu unus & tres nominatur; unus nominatur reſpectu Deitatis ſive divinæ Eſſentiæ communis; Tres vero

vero respectu Proprietatum illarum quæ Personalitates efficiunt. Contradictionem involveret, si diceremus, Deum ratione Essentiæ divinæ esse unum & tres, aut ratione Personalitatis esse unum & tres; ut hac ratione una esset Deitas & tamen tres essentiæ divinæ, una Persona & tamen tres Personæ: hoc omnino contradictorium esset. At hoc nullo modo defendimus; sed hoc ex S. Litteris asserimus: Essentiam divinam, quæ unica numero sit, habere tres tales Proprietates, quæ ita à se differant, ut una non sit altera, & quæ tres à seinvicem distinctas Personas constituant; diverso ergo respectu unus & tres sunt.

§. CCXXXI.

Alia objectio ita habet: *Pater est Summus Deus, Filius est Summus Deus, Spiritus S. est Summus Deus, E. tres sunt Summi Dii.* Fallacia latet in termino *Summus Deus;* Si enim terminus hic ita intelligatur ut significet, Deum Patrem esse unam Personam Divinitatis, pariter etiam Filium & Spiritum S., nihil habemus contra; & nihil aliud conficitur quam in Essentia divina tres esse Personas, sive Essentiam divinam tribus Personis communem esse. Si vero terminus hic *Summus Deus* hoc significet, quod Pater habeat totam Essentiam divinam Filio & Spiritu S. ab Essentiæ illius participatione exclusis, & quod Filius habeat omne id quod ad Summi Dei Essentiam pertinet, Patre & Spiritu S. exclusis; pariter etiam quod Spiritus S. possideat, abstracte à Patre & Filio, quidquid Essentia divina complectitur; negamus quod Pater Filius & Spiritus S. hoc sensu vocari possit Summus Deus, dum

 omnes

omnes tres Trinitatis Personæ Summæ Divinitatis sint participes.

§. CCXXXII.

Aliud, contra Trinitatis Mysterium, *Argumentum* ita habet: *Si tota divinitatis natura communicata est cum persona qualibet, ad totam vero ternio Personarum pertinet; sequitur, quamlibet Personam trinam Personis esse.*

§. CCXXXIII.

Ad quod *respondemus*, cum Celeb. CARPOVIO *tractatu supra cit.*: Totam divinitatem considerari vel quoad ejus *Essentiam in genere spectatam* & Attributa essentialia: vel quoad *Proprietates* ejus sive *relationes Personales*, quatenus una ex Proprietatibus hisce non est altera, & cum reliquis in hoc convenit, quod communem Essentiam divinam possidet. Si ergo dicimus, aut Patrem aut Filium aut Spiritum S. habere totam Divinitatem, id ita intelligendum, quod quælibet Persona totam divinam Essentiam cum reliquis communem possideat, exceptis Proprietatibus illis sive relationibus personalibus, quibus à seinvicem differunt. Ita tota divina Natura omnibus tribus communis est, exceptis Proprietatibus personalibus. Ita Pater Filio omnem divinitatis realitatem dedit, excepta Proprietate Paternitatis; & Pater & Filius cum Spiritu S. communicarunt totam divinam Naturam excepta spiratione illa activa, qua tertia Persona à prima & secunda differt.

§. CCXXXIV.

Eodem modo etiam hoc argumentum solvendum est: *Verus & unus Deus est Pater Christi.*

Sed

Sed Personæ tres non sunt Pater Christi; E. tres Personæ non sunt unus verus Deus.

§. CCXXXV.

Fallacia iterum continetur in Termino *Verus Deus*; Terminus enim hic sumitur vel *Essentialiter* vel *Personaliter*; si ergo Syllogismus ita explicetur: Unus & verus Deus pro prima Divinitatis persona acceptus est Pater Christi, unde quicunque non est Pater Christi, non est verus Deus Personaliter pro prima Divinitatis Persona acceptus; Atqui Filius & Spiritus S. non sunt verus ille Deus Personaliter pro prima Persona acceptus, id est, non sunt Pater Christi; E. non sunt verus Deus Personaliter pro prima persona acceptus. Quod concedimus; idem enim est quod nos dicimus, scilicet Filium & Spiritum S. Proprietatibus Personalibus à Patre differre ut unus non sit alter. Si vero Syllogismus ita sumatur: Quod Unus & Verus Deus Essentialiter spectatus solus sit Pater Christi; id negamus, dum omnes tres summam divinitatem communem habeant, & divinæ Essentiæ participes sint. Omnia ergo Adversariorum sophismata inde oriuntur, quod non distinguunt inter divinam *Essentiam in genere & absolute spectatam*, & inter *Proprietates personales* Essentiæ hujus divinæ: non distinguunt inter id, quod tribus Personis commune est, & id, quo à seinvicem differunt.

§. CCXXXVI.

Eodem modo etiam hoc *Sophisma* sese habet: *Verus Deus est Pater, Filius & Spiritus S.; Atqui Pater est verus Deus, E. Pater debet esse Pater Filius & Spiritus S.*; Idem etiam de Filio & Spiritu S.

dici potest: cum autem conclusio sit falsa, falsitas oportet sit in præmissis.

§. CCXXXVII.

Respondemus Errorem iterum in hoc esse, quod Terminus ille *Verus Deus* aliter sumatur in Majore, aliter in Minore; in Majore sumitur *Essentialiter* & *absolute* pro tota divina Essentia, omnibus tribus Personis communi; in Minori vero *Personaliter* & *relative*, ut significet, Patrem esse verum Deum, scilicet Personaliter pro prima divinitatis Persona sumtum.

§. CCXXXVIII.

Neque majoris momenti *hæc difficultas* est; dum dicunt: *Quicunque sunt Pater, Filius & Spiritus S. illi sunt alius, alius & alius. Deus est Pater, Filius & Spiritus S.; E. Deus est alius, alius & alius. Respondemus* concedendo totum, si terminus ille *alius* sumatur Personaliter & relative, non vero essentialiter & absolute. Alius enim est Pater & Filius & Spiritus S., dum per Proprietates personales à seinvicem differant, ut una ex his Divinitatis Proprietatibus non sit altera, ratione vero communis Essentiæ divinæ sunt unus idemque.

§. CCXXXIX.

Hæ sunt præcipuæ difficultates, quæ contra Mysterium Trinitatis in genere afferuntur; sequuntur nunc eæ, quæ contra Deitatem Filii in specie moventur. *Præcipua* illa *argumenta* continentur in Epistola illa quam ANDREAS WISSOWATIUS Socinianus celebris ad *Baronem Boineburgium* Anno 1665. exaravit; quæ extat in *Apparatu Literario Societatis colligentium* Collect. I, pag.

pag. 213. seqq. quam etiam allegat & refutat Celeb. CARPOVIUS tract. cit. pag. 114. seqq. De qua Epistola hoc Illustris LEIBNITII judicium est, quod in illa omne fere robur Sophismatum contra Mysterium hoc contineatur. Ita autem sonat hæc Epistola:

„Suscepta objectione tua, & missa ad eam responsione, nisi fallor, ostendi, nostram de Jesu „Christo non supremo Deo, sed tamen huic proximo & subordinato, ac proinde de ejus adoratione divina non suprema, sed supremæ proxima & „subordinata, sententiam non implicare contradictionem, cujus tu nos arguere voluisti; nunc vicissim Tibi aliquas circa idem subjectum contra „Vulgarem opinionem, quam & Tu foves, Objectiones, largius quam tu dedisti addere volens, „mitto.

Adspice num mage sit nostrum penetrabile Telum.

„Quod si ipse objectiones istas examinare negliges, „saltem alicui, à Veritatis exploratione non averso, „examinandas porrigito.

I.

„*Unus Deus altissimus est Pater ille, ex quo omnia. Filius Dei Jesus Christus non est Pater ille „ex quo omnia. E. Filius Dei Jesus Christus non „est unus Deus altissimus.*

„Syllogismi hujus propositio major habetur 1. Cor. „VIII. 6. in Verbis Apostoli, qui docere volens, „quis nobis Christianis habendus sit Deus ille unus, „nempe non talis, quales sunt multi Dii, quos „esse ibidem supra dixit, ait, eum esse Patrem illum, ex quo omnia, nempe primam Personam, „ex qua ut fonte & causa, primoque Principio, „omnia proficiscuntur. Non dicit, ut nunc dici „solet, unum illum Deum esse & Patrem & Filium „& Spiritum S., cujus Mysterii dicendi hic erat vel „maxima occasio, si usquam.

„Minor probatur præter alia inde, quod ibidem „vox Jesus Christus distinguatur ab illo Patre, ex „quo omnia, & peculiariter describatur alio modo: „Unus Dominus per quem omnia. Nempe divinus „non supremus, qui est solus Pater, ex quo omnia, „sed is, quem Deus ille fecit Dominum & Chri- „stum seu unctum suum, ut ait S. Petrus Apostolus „alter Act. II. 36. per quem ut secundam & mediam „causam Deus ille supremus ex quo omnia, ut pri- „ma causa, facit ista omnia. De quo vide etiam „Ephes. II. 9. Ebr. I. 2. XIII. 34. Act. II. 22. Tit. III. „4. 5. 6. 2. Cor. V. 18. 1. Cor. XV. 57. 2. Cor. IV. „14. Rom. II. 16.

„Hoc autem ipsum, quod Deus ille unus altissimus „per Jesum Christum faciat talia, potest esse argu- „mentum peculiare, quo probetur, Jesum non esse „Deum ipsum altissimum.

II.

„*Qui nescivit Diem judicii, is non est Deus al- tissimus.*

„*Filius nescivit Diem judicii.*

„*E. Filius non est Deus altissimus.*

„Major probatur, quia esse omniscium, est Dei al- „tissimi attributum proprium. Qui autem nescivit „diem Judicii, is non est Deus altissimus. Impli- „cat hoc contradictionem. Minor patet ex verbis „ipsius Christi primo Matth. XXIV. 36. de illa hora „nemo scit -- nisi Pater meus solus. Deinde ex- „pressius Marci XIII. 32. de die & hora nemo scit, „neque angeli, qui sunt in Cœlo, neque Filius nisi „Pater. Quantopere hæc verba Christi torserint, & „torqueant Homousianos, & quomodo ipsi vicissim „torquere soleant, patet ex MALDONATO. Affe- „runtur inter alias responsiones istæ: *Filium nesci- visse*, ita esse interpretandum, non quod vere „nesciverit, sed quod se scire dissimulaverit, quod „revelare noluerit, quod fecerit ut nos nesci- „remus, quod eum diem nondum expertus fuerit: „tales sunt Doctorum seu Patrum Ecclesiæ in ista „Christi verba commentationes vel potius eorum

„contor-

„contorsiones ineptæ, ut agnovit ipse MALDONA-
„TUS, Jesuita, easque rejicit. Nam primo qui-
„dem, non idem est nescire, quod dissimulare se
„scire, vel non dicere. Deinde de his admissis
„sequeretur, posse dici, etiam Deum Patrem diem
„istum nescire, quod absurdum est. Sed ipse
„MALDONATUS alias ingeniosus aliam responsio-
„nem dubitanter afferens, vineta sua cædit. Vul-
„gata responsio, præsertim Reformatorum: (Nam
„alii eam rejicere solent) est ex distinctione par-
„tium in Christo: nescivisse eum hunc diem quoad
„humanitatem; at scivisse quoad divinitatem. Sed
„distinctione ista vana est quando ponit unum Suppo-
„situm Filii Dei esse Deum altissimum & homi-
„nem simul, atque Deum supremum esse homi-
„nem, quod est absurdum, & implicans contradi-
„ctionem, etenim Deus & homo sunt disparata, at
„disparata non possunt & de alio tertio & de sein-
„vicem prædicari proprie, quod omnes ratione sa-
„na utentes nec eam obnubilantes agnoscunt. Ut
„ferrum esse lignum, Animam esse Corpus, absur-
„dum est. Si idem esset Deus & Homo, sequere-
„tur simul Deum esse simul non Deum summum,
„quod est contradictorium. Nec una pars de toto
„composito potest prædicari proprie, univoce. Dein-
„de quod composito cuidam inest secundum par-
„tem quandam & quidem majorem ac potiorem, at-
„que affirmari de eo simpliciter potest ac debet,
„id de eo non licet negare simpliciter, quamvis ei
„non insit secundum partem minorem. Ut quam-
„vis Corpus Hominis non ratiocinetur, nec sciat
„aliquid, tamen cum anima ejus ratiocinetur, at-
„que sciat, quis dicat simpliciter, hominem non
„ratiocinari neque aliquid scire? An ipsi concedent
„ut dicere liceat, Filius Dei non creavit mundum,
„non est Patri coessentialis, quia ipsi non conve-
„niunt secundum humanam Naturam, nisi per idio-
„matum commenticiam communicationem. 2. Cum
„ista Christi natura humana dicatur conjuncta Deitati
„hypostaticæ in Unitate Personæ, nonne Deitas huma-
„nitati suæ tam arcte conjunctæ scientiam hujus secre-
„ti cujus capax esset, communicavit? 3. Si Persona
„Filii,

„Filii, quæ est divina, scivit istum diem, quomodo „potuit vere dici, filium nescivisse eum, cum illa „Persona sit iste Filius? 4. Simpliciter hic dicitur „filius nescivisse diem Judicii, ergo hoc de Filio „toto dicitur, non de parte Filii inferiore, quæ „non solet vocari simpliciter & absolute Filius. „5. Patet hic per Filium Dei quatenus est Dei Filius, „primo ob id ipsum, quia non dicitur Filius ho„minis, sed absolute Filius, per quem solet intelli„gi Filius Dei. Deinde quia huc Filio statim op„ponitur Pater ejus, qui est Deus; ergo istius Pa„tris Filius intelligitur & dicitur solus Pater scire, „& quidem opposite ad Filium, idque ita ut Filius „nescire, Pater vero solus scire dicatur. Tale hinc „emergit argumentum arcte stringens:

„*Quicunque scivit tunc diem Judicii, is est „Pater Jesu Christi.*

„*At Filius etiam secundum Divinitatem consi„deratus non est Pater Jesu Christi.*

„*E. Filius etiam secundum Deitatem considera„tus non scivit diem judicii.*

„Major probatur ex verbis Christi, quibus dixit, „solum Patrem suum diem istum scivisse. Nam si „solus pater Christi scivit, ergo quicunque scivit, „is est Pater Jesu Christi, & quicunque non est „Pater Jesu Christi, is nescivit, seu exclusus ab ista „scientia.

„Minor negari non potest, quia est in concesso „apud omnes. Ergo conclusio est firma. Simile ar„gumentum potest peti ex eo, quod sicut hic om„niscientiam ita alibi omnipotentiam talem, ut om„nia à se ipso facere posset, Filius Dei sibi dene„gavit. Joh. V. 19. 30. VIII. 28. Tum ex eo quod „Filius omnia habeat non à se, sed à Deo Patre „sibi data, Matth. II. 27. XXVIII. 18. Joh. III. 35. „XIII. 3. XVII. 2. 7.

III.

„*Unicum numero & singulare ens non prædica„tur de multis.* Quia hoc est de definitione sin„gula-

„gularis seu individui, alias non esset singulare, „sed contra Universale.

„*Atqui Deus altissimus est unicum numero & „singulare Ens.*

„*E. Deus altissimus non prædicatur de multis.* „Sed Trinitarii, qui negare non audent, eum esse Ens singularissimum, unicum numero, non specie „vel genere, tamen eum prædicant de tribus Perso„nis, quarum unaquæque cum sint distincta substan„tia, est illis distincte Deus altissimus. At ut ter „unum sunt tria, sic ter unus sunt tres. Ergo ubi „est ter unus, ibi sunt tres Dii.

„Quidam eo devenerunt ut dicant, esse quidem nu„mero unum Deum essentialiter, sed non esse unum „Deum, si idem consideretur personaliter. Ita non „absolute & simpliciter strictissima unitate unus erat „Deus altissimus, sed aliquo modo.

IV.

„Ex regula illa infallibili, quæ duo in uno singulari „tertio conveniunt, procedit tale argumentum ex „singularibus:

„*Deus ille altissimus unicus individuus est Pa„ter Filii Dei Domini Jesu Christi.*

„*Deus ille altissimus unicus individuus est Fi„lius Dei Dominus Jesus Christus. E. Filius Dei „Dominus Jesus Christus est Pater Filii Dei Do„mini Jesu Christi. Atqui hoc implicat contra„dictionem & est palam falsum. E. aliqua præ„missarum est falsa. Non major, quam omnes „Christiani agnoscunt.*

„*E. Minor.*

V.

„Filius Dei aut est à se aut est ab alio, adeoque „non est absolute primum principium, sed princi„piatum. Si posterius eligatur, tunc sequeretur „Filium non esse Deum altissimum. Nam huic re„pugnat esse ab alio, & habere ullo modo princi„pium existendi; sin prius, tunc sequeretur, Fi-

„lium

„lium Dei, si non ab alio est, non esse Filium.
„Nam hoc implicat contradictionem, certe quatenus
„est Filius à Patre est. Sed hic argutuli quidam co-
„nantur hujus dilemmatis vim evitare distinctione;
„ajunt Filium Dei esse quidem à seipso non ab alio,
„quoad essentiam; quatenus est Deus; sed eundem
„non esse à se, verum ab alio, quoad Personam,
„quatenus est Filius. At hæc distinctio non tollit
„difficultatem. Nam hic de Filio est quæstio, qua-
„tenus is est Filius Dei, seu Persona secunda, non
„autem, quatenus est Essentia divina, quæ poni-
„tur esse communis Patri & Filio, quæ Essentia
„non est Filius, quia ab istis negatur, essentiam
„Dei generari. Ergo tamen hoc manebit, filium
„Dei quatenus est Filius Dei, seu secunda Persona,
„non esse Deum altissimum.

VI.

„Ex generatione Filii Dei secundum Deitatem præ-
„æterna, quæ vulgo statuitur, præter alia hæc se-
„quuntur inconvenientia 1. quod absurdum sit;
„eum, qui generatur secundum Deitatem, statue-
„re, esse Deum altissimum. Sempiterna substantia
„non generatur. Nam generari necessario infert
„produci ab alio, & habere Principium aliquod,
„saltem originis, & fieri ac proinde dependere ab
„alio, à quo suum habet esse. Quæ omnia non
„conveniunt Deo altissimo sempiterno, quo nullus
„ullo modo prior esse potest. At omnis generans
„Pater est prior genito filio; quod non tantum in
„humanis; sed etiam in divinis verum esse univer-
„saliter; ex communi notione ipsum Vulgus ho-
„mousianorum nobiscum agnoscit. 2. Quando di-
„citur Deus generare Deum, qui est Deus ex Deo,
„aut generat eundem numero Deum, qui ipse est,
„aut alium. Non eundem, quia generans & gene-
„ratus sunt opposita, quæ non sunt unum & idem.
„Sin autem alium Deum generat, sequitur non
„unum numero esse Deum altissimum Conantur
„quidem ex hoc dilemmate sic elabi, dari inter
„ista duo medium, generari enim Personam; sed
„non cessat difficultas. Nam num ista Persona Dei,
„quæ generatur, non est Deus? 3. Si Filius Dei
„genera-

„generebatur ab omni æternitate ex Essentia Dei „Patris, aut jam desiit generari, aut non desiit. „Non datur medium inter contradictiorie opposita. „Si desiit; habet finem temporis ista generatio, „ergo etiam apparet eam habuisse Principium tem„poris, adeoque non fuisse prææternam. Nam quod „nunquam incepit, id nec desinere potest Sin au„tem non desiit, sequitur, filium Dei quoad Dei„tatem etiam nunc generari, & porro generandum „esse in omnia secula seculorum, ut quidam con„cedunt, quod est absurdum. Nam quod genera„tur, id fit, nondum perfecte est. At non con„venit Personæ Dei, esse in fieri semper. Et qui „adhuc gignitur, nondum est perfecte & absolute ge„nitus.

VII.

„Quum asseritur Deus altissimus esse incarnatus, aut „tota trinitas, seu quidquid est Deus altissimus, „est incarnatus, aut non tota; si illud, non tantum „Filius Dei, sed etiam Deus Pater & Spiritus S. „sunt incarnati, & ex Maria virgine nati; quod „etiam aliqui asserere non erubuerunt, quia sunt „unus indivisibilis Deus, cum etiam non sola Per„sona secunda sit incarnata, sed cum ea quoque es„sentia illa divina, quæ à Persona divina separari „nequit. Ista autem Essentia est communis tribus „personis, quæ in ea continentur, præsertim cum „hæc actio assumendæ sibi humanæ naturæ sit actio „ad extra, quales actiones dicuntur esse totius Tri„nitatis indivisæ. Sin autem non tota divina trias „est incarnata, sed sola Persona Filii, tum seque„tur Deum alias indivisibilem, esse quodammodo „à seipso divisum, itaque non omnino unum ac „simplicissimum, si non omne, quod est Deus al„tissimus, est incarnatum, unde tale argumentum „ex singularibus:

„*Illa Deitas quæ est in Deo Patre, non descen„dit de Cœlo & est incarnata.*

„*Hæc Deitas, quæ est in Deo Filio, non est „illa Deitas, quæ est in Deo Patre.*

„Contra-

„Contradictorie sibi opponuntur, unicum Deum al-„tissimum totum esse incarnatum. E. hæc opinio im-„plicat contradictionem, adeoque seipsam evertit; „ideo ut vera consistere non potest. Sed hæc hacte-„nus sufficiant.

„Si quis mihi hos nodos bene dissolverit, tum de-„mum ego, istam opinionem non esse absurdam „confitebor.

§. CCXL.

Ad singula hujus Epistolæ argumenta nunc breviter *respondebimus*. *Prima difficultas*, ita sonat: *Unus Deus altissimus est Pater ille, ex quo omnia. Filius Dei Jesus Christus non est Pater ille, ex quo omnia. E. Filius Dei Jesus Christus non est unus Deus altissimus.*

§. CCXLI.

Hujus Syllogismi Propositionem majorem quod attinet, illam admittimus cum limitatione aliqua: Deus Pater dicitur unus Deus altissimus ex quo omnia, at α. inde non sequitur Filium à Deitate excludi, quasi prima Divinitatis Persona ita diceretur opposite ad Filium, & illo excluso, sed ita vocatur opposite ad Deos illos, de quibus Apostolus locutus est versu præcedente, nempe 1. Cor. VIII. 5. β. In Mundi hujus & præcipue Civitatis Dei Gubernatione quælibet Trinitatis Persona, sive essentiæ divinæ Hypostasis ac proprietas personalis, suum habet munus: *Prima* consideratur ceu fons primus omnium rerum à qua omnia dependent in existendo & ad quam propterea omnia referri debent: loc. cit. vers. 6. *altera* persona ab Apostolo consideratur ceu Dominus omnium rerum, in mundo Gratiæ sive Civitate Dei, cui Dominum illud à Patre in Oeconomia Gratiæ traditum est, ut omnia modere-

tur

tur & gubernet ceu Salvator perfectissimus: loc. cit. Ex hoc tamen inferri minime potest Filium, qui est *Dominus*, & quidem *unicus Dominus*, à divina essentia excludi. Est ergo Pater unus Deus altissimus exclusis Diis gentilium fictitiis: & Jesus Christus est unicus Dominus reliquis exclusis, nihilominus ambo ejusdem essentiæ possunt esse participes.

§. CCXLII.

Si igitur Adversarii majorem ita forment: *Quicunque non est Pater ille, personaliter sumtus, ex quo omnia, ille non est unus ille Deus altissimus:* Propositionem hancce negamus.

§. CCXLIII.

Propositionem minorem quod spectat, ita habet: *Filius Dei, Jesus Christus, non est Pater ille ex quo omnia. Respondemus* distinguendo: Vox enim Patris in S. Litteris sumitur vel *Essentialiter* in relatione ad Creaturas, quarum respectu tota divina Essentia Pater vocatur, uti Mal I. 6. Luc. XII. 30. imo etiam Filius ita vocatur Jesajæ IX. 6. vel vox Patris sumitur *personaliter* contradistincte ad secundam Trinitatis personam, uti Matth. X. 33. XI. 25. Si sensu priori vox hæc accipiatur, negamus illam Filio non competere, in relatione ad creaturas; cum vero Apostolus in dicto hoc 1. Cor. VIII. 6. verum Deum opponat Diis falsis atque fictitiis, non vero Filio suo Jesu Christo; patet vocem hanc in dicto hoc *Essentialiter*, *relate* ad Creaturas, non vero *personaliter* accipiendam esse.

§. CCXLIV.

Si autem Adversariis concedamus, vocem Pa-

tris hic *personaliter* ſumendam eſſe, ut ab ipſo Filio diſtinguatur, minime tamen inde ſequitur Filium non eſſe Deum, ſive eſſentiæ divinæ participem; nam licet ab Apoſtolo Dominus vocetur, propterea neutiquam à divinitate excluditur, ſiquidem optime hæc ſecum invicem conſiſtere poſſint; unde Apoſtolus Thomas hæc duo conjungit, Joh. XX. 28. Ut eoipſo quo Filius vocatur Creaturarum Dominus, etiam illarum Deus ſit.

§. CCXLV.

Secundum WISSOWATII *Argumentum* in formam redactum ita ſonat:

Quicunque neſcivit Diem judicii, is non eſt Deus altiſſimus.

Atqui Filius Dei neſcivit Diem judicii.
Ergo Filius Dei non eſt ille qui eſt Deus altiſſimus.

§. CCXLVI.

Negamus majorem. Siquidem impoſſibile non ſit ut aliquid certo reſpectu de ſubjecto aliquo prædicari poſſit, quod de eodem ſubjecto alio reſpectu prædicari non poteſt, & viceverſa: dum vero quodlibet poſſibile præſumatur usque dum contrarium demonſtratum ſit; Adverſarii fuiſſet ut primo demonſtraſſet contradictionem involvere, ſi aliquid reſpectu quodam de ſubjecto negetur, alio vero reſpectu idem de eodem ſubjecto affirmetur.

§. CCXLVII.

Cum vero, ex hypotheſi noſtra, non modo non impoſſibile ſit, ſed actu fiat, ut divina natura cum humana tam arcto nexu conjuncta ſit, ut unam

unam tantum Personam constituat, adeoque Persona illa tales habeat proprietates, quæ toto cœlo à seinvicem differunt, patet, certo respectu aliquid de Persona illa dici posse, quod alio respectu de eadem dici minime potest. Unde certo respectu de ea affirmatur quod nesciat diem Judicii, alio vero respectu dici potest eam diem illum non ignorare.

§. CCXLVIII.

Id ergo Adversario incubuisset ut demonstraret, contradictionem involvere, quæ de divina atque humana Christi natura asserimus. Si diceremus Christum eodem respectu consideratum & secundum eandem Proprietatem ultimum Judicii Diem ignorare & tamen scire, omnino impossibile statueremus. Pro diversis autem partibus atque proprietatibus idem potest esse Deus altissimus, qualis aliter consideratus non est.

Ita LEIBNITIUS in responsione ad difficultatem hancce observat: *Nec absurdum est, eundem esse & non esse Deum altissimum pro diversis partibus; nec video, cur non pars de toto proprie prædicari possit dummodo reduplicatio addatur, vel subintelligatur. Proprie enim totum nihil aliud est, quam singulæ partes de eodem prædicatæ cum unione v. g. Homo est Anima & Corpus. Quicquid autem anima & corpus est, illud utique est anima & idem utique corpus. Quidni liceat resolvere copulationem in duas simplices: Homo est anima, & Homo est Corpus? igitur similiter, si ex nostra hypothesi, Christus est unum ex Deo & homine, licebit dicere: Christus est Deus & homo, & ita: Christus est Deus & Christus est homo.*

§. CCXLIX.

Inſtat WISSOWATIUS, inconveniens eſſe, ut Chriſtus ſimpliciter intelligatur dixiſſe, ſe neſcire, ideo quia pars ſui inferior neſcivit. At non video cauſſam cur Chriſtus hæc dicere non potuerit, nam α. alio loco etiam ſimpliciter de Deitate dicitur, illam nos emiſſe ſanguine ſuo, licet ſola humana Natura ſanguinem ſuum fuderit; ita Chriſtus ſimpliciter dicere poteſt: Se Judicii diem ignorare, licet id ſecundum Naturam humanam tantum intelligendum ſit. β. Licet Chriſtus ſimpliciter aſſeruerit ſe diem hunc neſcire, circumſtantes tamen nonniſi humanam ejus Naturam potuerunt intelligere: Quæſtio enim hæc erat: An homines ſcire poſſint hunc diem? Chriſtus id negat, & ex eo probat, quod nec creaturæ homine excellentiores Angeli hunc diem ſciant, imo ne quidem Chriſtus ſecundum Naturam humanam Creatura omnium excellentiſſima. Quæſtio ergo fuit, an ipſe qua homo Diem illum ſciat? quod ſimpliciter negat, aſſerens ſe illum neſcire.

§. CCL.

Inſtat porro Adverſarius, Chriſtum dicere: ſolum Patrem illum diem cognoſcere. Matth. XXIV. 36. ut adeo Chriſtus plane ſecundum omnes ſuas Proprietates à cognitione diei hujus excludatur, adeoque nec Deus eſſe poſſit. Obſervandum autem Creaturas ſolas à diei hujus cognitione excludi, minime autem Filium ſecundum naturam divinam & Spiritum S., qui communem cum Patre intellectum habent; non tantum enim Filius cum Patre unus eſt, Joh. X. 30. Sed Pater ipſi omnia oſtendit quæ facit. Joh. V. 20.

V. 20. de Spiritu porro Sancto asseritur, ipsum solum scire quæ in Deo sunt 1. Cor. II. 11.; hinc & ipsi Omniscientia denegari nequit: unde liquet, quod, uti omnes tres Personæ communem Essentiam habent, ita etiam communem habeant intellectum, quamvis modo differat, quod suo loco demonstravimus. Unde, si Christus soli Patri cognitionem diei Judicii adscribit, ille non reliquas Divinitatis Personas, sed creaturas solas, ab ea excludere censendus est.

§. CCLI.

Instat porro Adversarius: Filium Dei nescivisse diem Judicii, quatenus est Filius Dei & Patri oppositus, quod argumentum in formam redactum ita sonat:

Quicunque tunc scivit diem judicii, is est Pater Jesu Christi.

Atqui filius etiam secundum divinitatem consideratus non est Pater Jesu Christi.

E. Filius etiam secundum Deitatem consideratus, nescivit diem Judicii.

§. CCLII.

Respondemus Christum considerandum esse vel secundum ejus *Divinitatem*, vel secundum *humanitatem*: Si consideratur secundum humanitatem, etiam dici potest Filius Dei, siquidem tota Trinitas recte dicatur Pater Jesu Christi hominis. Productio enim humanitatis ipsius est Opus Patris, qui ipsi Corpus adaptavit, Heb. X. 5. Nec minus Filius etiam humanæ suæ Naturæ Autor & Dominus est, unde fluit Jus in propriam vitam, eam vel ponendi vel resumendi, Joh. X. 18. Idem opus Spiritui etiam sancto adscribitur.

Luc. I. 35. Unde patet Christum etiam secundum humanam Naturam Dei Filium vocari posse, licet non eodem sensu, quo secundum divinam ita vocatur; sed sicut ipsi etiam Sociniani eum ita nominari asserunt propter miraculosam ipsius conceptionem; duplici ergo sensu Filius Dei est α. propter æternam ipsius à Patre, secundum divinam Naturam, Generationem; β. juxta humanam Naturam quæ à tota Trinitate producta fuit. Si igitur Christus Deum Patrem suum appellat opposite ad Creaturas, vox Patris essentialiter per totam Trinitatem explicanda est.

§. CCLIII.

Porro Adversarius infert: Christum non esse omnipotentem, dum sibi deneget potentiam omnia faciendi à seipso, Joh. V. 19. 30. VIII. 28. Ita argumentum hoc format LEIBNITIUS: *Quicunque non facit omnia à seipso, ille non est omnipotens. Filius Dei non facit omnia à seipso; E.* &c. Negat Vir illustris majorem: dum perinde sit ac si argumentari vellemus: Pater non facit omnia per seipsum, sed per Filium, (uti ipsimet Sociniani concedunt). E. non est Omnipotens.

§. CCLIV.

Optime respondet ad argumentum hoc, uti ad reliqua, Celeb. CARPOVIUS distinguendo inter aseitatem quæ ipsam Essentiam, & quæ modum habendi eam concernit. Ad omnipotentiam non requiri, ait, ut aseitas qua modum habendi essentiam adsit, sed sufficere aseitatem qua ipsam Essentiam. Si enim adest Essentia, quæ est à se, adest etiam infinitas, quæ omnes Perfectiones & ideo etiam Omnipotentiam involvit.

Argu-

§. CCLV.

Argumentum WISSOWATII *tertium* hoc eſt: *Unicum numero & ſingulare Ens non prædicatur de multis. Deus altiſſimus eſt unicum numero & ſingulare Ens. E. Deus altiſſimus non prædicatur de multis.*

§. CCLVI.

Reſpondemus diſtinguendo inter ſubſtantiam divinam *Eſſentialiter* conſideratam, & inter illius *hypoſtaſin* ſive *Proprietates perſonales.* Si ergo Adverſarius dicat; Unicum & ſingulare Ens non prædicare de multis, concedimus non plures numero dari divinas Eſſentias, quæ ut varii Dii à ſeinvicem diſtinctæ ſint; inde tamen minime ſequitur: Eandem illam & unicam Eſſentiam non pluribus Perſonis poſſe eſſe communem, ſive unicam illam numero Eſſentiam non pluribus competere Proprietatibus à ſeinvicem diſtinctis, ut de tribus illis Proprietatibus modo ſubſiſtendi à ſeinvicem diſtinctis prædicari poſſit, illas eſſe Deum altiſſimum.

Unde ita reſpondet illuſtris LEIBNITIUS: *Ad argumentum tertium reſpondeo concedendo totum. Nam is qui eſt Deus altiſſimus (ſeu perſona Dei altiſſimi) poteſt nihilominus de multis prædicari, quia is qui eſt Deus altiſſimus ſeu perſona divinitatis eſt univerſale, non ſingulare. Ex hoc etiam apparet, quod etſi tres ſint, quorum quilibet eſt id, quod eſt Deus, tamen non ſint tres Dii. Non enim eſt Ter unus Deus ab altero diſtinctus, ſed eſt ter unus, quorum quilibet eſt id quod eſt Deus, ſeu ter una perſona. Igitur nec tres Dii ſunt, ſed tres Perſonæ.*

§. CCLVII.

Argumentum WISSOWATII *quartum ita format* LEIBNITIUS: *Quicunque est Deus ille altissimus unicus individuus, est Pater Filii Dei Domini Jesu Christi. Atqui Deus ille altissimus, unicus, individuus, est Filius Dei Dominus Jesus Christus. E. Filius Dei Dominus Jesus Christus est Pater Filii Dei Domini Jesu Christi.*

§. CCLVIII.

Respondemus Syllogismum quatuor habere terminos: Terminus nimirum *Deus altissimus* in majore significat Paternitatem, in minore vero significat Personam Filii; ut ergo in majore pro persona Patris, in minore pro persona Filii sumatur, adeoque aliam habeat significationem. Si vero Terminus hic in majore sumatur essentialiter, ut significet totum divinæ substantiæ complexum, tunc negamus propositionem majorem; falsum enim est quod quicunque vocari potest Deus altissimus sit Pater Domini nostri Jesu Christi, cum communis Divina Essentia etiam Filio & Spiritui S. competat.

§. CCLIX.

Quintum Adversarii *Argumentum* hoc est: Filius Dei aut est à se, aut est ab alio, adeoque non est absolute primum Principium sed principiatum. Quod Argumentum CARPOVIUS in hanc redigit formam: *Si datur Filius Dei qui ipse Deus sit, aut ille erit à se aut ab alio. Sed prius falsum est, quod possit esse à se, & non ab alio; tunc enim non esset filius, quia filius semper à Patre est. Secundum falsum est, quod possit esse ab alio; tunc enim non esset Deus altissimus, quia Deus altissimus*

non

non potest esse ab alio. E. falsum etiam est prius, scil. quod detur Filius Dei, qui ipse Deus sit.

§. CCLX.

Tenenda autem est distinctio inter ipsam Filii Dei essentiam divinam & inter modum habendi eam. Si ipsam Filii Dei essentiam consideramus, negatur quod Filius Dei quoad eam non sit à se; Ipse enim cum Patre eandem possidet essentiam, quæ à se est. Modum vero habendi essentiam illam quod attinet, filius illam non habet à se sed à Patre. Licet ergo concedamus Filium quoad modum habendi essentiam suam esse à Patre, sive secundum divinitatis *personalem hypostasin* ac *proprietatem* esse à prima, inde tamen minime sequitur essentiam illam divinam, quatenus communis est Patri & Filio, non esse à se. Personalitas ergo filii, sive proprietas illa personalis potest esse à Patre, licet ipsa divina Substantia, quam filius cum Patre communem habet, sit à se.

§. CCLXI.

Sextum Argumentum tribus absolvitur partibus: quot nimirum, ex Socinianorum sententia, Doctrina de æterna Filii generatione premitur difficultatibus: *Prima* in hoc consistit, quod absurdum sit, eum, qui generatur secundum Deitatem, statuere esse Deum altissimum, dum substantia sempiterna non generetur. Si in formam redigatur hæc difficultas, Syllogismus talis est.

Quicunque secundum Deitatem generatur, ille Deus altissimus esse nequit.

Filius, concedentibus Trinitariis, secundum Deitatem generatur.

E. Filius Dei Deus altissimus esse nequit.

Majorem WISSOWATIUS hoc modo probat:

Quicunque ab alio producitur & habet principium sui, saltem Originis, ille nequit esse Deus altissimus.

Atqui ex mente Trinitariorum Filius secundum Deitatem generatur & per consequens habet principium sui saltem Originis.

E. Filius secundum Deitatem generatus, nequit esse Deus altissimus.

§. CCLXII.

Respondemus iterum distinguendo inter Filii Dei essentiam divinam & ejus Personalitatem, aut proprietatem illam essentiæ divinæ personalem; sive inter ipsam divinam essentiam & modum habendi eam. Nullam nimirum contradictionem involvit, illum qui quoad ipsam divinam essentiam est à se & Deus altissimus, quoad modum eam habendi sit ab alio. Si igitur Adversarius in majore primi Syllogismi per Deitatem intelligat ipsam Divinitatem omnibus Trinitatis personis communem, negamus illam generari; Si vero intelligat Proprietatem Divinitatis personalem, negamus contradictorium esse, ut secunda illa Divinitatis Hypostasis sive proprietas personalis originem suam à prima habeat, quoad modum habendi essentiam illam divinam.

§. CCLXIII.

Altera difficultas hæc est: *Quod si Deus dicatur generare Deum, qui est Deus ex Deo, aut generet eundem numero Deum, qui ipse est, aut alium. Non eundem, quia generans & generatus sunt opposita, quæ non sunt unum & idem. Si autem alium Deum, sequi non unum numero esse Deum altissimum.*

Ite-

§. CCLXIV.

Iterum hic distinguendum est inter Deum essentialiter & personaliter sumtum: Si sumatur essentialiter, non dici potest Deum alium numero Deum generare, cum essentia unus Deus altissimus sit; si vero personaliter intelligatur, Deus Trinus est, sive tres sunt divinitatis Personae, essentia vero divina eadem numero omnibus tribus communis est.

Ita LEIBNITIUS ad Argumentum hoc respondet: *Quando Deus Deum generat, generat eum, qui est idem numero Deus cum ipso, etsi non simpliciter sit idem numero cum ipso. Non generat eundem numero Deum, sed eum qui est idem numero Deus, licet sit alia persona.*

§. CCLXV.

Tertio difficultas hæc est: *Si Filius Dei generabatur ex substantia Patris ab æternitate, aut desiit generari aut non desiit; si non, adhuc generatur, & ita numquam est, semper fit: sin desiit generari, finem temporis habet ejus generatio, adeoque & initium temporis, ergo non est æterna.* Quod dilemma in hanc formam redigit Celeb. CARPOVIUS:

Si Filius Dei generabatur ab omni æternitate ex essentia Dei Patris, aut jam desiit generari, aut non desiit.

Sed 1. *falsum est, quod jam desierit, quia alias finem temporis haberet hæc generatio, quo concesso, principium temporis etiam habere debuisset, adeoque nec æterna fuisset; siquidem quod nunquam incepit, id nec desinere potest.* 2. *Falsum est, quod non desierit, quia alias Filius Dei qua divinitatem etiam nunc generaretur*

&

& porro in omnia Secula generandus esset; quo concesso, semper fieret, nondum perfectus esset; quod personæ Dei esset inconveniens. E. falsum est etiam antecedens, scil. quod Filius Dei generetur ab omni æternitate ex essentia Patris.

§. CCLXVI.

Respondemus α. nos ignorare modum quo hæc generatio facta est, nec plus de ea scimus, quam Deus nobis revelavit, nempe τὸ ὅτι, quod nobis scire sufficit: nam uti multa sunt in toto Divinitatis complexu omnibusque Attributis divinis, quæ finitum intellectum superant, ita omnis Mysterii hujus modus à creatura intellectu finito prædita cognosci minime potest. β. Falso Adversarius generationem hancce concipit, ac si facta fuisset in tempore, quasi ideo initium & finem haberet; in æternitate nec est prius nec posterius, adeoque generatio nec potest dici initium habuisse, nec etiam duratio nec finis illi adscribi potest. In eo ergo peccant Adversarii, quod æternitatem cum tempore semper confundunt, quasi aut similia aut æqualia essent, inde est, quod generationem illam æternam similem esse arbitrantur productioni rei alicujus in rebus physicis.

§. CCLXVII.

Septimum & ultimum WISSOWATII *Argumentum* hoc est: Quod aut tota Trinitas incarnata sit aut non tota? Prius dici nequit, ergo oportet sit posterius; si posterius, sequeretur Deum non esse omnino unum simplicissimum & indivisibilem; Quod Argumentum in hanc formam redigit CARPOVIUS: Si Deus altissimus est incarnatus, aut tota Trinitas, seu quid-

quid

quid est Deus altissimus, est incarnata, aut non tota.

Sed *primum* falsum est, quod tota, qui alias non tantum Filius Dei, sed etiam Deus Pater & Spiritus S. essent incarnati & nati ex Maria Virgine. Quod tamen falsum est. Sed & *alterum* falsum est, quod non tota divina Trias incarnata, sed sola Persona Filii; alias enim Deus indivisibilis, unus, & simplicissimus esset divisus; quam consequentiam hoc nititur probare Syllogismo:

Illa Deitas quæ est in Patre, non descendit de cœlo nec est incarnata.

Hæc Deitas quæ est in Deo Filio & descendit dn cœlo & est incarnata.

E. hæc Deitas, quæ est in Deo Filio & descendit de cœlo, non est illa Deitas quæ est in Deo Patre.

E. falsum est etiam antecedens, quod Deus altissimus sit incarnatus.

§. CCLXVIII.

Uti subtilissimus Adversarius ad eundem semper impingit lapidem, ita sæpius eadem etiam recurrit *responsio*. Et hic enim distinguendum est inter divinam substantiam essentialiter & personaliter sumtam; Deus essentialiter sumtus divisus minime est, hoc tamen non impedit, quo minus illi, quibus divina essentia competit, à se invicem sint distincti, hoc est, quod una personalis proprietas non sit altera: Unde sequitur uni ex proprietatibus illis personalibus aliquid competere posse quod alteri non competit, salva essentia communi; ergo salva communi divina essentia quæ unica atque simplicissima est, aliqua illius pro-

proprietas, quæ à reliquis distincta est, potuit assumere naturam humanam, licet idem de reliquis proprietatibus dici nequeat, quod ne ullam quidem involvit contradictionem, neque ullum in communi essentia divina infert divisionem.

§. CCLXIX.

Hæc fuere WISSOWATII Tela. Adversarii porro ita argumentantur: *Filius Dei differt à Patre, ut genitum ab ingenito. Sed quia accidens in Deum non cadit, genitum & ingenitum in Deo debent esse substantiæ. E. Filius à Patre differt substantialiter.*

§. CCLXX.

Respondemus, substantiam hic sumi vel pro tota divina essentia, quæ omnibus tribus Personis communis est, vel sumitur pro Personalitate; quatenus una divina Persona subsistit distincte ab altera, sive modo subsistendi ab altera differt. Modo priori hic sumi non potest, cum de personalitate Patris & Filii sermo sit; posteriori verò sensu concedimus, Filium à Patre differre substantialiter, quoad substantiam respectivam non absolutam; si nimirum personalitas ceu substantia consideratur. Eadem nimirum numero est substantia divina, sed trinum habet respectum hypostaticum.

§. CCLXXI.

Etiam sic ratiocinantur: *Pater est ingenitus & Filius est genitus, E. non sunt unus & idem Deus, alioqui unus & idem Deus esset genitus & ingenitus, quod esset contradictorium.*

§. CCLXXII.

Respondemus unum eundemque Deum posse

esse

esse genitum & ingenitum sed diverso respectu, ratione communis essentiæ divinæ uterque est ingenitus; ratione vero personalitatis, sive proprietatis personalis una proprietas scil. paternitas est ingenita, altera vero proprietas personalis potest esse & revera est genita; unde, si recte explicetur, Deus altissimus diverso respectu dici potest genitus & ingenitus, quod nullam plane contradictionem involvit.

§. CCLXXIII.

Illæ nunc addendæ sunt *objectiones*, quæ contra Deitatem Filii ex Sacris afferuntur Litteris, ad illas vero solvendas hæc tria præprimis observanda sunt: *α.* Quod Christus in Negotio Salutis susceperit Personam non tantum Filii, sed & Legati & Servi, ut hoc respectu dici possit inferior Patre; Pater nimirum ceu summus Judex, qui totius Trinitatis Autoritatem atque Honorem vindicat, in Salutis Negotio consideratur, Filius vero ceu talis qui Electorum in se suscepit Personam. *β.* Aliquando ad solam Salvatoris humanam Naturam respicitur. *γ.* Deus subinde sumitur Essentialiter, subinde Personaliter. Ex his tribus observationibus omnia solvi possunt Adversariorum sophismata.

§. CCLXXIV.

Nullius ergo momenti est *objectio prima* quæ hæc est: Quicunque à Deo in Mundum missus est, ille non est ipse Deus. Missio enim involvit inferioritatem, quia ab æquali æqualis non potest mitti. Sed Christus à Deo in hunc Mundum est missus, Joh. IV. 34. E.

Respon-

§. CCLXXV.

Respondemus non tantum missionem non semper inferioritatem involvere, sed & fieri posse per consilium & consensum; uti Act. VIII. 14. Sed ex prima nostra observatione tota hæc solvitur difficultas (§. 273.). Christus nimirum ex desiderio salutis Electorum *Legati* atque *Servi* in se suscepit Personam, quod dignitati ipsius nihil demit absolute, licet certo respectu ceu minor Patre considerari possit.

§. CCLXXVI.

Non majoris momenti *secunda objectio* est, quod quisquis ad summum Deum preces fudit; non sit ipse Deus. Atqui Christus &c. Matth. XXVI. 39. Joh. XVII. 1. seqq. E.

§. CCLXXVII.

Resp. α. Christus sua sponte Electorum in se suscepit Personam, unde Sponsoris atque Intercessoris vicibus fungitur, Pater vero supremi Judicis Personam gerit, unde Christus Electorum Caput ipsorum loco à Deo petit, cui Vitam suam pro iis se positurum promiserat. β. Christus non Deus solum fuit, sed & humanam habuit naturam, unde etiam hoc respectu à Deo dependens fuit ipsique subjectus.

§. CCLXXVIII.

Tertio objiciunt: Cui omnia data sunt à Patre, ille non est Summus Deus. Nam Summus Deus omnia jam ipsemet habet. Sed Christo omnia data sunt; Joh. III. 35. VI. 39. E.

§. CCLXXIX.

Responderi poteſt ex obſervationibus noſtris (§. 273. Nam α. Chriſtus hic conſideratur ceu Deus perſonaliter, qui ipſam ſuam Eſſentiam per generationem illam æternam habet à Patre, per quam ipſam Divinam Eſſentiam illi communicavit. β. Omnia ipſi à Patre tradita ſunt in æterno pacis conſilio, ubi Chriſtus Servi & Sponſoris ſuſcepit Perſonam (§. 273.), quod ipſius divinæ Dignitati nihil derogat, dum ſponte id fecerit. γ. Verum eſt, Chriſtum qua Summum Deum Eſſentialiter ſpectatum etiam ad extra jam ipſummet omnia habere; ſed ſi Perſonaliter ſpectetur; in Redemtos ſuos adhuc jus peculiare propter meritum ſuum à Patre accepit.

§. CCLXXX.

Objiciunt quod Chriſtus dicat: Patrem eſſe majorem ſe, Joh. XIV. 28. Unde conſequatur ipſum non eſſe Summum Deum.

§. CCLXXXI.

Reſponſio patet ex obſervationibus noſtris (§. 273.).

§. CCLXXXII.

Alia objectio ita formatur. Quicunque Voluntatem ſuam ſubjecit Voluntati Dei Patris, ille non eſt verus Deus. Sed Chriſtus ſubjecit Voluntatem ſuam voluntati Dei Patris. Matth. XXVI. 39. E. non eſt verus Deus.

§. CCLXXXIII.

Solutio difficultatis hujus habetur in obſervationibus noſtris quæ extant (§. 273.) Poſtquam

enim Christus semel Mediatoris Personam in se suscepit, atque pro Fidelibus se satisfacturum spoponderat, non potuit non Voluntati patris atque partibus suis in omnibus satisfacere; Et eoipso quo Legati Personam in se suscepit, etiam fuit servus & quidem spontaneus; unde Patris ac Domini Voluntas debuit fieri, sarta tectaque Dignitate sua Divina.

§. CCLXXXIV.

Sexta Difficultas ex S. Scriptura desumta hæc est: Christus vocat Patrem solum verum Deum, Joh. XVII. 3. E. semetipsum à Divinitate excludit.

§. CCLXXXV.

Respondemus *α.* Licet dicatur solam Essentiam illam, quam habet Pater, esse vere divinam, Filius tamen ab illa non excluditur, dum eandem numero cum Patre Essentiam habeat; Solam vero Essentiam divinam absolute spectatam nosse ad cognitionem salutarem non sufficit, sed & hoc cognitu omnino necessarium est, Christum eandem numero cum Patre Essentiam possidentem esse Legatum Dei atque Mundi Salvatorem unicum. Hoc ergo Christus vult dicere, ad salutem consequendam non sufficere ut Essentia divina absolute spectata cognoscatur, sed & hoc necesse esse, ut sub hac etiam relatione cognoscatur, quod per Jesum Christum Legatum Dei ac Summum Mediatorem Deus factus sit Deus Peccatoris. *β.* Etiam hic adhiberi potest observatio nostra prima, nam in Negotio Salutis solus Deus Pater sensu strictissimo ceu Deus consideratur, dum is ille sit qui in Foro divino,

cui

cui Peccator sistitur, totam Trinitatem repræsentat, ejus Jus administrat atque Autoritatem vindicat; Christus vero Filii, Servi, Legati, Mediatoris Personam gerit.

§. CCLXXXVI.

Eodem etiam modo *solvitur* hæc *objectio* quod Christus dicitur Deo obedivisse. Phil. II. 8. vocatur Servus Dei Jes. LII. 3. LIII. 11. Id enim munus sponte Fidelium loco, absque detrimento divinæ Dignitatis suæ in se suscepit.

§. CCLXXXVII.

Etiam sic Adversarii *argumentantur*: Quicunque non est principale Fidei Objectum, is non est supremus Deus. Atqui Christus tale non est Joh. XII. 44. E. non est verus Deus.

§. CCLXXXVIII.

Resp. Christus alibi consideratur ceu præcipuum Fidei Objectum, uti Actorum XVI. 31. Unde Dictum hoc ita explicandum: *Qui credit in me, is non in me solum credit, sed & in eum qui misit me.* Vide Joh. XIV. 1. 9. 10.

§. CCLXXXIX.

Objiciunt Christum sæpissime à Deo distingui, ut cum dicitur Filius Dei Joh. III. 16. Joh. XIV. 1. vocatur imago Dei, 2. Cor. IV. 4. apud Deum fuisse Joh. I. 1. 2. unde sequatur ipsum non esse verum Deum.

§. CCXC.

Diluitur hæc *difficultas* ex Observatione nostra tertia; Deus nimirum sumitur vel *Essentialiter*, quo sensu Christus etiam Deus verus appellatur,

 neque

neque à Deo distinguitur, uti 1. Joh. V. 20. Vel *Personaliter*, ubi Christus à Patre, qui ipsi divinam Essentiam communicavit, distinguitur, ex quo nihil sequitur quam Patrem & Filium esse alium ac alium.

§. CCXCI.

Nequi Dignitati Christi divinæ aliquid demitur, quando Matth. XX. 23. dicit: *Sedere à dextris meis & à sinistris meis, non est meum dare, sed quibus paratum est à Patre meo: Pater enim ille est, qui certum hominum lapsorum numerum Christo redimendum tradidit, qui nos elegit in Christo*, Eph. I. 3. Quique Christo Regnum testamento legavit. Lucæ XXII. 29. Unde Pater ceu prima Trinitatis persona de cujusvis sorte in Regno Cœlorum disposuit, neque Christus aliquid mutat, siquidem ipse Salvatoris personam gerat, & suis Regnum hoc modo disponat, quemadmodum illud Pater ipsi disposuit.

§. CCXCII.

Ea adhuc *difficultates* solvendæ nobis veniunt, quæ contra Spiritus S. divinitatem afferuntur, & quidem primo ita argumentantur: Si Spiritus S. est Persona divina, Christus erit ejus Filius propter conceptionem à Spiritu S. Lucæ I. 35.

§. CCXCIII.

Observandum a. Ipsius à Maria & conceptionem & nativitatem Deitati ejus æternæ, de qua quæstio est, plane nihil derogare, illa enim nec concepta nec nata est; unde licet Maria vi Spiritus S. concepisse dicatur, nullo tamen modo involvit Spiritum S. Divinitatis Christi causam atque Autorem esse; evanescit ergo absurdum illud & contra-

contradictio, quam Adversarii inde elicere volunt, quod Christus secundum totam suam Personam vi Spiritus S. conceptus sit. β. Neque more humano concipienda sunt, quæ de hoc Spiritus S. actu dicuntur in S. Litteris, sed nihil aliud indicatur quam modo plane miraculoso hanc Christi conceptionem Spiritus Divini vi præstitam esse, omnibus enim tribus personis opus hoc adscribi supra ostendimus, & nullam plane involvit contradictionem, Christum etiam secundum Naturam humanam Dei Filium dici.

§. CCXCIV.

Addunt: Deum, si Personam divinam in S. Litteris denotet, non dici *dari*, aut *precibus impetrari*, aut ab homine possideri. Hoc vero de Spiritu S. dici Lucæ XI. 13. Joh. XIV. 26. Act. V. 32. 1. Cor. VI. 19. Unde sequatur Spiritum S. non esse Deum.

§. CCXCV.

Tenendum autem eodem modo dici posse Spiritum S. à Patre & Filio nobis dari, quo dicitur Filium in bonum nostrum missum esse; nam Pater in toto Salutis Negotio semper ceu primaria Persona consideratur, quæ & Filium & Spiritum S. mittat & in nostram salutem eos largiatur. Neque ullam involvit contradictionem, Deum precibus impetrari & à nobis possideri, nam & ipse Pater in nobis habitationem facere dicitur, Joh. XIV. 23.

§. CCXCVI.

Et *licet* Spiritus S. dicitur virtus Dei Lucæ XXIV. 49. coll. cum Act. II. 4. Lucæ I. 35.

1. Cor. II. 4. *inde* tamen *non sequitur* ipsum non esse Summum Deum, siquidem & Filius Dei, cujus Divinitatem demonstravimus & vindicavimus, ita vocetur. 1. Cor. I. 24.

§. CCXCVII.

Objiciunt denique Spiritum S. in S. Scriptura nullibi vocari Deum, nec cultum Religiosum sibi tribui, quapropter etiam pro Deo habendus non sit.

§. CCXCVIII.

At primum quod *attinet*, falsum est Spiritum S. nullibi vocari Deum, ex Act. V. 3. 4. patet Ananiam non Petro solum, sed & Deo Spiritui S. mentitum esse. Huic addenda sunt illa dicta, ubi id quod in V. T. de Deo dicitur in Novo Spiritui S. adscribitur, uti Jes. VI. 3-9. coll. cum Act. XXVIII. 25. nec non Psalm. XCV. 7.--11. coll. Hebr. III. 7--10.

§. CCXCIX.

Cultum vero Religiosum ipsi exhibendum quod spectat, ipsum celebrant Seraphini, Jes. VI. 1-10 ubi etiam Spiritus S. intelligendus est: vide Act. XXVIII. 25. in nomen ipsius baptizari debemus, Matth. XXVIII. 19. Et ipsius Gratiam & Communionem ceu Donum divinum ab eo precamur, 2. Cor. XIII. 13. Et cum ipse Spiritus S. sit Autor precum in Cordibus Fidelium, mirum non est quod ipsum invocandum esse expresse mentio non fiat.

§. CCC.

In Deo varios esse Affectus ac Voluntatis commotiones Sociniani statuunt, contra negativam

vero

vero sententiam *objiciunt* ea Scripturæ loca, quæ Deo affectus videntur adscribere. Sed nec ipsimet adversarii ignorant & sæpius fatentur, multa de Deo Scripturæ loca improprie & tropice esse explicanda, per ἀνθρωποπαθειαν; ab effectu talis Deo adscribitur affectus, qualis in homine deprehenditur, qui effectum similem producit.

§. CCCI.

At metuit CRELLIUS *de Deo ejusque attributis* pag. 321. ne Deum ex Stoicorum sententia ἀπαθῆ faciamus, omnemque plane Religionem tollamus, statuendo Deum nullo modo affectum fuisse, dum clarissimus & unigenitus illius Filius crudelissime ab impiis hominibus tractaretur.

§. CCCII.

Stoicorum quidem ἀπαθεια, quatenus ab hominibus eam requirebant, rejecta fuit. Quod vero Deum affectibus carere asserebant, de hoc nunquam ipsis lis mota fuit, dum si tales Deo adscribantur voluntatis commotiones: variæ inde sequantur imperfectiones atque mutationes, quod nullo negotio demonstrari posset: Omnem vero hac ratione tolli Religionem CRELLIUS quidem asserit, sed non probat, unde nulla etiam responsione opus est.

§. CCCIII.

Ecclesiæ nostræ de Decretis divinis doctrinam exposuimus, illiusque veritatem demonstravimus. Cap. III. Sectione V. & Sectione XVII. ubi de Prædestinatione in specie agitur; nunc ut *objectiones* ab adversariis allatas solvamus superest.

§. CCCIV.

Prima quaestio est, num decreta in Deo nonnisi accidentia sint? Quod nos negamus; CRELLIUS *Lib. de Deo* Cap. XXXII. pag. 347. sequentia praecipue *objicit* ad probandum illa non esse ipsam Dei essentiam. α. Quoniam sint essentiae divinae effectus, idem vero sui ipsius effectus esse nequeat. β. Quod sint contingentia, cum tamen essentia divina sit absolute necessaria. γ. Quod includant respectum ad extra: Cum tamen Deus ens absolutum sit. δ. Decreta plura esse dicit, Deum vero unicum. ε. Ea etiam sibi subinde contraria esse ϛ. & saepissime desinere dicit.

§. CCCV.

Omnes vero hae difficultates unica *responsione* facile solvuntur; distinguendo nimirum id quod est in ipso Deo scilicet voluntas ipsius decernens & sese determinans, ab ejus effectu qui est extra Deum; de posteriori non negamus esse aliquid à Deo diversum, prius vero nonnisi ipsa Dei voluntas est (Cap. III. §. 422. 424.)

§. CCCVI.

Decreta Dei esse aeterna demonstravimus (l. c. §. 425.) *Objicit* CRELLIUS *Lib. de Deo* Cap. XXXII. pag. 339. Sacras litteras ad ostendendam singularem vel rerum vel personarum quarundam praestantiam, aut Dei erga has charitatem, aut denique insignem nonnullarum rerum certitudinem, commemorare, de iis Deum jam olim, & quidem ante conditum mundum, decreta fecisse. Ut, *inquit*, tum de salute nostra sempiterna, tum de Christo salutis nostrae duce, & gloria ipsi destinata legimus. At hujusmodi

modi argumentum nullum esset, si id omnibus prorsus Dei Decretis esset commune. Quod enim commune omnibus est, nullam peculiarem unius præ altero præstantiam demonstrat. Sed præterea id quoque ejus Sententiæ falsitatem manifeste docet, quod multa Dei Decreta de iisdem subjectis facta, uti & affectus, ex quibus ea manant, sibi invicem adversentur, & unum ab altero tollatur. Aliud enim ab amore manat, aliud ab odio; illud à gratia atque misericordia, hoc ab ira, illud ad felicitatem hominis spectat, hoc ejus pœnam & interitum postulat. Unde supra vidimus Deum dici pœnitere eorum quæ de hominibus certis decreverit, ac sententias à se latas, & aperte etiam promulgatas, mutatis hominum moribus, aut aliis quibusdam rebus intervenientibus revocare. Non ergo eodem tempore omnia in Deo existunt, adeoque nec ab omni æternitate simul extitere. Hactenus CRELLIUS.

§. CCCVII.

Ad hæc *observandum* α. Decretum divinum in se nonnisi numero unicum esse (Cap. III. §. 435.); adeoque nonnisi quoad objecta illius, non vero quoad decernendi actum, distinguendum. β. Deus nihil decrevit nisi in relatione ad omnia sua Attributa & ad totum Universum (Cap. III. §. 432.), propterea impossibile, ut unum Decretum alterum tollat, aut ut unum alteri contrarium sit. Decretum est immutabile (l. c. §. 429.), unde male Adversarii statuunt, Deum nunc hoc nunc illud decernere. γ. Nulla dantur Decreta temporaria (l. c. §. 426.), male igitur in æterna & temporaria distinguuntur. δ. Sed quod sæpius

jam monuimus, Adversariorum error & difficultates inde nascuntur, quod non distinguunt decernendi actum, qui est in ipso Deo, à Decreti effectu & objectis, quæ existunt extra Deum; de quibus minime negamus ea temporaria esse, neque si alius atque alius in hoc mundo sequitur effectus, ut unus alterum semper excipiat, putandum est eodem modo unum decernendi actum alterum sequi, dum sit contra id quod demonstravimus. Executio Decreti divini non est ipsum Decretum, Adversarii vero confundunt hæc duo, & Consilii sive Decreti divini Executionem sumunt pro ipso Decreto. In Executione unus effectus alterum sequi potest, quod tamen minime infert, Deum totam Executionem & omnes in hoc Mundo effectus non unico actu decrevisse. 5. Si denique nonnulla ab æterno decreta fuisse in S. Litteris expresse dicuntur, minime inde sequitur reliqua Decreta non esse æterna.

§. CCCVIII.

Nonnulla Dei Decreta à Conditionibus esse suspensa, à talibus nimirum quæ non in ipso divino Decreto contentæ & ordinatæ sunt, *Adversarii asserunt*, quod *nos negamus*. Ita CRELLIUS I. c. p. 331. *objicit: At non sine Conditione decrevit Deus homines servare; sed si crediderint, ut fidem suam vitæ pietate veluti animent, & in ea usque ad finem vitæ constanter perseverent. Et talia quidem Dei Decreta non semel in Scripturis reperiuntur, quæ ipsa verborum forma inspecta, conditionem adjunctam habent. Apud Mosen enim non pauca extant loca, ubi Populo Israëlitico tum promissiones divinæ, tum comminationes, præmia ac pœnæ, proponuntur; illa si Dei mandatis paruerit; hæ si non paruerit.*

Non

§. CCCIX.

Nos in hoc Adversariis assentimur, quod Deus non sine conditione homines servare decreverit; at cum Deus nec in intelligendo, nec in volendo, adeoque nec etiam in decernendo, nec denique in agendo à re extra se & independenter à se existente dependere possit; negamus conditionem illam sive implementum illius conditionis esse aliquid quod est extra divinum Decretum, & in illo non comprehensum (Cap. III. §. 1206.). Lubentissime vero concedimus, finem & media sive conditiones sibi invicem in salutis negotio sapientissime subordinata esse (Cap. III. §. 1168. 1169.). His adde (l. c. §. 1176. 1182. 1183. 1184.).

§. CCCX.

Nonnulla S. Scripturæ loca *objiciunt*, ex quibus Decreta inefficacia ac ab hominum voluntate dependentia probare contendunt, ita enim CRELLIUS l. c. p. 332. At illa, inquit, Dei decreta, quæ conditionem aliquam habent annexam, & ad quorum executionem Deus liberum voluntatis nostræ actum vult intervenire, non semper ad exitum perducuntur; imo interdum in contrarium vertuntur. Hinc legimus apud Lucam Cap. VII. Pharisæos & Legisperitos Consilium Dei sprevisse, vel irritum fecisse (est enim in Græco ἠθέτησαν) in semetipsos, quia nimirum baptizari à Johanne noluerint. . . . Sic tum apud eundem Scriptorem, tum apud Matthæum, ait Christus, urbem Hierosolymitanam alloquens, & constantem Dei, in incolumitate ac salute ejus quærenda; voluntatem ac studium explicans: quoties volui congregare filios tuos &c. . . .

His

His addi possunt illa Dei apud Mosen de Populo Israëlitico: Non intrabitis in terram, super quam levavi manum meam (h. e. juravi) ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephonæ, & Josuæ filium Nun.

§. CCCXI.

In genere *observandum*: Ipsam rerum quam subeunt mutationem nil nisi ordinem Decreti constantissimi probare, & omnem, quæ accidit in hujus Universi Gubernatione, mutationem, esse mutationem solummodo operis, non vero Decreti divini, adeo ut rerum vel promissarum vel comminatarum extra Deum mutatio locum habere possit, licet Voluntas & Decretum in Deo immutabili constantia idem maneat.

§. CCCXII.

In specie *ad primum* ex citatis locis quod spectat, vox βυλὴ non tam Decretum quam vero Mandatum divinum in plurimis locis significat, uti bene ipse CRELLIUS l. c. p. 328. observat, dicens: *Sæpius autem in hac significatione nomen voluntatis, quam volendi verbum occurrit. Quanquam eo nomine valde frequenter, non quicquid unquam decrevit decernitque Deus, intelligitur, sed illa imprimis Dei Decreta, quæ ipsius præceptis ac promissis & quæ his opponuntur, comminationibus continentur; ac omnium creberrime ea, quæ præceptis. Quis enim nescit. Dei voluntatem facere; quod in S. Litteris N. Fœderis non raro occurrit, esse Dei Mandata exequi, seu id facere, quod Deus fieri voluit ac præcepit.* Secundum eandem hanc explicationem sequitur, Pharisæos Mandatum Dei sprevisse vel neglexisse, hoc vero minime arguit ipsum Dei Decretum

per

per illos mutatum fuiſſe, ex eo enim quod ipſi Mandatum Dei non fecerunt, concludi minime poteſt, omnia ea non fuiſſe ſecuta, quæ de iis decreverat Deus.

§. CCCXIII.

Dictum Matth. XXIII. 36. etiam nihil aliud ſignificat quam quid Deus mandaverit; Non vero hic quæritur quid Deus homini mandet, ſed quid de integro rerum nexu decreverit. Dictum illud Num. XIV. 30. minime mutationem Voluntatis divinæ arguit, dum revera ex illis, qui ex Ægypto exiverant, præter hos duos nominatos, nemo in terram Cananæam intravit; reliqui omnes in deſerto mortui. Sed ſi ſubinde etiam videatur, Deum promiſſis aut comminationibus non ſtetiſſe, ſed Conſilium ſuum hac in re mutaſſe, ibi ſemper conditio aliqua ab hominibus præſtanda ſubintelligitur, quæ conditio num præſtanda ſit nec ne, per ipſum Dei Decretum certiſſimum eſt.

§. CCCXIV.

Contra noſtram, de certiſſimo Prædeſtinationis divinæ, tam quoad Perſonas, quam quoad *Conditiones & eventum*, Doctrinam, Sociniani duo potiſſimum *obiiciunt: alterum* quod omne hac ratione tollatur Religionis ſtudium, *alterum* quod multa Deo indigna in Doctrina noſtra contineantur. Ita enim *Catech. Racov.* Sect. 6. de Lib. Arb. Cap. X. pag. 300. ſeq. *Ea*, inquit, *de prædeſtinatione ſententia prorſus fallax eſt, id vero duas ob cauſſas potiſſimum: quarum una eſt, quod totam Religionem corruere eſſet neceſſe: altera quod Deo multa inconvenientia attribui oporteret. Cedo, qui hac ſenten-*

sententia admissa, religio prorsus corrueret? Id inde perspicuum est, quod omnia ad pietatem & religionem spectantia, necessario nobis inessent: quo admisso, nullo nostro nisu & labore opus est, ut pii simus. Omnis enim conatus & studium, illic prorsus superfluum est, ubi omnia fiunt necessario, ut ipsa Ratio docet. At ex ipsa Pietate & Religione, conatu & studio sublato, pietatem & religionem interire oporteret. Cedo etiam, quæ Deo inconvenientia attribuerentur si hæc sententia admitteretur? Ea sunt quatuor numero. Recenset deinde & deducit Catechetes *Injustitiam: Hypocrisin: Summam imprudentiam: & Pravitatem,* verba ut allegemus nimis prolixa sunt. SOCINUS *Prælect.* Cap. VI. hac de re ita habet. *Negamus nos istam Prædestinationem, idque ob duas potissimum Causas: Una est, quod, si ea vera esset, omnis Religio funditus tolleretur. Altera, quod ea admissa, necesse est Deo multa ipso indignissima attribuere. Tolleretur omnino, si prædestinatio ista vera esset, religio universa, quia manifeste ex ea consequitur, quæcunque ad Pietatem pertinent, omnia ex necessitate fieri. Quod si verum est, quorsum attinet laborare ac studere, ut pii simus? Frustra est enim omnis labor, omneque studium, ubi necessario omnia eveniunt, quemadmodum sensus ipse communis nos docet. Labore autem isto ac studio sublato, omnem Religionem interire necesse est. Deo vero, si prædestinatio ista admitteretur, quatuor quæ vel nominare animus horret, tribuerentur: Iniquitas, simulatio cum deceptione conjuncta, inscitia & Pravitas.* His adde VOLLELIUM *de Relig.* Lib. V. Cap. XVII. pag. 524. his addit quod vitæ æternæ possessio omnibus sine discrimine offeratur; *Hoc autem*, inquit, *nihil cum vero conjunctum habere inde constat, quod Christus,*

ſtus, qui divinæ Voluntatis locupletiſſimus interpres fuit, omnibus, ſine ullo diſcrimine, vitæ beatæ poſſeſſionem detulit. Reliqua de Religione ac inconvenientibus quæ reſpectu Dei inde fluant, cum iis quæ *Catech.* & SOCINUS habent fere conveniunt; unde ea non allegamus.

§. CCCXV.

Per noſtram de Prædeſtinatione ſententiam omnis Religionis ac Pietatis ſtudium extirpari non Socinianorum, ſed Remonſtrantium etiam, ſæpius repetita *objectio* eſt. At *obſervent* quæſumus quod à Theologis noſtris toties repetitum eſt α. Nos in Doctrina noſtra Pietatis ſtudii commendationem non tantum non negligere, ſed & demonſtrare absque illo impoſſibile eſſe, ut quis vitam æternam conſequatur; neque magis id fieri poſſe quam in reliquis omnibus hominis actionibus, ut finis absque mediorum uſu obtineri poſſit. Unde finem & media in noſtra Doctrina ita ſubordinamus, ut unum ab altero nunquam ſejungamus (Cap. III. §. 1177--1182.) β. Hominem Libertate minime privamus, ut illa in actionibus uti nequeat; ſed demonſtramus potius, Decreta divina in rebus nihil mutare, ſed quæ antecedenter (ſi ita loqui fas eſt) ad Decreta fuiſſent contingentia manere contingentia, & quæ libera manere libera (Cap. III. §. 439. 440.); Ut etiam hominis actiones per ipſam Prædeſtinationem maneant liberrimæ. γ. Neceſſitas illa, qua res per Decretum divinum eveniunt, ſemper manet hypothetica; Decretum rebus ſive eſſentiæ rerum nihil quam exiſtentiam & futuritionis certitudinem addit. δ. Nemo tandem noſtrum ſibi imaginatur absque bonorum operum ſtudio ſe Salu-

tem

tem æternam consequuturum esse, sed summa illorum semper & ubique urgetur necessitas; neque peccatum ex Reprobatione, sed hanc ex illo derivamus.

§. CCCXVI.

Quod autem huic *objectioni alteram* adjungunt, Deo scilicet hac Doctrina multa adscribi indignissima, nempe injustitiam, fraudem, stultitiam & malitiam, horrendum fateor cogitatu est. Sed *primo* negamus ex Doctrina nostra sequi, Deum Peccatores punire ob id, quod citra suam id est Dei Culpam facere nullo modo possunt; Nam si homo in statu moralis imperfectionis constitutus est, id non Dei sed propria Culpa factum. Si porro homo liberrima Voluntate peccet, & in peccatis perseveret, pœnam non mereri dici nequit, si Deus eum liberrime peccantem & in peccatis perseverantem puniat, justus Judex injustus declarari minime potest. 2. Nec etiam fraus aut deceptio nominari, aut Deo affingi potest, licet dicamus omnibus hominibus Deum significare præceptum suum & serio mandare ut resipiscant, quanquam iis non largitur id quod non tenetur, ulteriorem gratiam scilicet, quam sapientissimas ob caussas pertinacissimis ac pessimis peccatoribus denegat, dum ne id quidem faciunt quod facere possent.

§. CCCXVII.

Neque 3., quod absit, Deo per Doctrinam nostram Prudentia denegatur, quasi Deus alicujus rei curam susciperet, vel saltem suscipere videretur, quam certo nosset non posse perfici, adeoque ludibrio se exponeret; siquidem statuimus omnia divina opera ita efficacia esse, ut finem

nem ubique assequantur; ubi Deus externa tantum homini suppeditat Media, ibi fine suo non excidit, ut reddat scilicet homines inexcusabiles, & ut Carnis infirmitatem & Gratiæ suæ necessitatem demonstret, quousque etiam Decretum sese ratione illorum objectorum extendit. In reliquis vero, ubi Gratia divina efficax ad Verbi præconium accedit, statuimus manum Domini nunquam decurtatam esse.

§. CCCXVIII.

Nulla etiam, quod *quartum* est, Deo Pravitas adscribitur, quasi Deus Peccati Autor constitueretur: Quæ *objectio* inde fluit, quod Adversarii nostram de Prædestinatione vel Reprobatione Doctrinam perverse concipiunt: Unde ita objectionem hanc probat *Catechesis Racov.* l. c. pag. 302. *Etenim*, inquit, *cum damnatione peccata præcedere prorsus oporteat, certe qui absolute decrevit aliquem necessario damnare, idem, ut is peccet, necessario constituit.* Negamus autem quod damnatio peccata præcedat; sed statuimus in damnatione peccatorum respectum haberi & neminem reprobari docemus, nisi propter continuam & finalem in peccatis perseverantiam. Negamus ideo, Deum absolute decrevisse, nullo peccatorum respectu habito, ut aliquis damnetur; negamus necessitatem illam damnationis esse absolutam, sed nonnisi hypotheticam esse docemus. Unde patet totam hanc objectionem nonnisi perversum de nostra sententia conceptum exprimere, adeoque nihil plane contra nos probare.

§. CCCXIX.

Ad eam quam ex VOLKELIO adduximus

Objectionem Respondemus, falsum esse quod Christus omnibus indiscriminatim Vitæ æternæ possessionem detulerit, contrarium enim patet ex Matth. XV. 44. Matth, XI. 25. X. 5. Act. XVI. 7. multisque aliis locis.

§. CCCXX.

Ad ea, quæ contra Electionis firmitatem afferuntur, infra in Cap. de Arminianis respondebimus, cum iisdem utantur Armis.

§. CCCXXI,

Ad eas nunc progredimur Controversias, quæ Hominis statum ac Negotium Gratiæ in hac terra respiciunt; Contra nostram nimirum Doctrinam, quod omnes homines nascantur cum peccato Originali, sequentia *objiciunt*. *a.* Ajunt Peccatum Originis esse præter & contra Scripturam. Præter eam cum Gen. III. illud inter Peccati primi sequelas non numeretur. Contra eam, dum Ezech. XVIII. 20. contrarium dicatur.

§. CCCXXII.

Peccatum Originis, quod communiter *Hæreditarium* appellamus, ex Principiis Philosophicis demonstravimus (Cap. III. §. 851. --- 853.); quod vero Gen. III. nulla ejus expressa fit mentio nihil probat? nam neque necessitatis etiam moriendi mentio fit, quam tamen ipsi Adversarii inter peccati sequelas numerant, licet hominem in statu integritatis etiam moriturum fuisse contendant. Ad dictum Ezech. XVIII. 20. quod spectat, ibi nullus plane sermo est de peccato Originis, sed de pœna peccati; & quæritur an Infantes luere debeant peccata parentum, quod ibi

ibi negatur quoad pœnam, & nos negamus hominem aliam ob causam quam propter propria puniri peccata: Si ergo per nexum naturalem & caussas physicas à peccatoribus peccatores progenerentur, posteriores propter sua & nequaquam propter parentum peccata pœnæ obnoxii sunt, quod cum illo Ezechielis testimonio optime consistit.

§. CCCXXIII.

Iniquum *porro* esse *ajunt* in Dei bonitatem, sapientiam & justitiam, si dicatur, primi hominis peccatum ad posteros propagari.

§. CCCXXIV.

Multa vero dicunt quæ non probant Adversarii; Neque enim divina *Bonitas* hic accusanda, dum juxta nostram Doctrinam hominem bonum & justum condidit, quod Adversarii negant, unde illi potius quam nos in divinam Bonitatem injurii sunt. Neque *Sapientiam* divinam oppugnat ea Doctrina, quæ statuit Deum hominem in statu perfectionis moralis condidisse, postquam vero homo propria culpa moraliter imperfectus factus sit, Deum totum nexum inde naturaliter fluentem ita dirigere, ut ad finem omnium rerum universalem tendat, quæ summa Sapientia est, Neque *Justitiæ* contraria est Doctrina, quæ asserit, Deum Bonitatem cum Sapientia administrare, hoc est, tantum bonitatis cuilibet Creaturæ tribuere quantum capere potest, atque unicuique retribuere secundum opera sua.

§. CCCXXV.

Objiciunt tertio unum actum non posse facere habitum; Etenim unum illud peccatum per se,

non modo non universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuerit: inquit SOCINUS *Prælect.* Cap. IV. p. 13. huic adde OSTORODUM *Instit. Cap.* XXXIII. pag 271. nec non VOLKELIUM Lib. V. Cap. XVIII. pag. 548. Plane, ait, à recto ejus judicio alienum est, unum peccandi actum tantam vim habere, ut totam hominis Naturam, & sic etiam hominis Voluntatem, destruere possit: cum ne unius Adami quidem naturam corrumpere potuerit.

§. CCCXXVI.

Optime omnino Celeberrimus HOORNBECKIUS *Socinianismi Confut.* Lib. III. Cap. III. pag. 581. ad hoc *respondet*, Non quærimus hic, ait, quid unus actus queat facere, vel acquirere? Sed quid & quantum possit corrumpere ac pessumdare? Non quid actus unus in virtutibus, sed quid in vitiis valeat, ad malum non ad bonum? Et certe videmus, quanquam unus actus nequeat inferre virtutis habitum, tamen unum actum facile tollere virtutis habitum, & facere hominem penitus vitiosum. Non unico actu potest homo pervenire ad firmum robur, sanitatem, adde & vitam; sed quidem unico actu potest illa omnia simul tollere. Uno actu potest homini, quamvis ingenio, eruditione, memoria multum pollenti, omnis Doctrina adeoque & proprii nominis notitia adimi. - - - Mirum merito videri debet, Adversarios ausos dicere; ne unius quidem Adami Naturam corrumpere potuisse illud ejus peccatum: præcipue cum ipsi palam fateantur, quorundam peccatorum esse actus adeo enormes, ut habitibus bene æquiparari possint.

VOL-

VOLKELIUS Lib. IV. *de Relig.* Cap. XXIII. pag. 353. *Inter eos*, inquit, *actus peccatorum qui habitibus quibusdam comparari, & hominem denominare possunt, eminet Blasphemia in Spiritum S. quæ nec in hoc neque in futuro sæculo remittenda esse dicitur.* Et SMALCIUS *contra Frantzium* Disput. IX. pag. 290. Peccata enormia, ex deliberata malitia profecta, licet in habitum non erumpant, instar habitus censenda sunt.

§. CCCXXVII.

Statuimus, quæ sequens controversia est, Mortem temporalem esse poenam peccati; *Sociniani* vero *negant*, nostramque Doctrinam sequentibus oppugnant argumentis, probareque satagunt, hominem etiam ante lapsum natura mortalem fuisse. *Primo* ex eo quod jam ante mortem liberis procreandis à Deo destinatus fuerit. 2. Quia Cibo utebatur, Gen. I. 29. 3. Quod primus homo jam ante peccatum corpus animale habuerit, igitur & mortale. 4. Quod primus homo, antequam peccaret, jam terrenus erat, nempe quia è terra formatus fuerat; unde concludunt, peccatum non mortalitatis naturalis, sed necessariæ mortis caussam fuisse. 5. Addunt quod si mors ex peccaro sequeretur eam cum peccato inter Diaboli opera censendam esse; cum vero Christus venerit ad abolenda Diaboli opera, sequi, Mortem etiam per Christum fuisse abolendam. 6. Ex eo etiam constare ajunt mortalitatem naturalem fuisse, quod inter eas arbores, de quibus Adamo edere fas erat, etiam Vitæ arbor reperiebatur, si vero homo natura immortalis fuisset, minime opus fuisse ut fructus Arboris Vitæ ei commedendi traderentur. 7. Tan-

dem addunt; omnes mortalitatis caussas efficientes naturales tam in nobis quam extra nos, jam antequam primus homo peccaret, extitisse, non minus ac postea.

§. CCCXXVIII.

Omnes hæ *objectiones*, quinta excepta, ex unico *solvi* possunt Principio, nempe ex eo quod supra ad §. 90. observavimus; scilicet Quæstionem non esse de mortalitate vel immortalitate, sive an per hominis Naturam possibile fuerit ut mori potuisset? Sed hoc quæritur, an homo moriturus fuisset si non peccasset? Et an propria mortis caussa non sit peccatum? Hoc modo si controversia hæc proponatur, omnes hæ objectiones per se dilabuntur. Quintam difficultatem quod attinet, Christus sustulit non ipsam moriendi necessitatem & mortis actum, sed fecit solum ne ea fidelibus ceu peccati pœna infligatur, sed in beneficium potius converteretur. Neque dicitur quod Christus unico momento Diaboli opera destruxerit, sed quod id pedetentim faciat, & S. Scriptura asserit ultimum hostem, abolendum esse, mortem, quæ suo tempore etiam destruenda est.

§. CCCXXIX.

Sequens controversia circa Vires Liberi Arbitrii versatur & in hoc consistit; num homo post peccatum sive in statu imperfectionis moralis à natura & propriis viribus possit præstare opus vere bonum? Quod Sociniani cum omnibus Pelagianizantibus affirmant, & sequentia adducunt *argumenta: Primum* nempe desumptum est à voluntatis libertate, quæ cum etiam post peccatum

catum remaneat, ſequi etiam Vires iſtas nobis ineſſe, quibus facultate hac uti poſſimus. *Secundum* ex ratione præceptorum, quæ nullius uſus eſſe poſſint, ſi Vires ea ſervandi abſint. *Tertium* ex ratione vitii & pœnæ deſumitur, quæ nullum habere locum poſſint, ſi liberi arbitrii Vires negentur. Vide VOLKELIUM de Rel. Lib. V. Cap. XVIII. pag 545. Cum Sociniani armis Pelagianorum hic militent, reſponſionem ad Caput illud remittimus.

§. CCCXXX.

Ad controverſias de Chriſti perſona ac operibus nunc accedimus: *Prima* hæc eſt, quod Sociniani negant Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum & æternum Dei Filium: Et his contra nos utuntur argumentis *α*. quod in S. Litteris Deus Pater ſolus verus Deus dicatur & unus Deus, Joh. XVII. 3. 1. Cor. VIII. 6. Epheſ. IV, 6. Ad hanc vero *objectionem* jam ſupra, ubi S. S. Trinitatis myſterium vindicavimus, à nobis *reſponſum* eſt.

§. CCCXXXI.

Altera objectio inde petita, quod Chriſtus à Deo diſtinguatur, unde ipſe Deus non ſit, ut ex. gr: Joh. V. 19. *Non poteſt Filius facere quidquam a ſeipſo, niſi quod viderit Patrem facientem.* Unde ita *argumentantur:* Deus ille ſummus à ſeipſo omnia facere poteſt. Chriſtus à ſemetipſo nihil facere poteſt. Ergo Chriſtus non eſt Deus ille ſupremus. Vide CRELLIUM Lib. I. Sect. II.

§. CCCXXXII.

Reſpondemus Chriſtum non ſimpliciter dicere ſe nihil à ſeipſo facere, ſed ſe omnia ὁμοίως cum

Patre facere afferit. Unde dictum hoc egregie divinam illius Naturam confirmat, dum Chtiftus quæcunque Pater facit fimiliter etiam facit, quod nulla Creatura dicere poteft.

§. CCCXXXIII.

Reliqua quæ afferuntur dicta magni momenti non funt, aut ad folam in iis humanam Chrifti Naturam refpicitur, aut ad ftatum ipfius œconomicum, quo fervi formam in fe fufcepit, ut naturæ illius divinæ adfcribendum non fit id, quod fub alia relatione de ipfo dicitur.

§. CCCXXXIV.

Ultima objectio hæc eft, quod Rationis Principiis contrarium fit, ut duæ diverfæ Naturæ inter fe tam arcte uniantur; ita nimirum *Catech. Racov.* Sect. IV. Cap. I. pag. 48. *Cedo qui prius illud Rationi fanæ repugnat? Primo ad eum modum, quod duæ fubftantiæ difparatæ, & proprietatibus adverfæ, quales funt Deus & homo, de uno eodemque individuo, atque adeo etiam de feinvicem prædicari nequeunt. Neque enim unam eandemque rem poteris appellare & ignem fimpliciter & aquam, itemque ignem effe aquam & aqua ignem effe. Quo pacto vulgo dici folet, Chriftum & Deum effe fimpliciter & hominem; itemque Deum effe hominem & hominem effe Deum.*

§. CCCXXXV.

Ad quam difficultatem tollendam *fequentia obfervanda funt.* *a.* Quod nulla dari ratio poffit, cur duæ Naturæ non poffint uniri unione perfonali, cum duæ fubftantiæ proprietatum diverfiffimarum poffint uniri unione fubftantiali. Cum prius

prius à parte rei non magis impossibile sit ac posterius; sequitur neque prius etiam à parte Dei esse impossibile. β. Simile, exacte congruens, ex rebus naturalibus hic peti non potest, dum mysteria sint supra Rationem. γ. Neque propterea id simile congruit, quod Catechetes de aqua & igne affert, neque enim divinam Christi naturam vocamus hominem, neque humanam Deum, sed propter arctissimam utriusque naturæ unionem dicimus toti personæ id tribuendum, quod alterutra tantum fecit natura, uti ex. gr. toti homini id adscribitur quod vel Corpus vel Anima solum præstitit.

§. CCCXXXVI.

Alius Adversariorum *Error* hic est, quod asserunt Vitæ æternæ & remissionis peccatorum promissionem Patribus non factam fuisse in V. T. neque ab iis creditam, neque propterea eadem illos via qua nos salvatos fuisse.

§. CCCXXXVII.

Dicta quæ ad hanc suam sententiam defendendam proferunt, præcipue sunt sequentia α. Joh. I. 17. *Nam lex per Mosen data est: Gratia autem & veritas per Jesum Christum.* In hoc autem dicto de tempore annuntiationis Vitæ æternæ plane nihil extat, sed simpliciter differentia ostenditur inter Mosen & Christum, Moses scilicet ceu Legislator consideratur, per cujus Legem salvari nemo potuit, Jesus Christus vero proponitur ut persona illa, per quam solam gratiam apud Deum consequi possumus, sive ceu unica ac perfectissima salutis nostræ caussa, Mose excluso. Inde vero minime sequitur, gratiam il-

lam per Christum implendam, ante ipsius adventum in Carnem non fuisse promissam.

§. CCCXXXVIII.

Huc *trahunt* etiam dictum 1. Joh. I. 2. *Et vita manifestata est; & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:* Sed quilibet facile videt hic sermonem non esse de vita illa beata in cœlis, sed de Christo fonte omnis vitæ, de quo idem Apostolus Joh. I. 4. dicit in illo vitam esse, & de quo etiam versu immediate præcedente locutus est; de eo dicit, se, Apostolos scilicet, annuntiare, eum esse qui vitam dat hominibus. Nihil ergo hic deprehenditur quod adversarii in partes suas convertere possent. Hic nimirum est dicti hujus sensus, Apostolos testes fidelissimos ac oculatos Christo ceu vero Messiæ testimonium exhibere. Et licet contra Apostoli scopum concederemus de vita illa cœlesti hic sermonem esse, nihil aliud dictum hoc probaret quam Apostolos vitam hanc annuntiare, quod & hodie omnes Evangelii Ministri faciunt, neque propterea negatur eam antea etiam annuntiatam fuisse.

§. CCCXXXIX.

Addunt Gal. III. 24. *Antequam vero veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in fidem revelandam.* De quo loco SMALCIUS *contra Franzium* pag. 93. *Hinc Paulus ait, justitiam ex Fide revelatam esse in Evangelio.* *Respondemus α. Fidem* hic pro *Fidei objecto* Christo sumi patet ex eo, quod Fides venire dicitur, uti etiam sæpissime spes pro re sperata sumitur. β. Fidem jam sub V. T. locum

locum habuisse Apostolus passim testatur Rom. I. 17. & IV. 3. 5. 9. 11. 12. 2. Cor. IV. 13. Gal. III. 6. 7. 8. Heb. XI. inde patet ex hoc dicto non à dicto *secundum quid* ad *dictum simpliciter* argumentandum esse; dum nonnisi differentia inter V. & N. Testamentum ostendatur, dum sub V. lex etiam, sub Novo vero sola fides ac gratia obtineat.

§. CCCXL.

Dictum Heb. IX. 1. *Hoc ostendente Spiritu, non dum apertam esse viam in Sancta, stante primo adhuc tabernaculo*: nimium probat, dum si hoc sensu illud explicare vellemus, sequeretur neminem Patrum Veteris Testamenti fuisse in Cœlum ingressum, quod tamen ipsimet Adversarii non negant, ut sensus loci nullus alius esse possit, quam tunc temporis viam ad Coelestem Gloriam non tam apertam & retectam fuisse ac sub N. T. sed variis adhuc figuris ac Cærimoniis obnubilatam.

§. CCCXLI.

Si *porro* Heb. XI. 39. 40. de fidelibus V. T. *dicitur* quod *non reportarint promissionem*, at non fuit illa vitæ æternæ promissio, sed significatur res aliqua promissa quam non assecuti fuerint; si enim ipsa promissio ipsis defuisset, dici non posset ipsos credidisse quia defuisset objectum fidei; unde facile patet per promissionem rem intelligi quæ promissa est, quam non reportaverint, uti fides & spes sæpius etiam pro re credita & sperata sumitur; rem vero illam promissam, quam Patres non reportarunt, Vitam æternam non esse, Adversarii facile concedent, dum non negent Patres illos salvatos fuisse, oportet ergo sit promissionis Evangelicæ complementum.

Heb.

§. CCCXLII.

Heb. VIII. 6. Christus melioris testamenti Mediator *dicitur*, quod melioribus sancitum sit promissis. Quem locum *objicit* SOCINUS *contra Palaeologum* Part. IV. pag. 556. & SMALCIUS *contra Frantzium*, Disput. VII. *De Bon. Operib.* pag. 220. *Ex eo*, inquit, *quod Christus est Mediator foederis melioris, colligimus Vitam aeternam ante Christum nemini promissam fuisse. Alioquin enim non esset melius novum foedus Veteri, si idem, quod in Novo promissum est, in Veteri promissum fuisset.*

§. CCCXLIII.

At *nos dicimus*, male Adversarios hoc inde colligere; minime enim sequitur, novum Testamentum meliores habet promissiones ac vetus Test.; Ergo vitae aeternae sub V. T. promissio nulla fuit. Nos non negamus gratiam sub. N. T. esse clariorem & abundantiorem, & eoipso Testamentum illud melius esse illo, quod consistebat in legibus illis praeceptorum in placitis, cui illud Apostolus opponit; at licet hoc praerogativum novum Foedus prae veteri habeat, conclusio inde contra omnes regulas logicas infertur, nullam vitae aeternae promissionen Patres veteres habuisse. Ex multis enim V. Testamenti dictis contrarium patet.

§. CCCXLIV.

His *objectionibus* addunt. Deum demum in Christo Jesu esse Patrem nostrum factum, nos vero vitae aeternae spem nullam habere posse, nisi ex eo quod Deus Pater noster factus sit; hoc vero cum demum per Jesum Christum factus sit; sequi ante Jesum Christum nullam vitae aeternae spem obtinere potuisse.

Haec

§. CCCXLV.

Hæc argumentatio valeret, si sub V.T. viventes nullam adventus Christi promissionem habuissent; at dum hæc ipsis promissio sæpissime facta est, etiam scire potuerunt Deum in Christo illo promisso Patrem suum esse factum, quare eum etiam ita appellarunt Jes. LXIII. 16. & Deus etiam se illorum Patrem appellat Jer. XXXI. 1. 9. unde eoipso à vitæ æternæ spe non fuere exclusi.

§. CCCXLVI.

Aliud denique *Argumentum* inde desumunt, quod cum Christus perfectiorem attulerit legem, illi etiam perfectiorem deberi obedientiam; perfectiori vero obedientiæ etiam præstantius deberi, vel proponendum esse præmium.

§. CCCXLVII.

Sed *α. Objectio* hæc falsa nititur hypothesi, nempe quod Lex Christi sit nova ac perfectior, quod Adversarii nondum probarunt. *β.* Minime sequitur quod, si à Principe lex præscribitur perfectior, etiam præmium obedientiæ majus esse debeat. *γ.* Neque denique sequitur quod, si Christus majus promisisset sibi obedientibus præmium, illud aliud nullum quam vitæ æternæ promissionem esse potuisse.

§. CCCXLVIII.

Sequens controversia circa præcepta Christi versatur, de quibus Adversarii statuunt, illa nova ac perfectiora, illis quæ sub V. T. obtinuerunt, fuisse.

Prima

sufficit, α. quidem Justitiam punitivam Deo essentialem & absolute necessariam, ut & satisfactionem pro peccatis esse indispensabilem, demonstratum à nobis est ad Propos. V. & VI. Unde patet hæc quæ SOCINUS affert gratis ab ipso supponi. β. Non negamus Voluntatem Dei omnium rerum summam legem ac perfectissimam Normam esse; sed hoc simul summo jure asserimus, Voluntatem Dei omnibus divinis Attributis semper esse conformem, nec quidquam velle nisi respectu habito omnium suorum Attributorum & totius Universi. Cum vero Propos. V. Justitia divina ex reliquis illius Attributis à nobis demonstrata sit, sequitur Voluntatem Dei, licet summa lex sit, tamen nihil velle, quod Justitiæ sibi essentiali & absolute necessariæ contrarium est.

§. CCCLIV.

Alia objectio in hoc consistit, quod Deus etiam sine satisfactione peccata remittere queat; ad quod probandum SOCINUS Parte III. Cap. II. affert exempla personarum viventium tum ante tum post Christum exhibitum: ante Christum tempore promissionis citat Abelis exemplum, qui justus dicatur; Atqui, inquit Socinus, nemo justus esse potest, cui delicta à Deo non condonentur, *Gen. IV. 7. nonne, si bene feceris, erit acceptatio?* Quasi hoc natura ipsa omnes doceat, videlicet, Deum liberaliter peccata resipiscentibus condonare. Ut nihil fere magis impium excogitari possit, quam sentire, á Deo peccata non remitti, nisi pro ipsis illi plene satisfiat. Citat deinde exempla ex Vet. Test. Deut. IV. 30. Nehem. IX. Psalm. XXXI. Ezech. XVIII.

XVIII. &c. ex novo Lucæ I. 77. &c. Huic adde *Catech. Racov.* Sect. 6. Cap. VIII. pag. 270. *Qui vero*, inquit, *sententia ista Scriptura repugnat? Ad eum modum, quod Scripturæ passim, Deum peccata hominibus gratuito remittere, testentur: potissimum vero sub N. Fœdere; at remissioni gratuitæ nihil adversatur magis, quam ejusmodi qualem volunt satisfactio; & pretii æqualis solutio. Cum enim creditori satisfit; vel ab ipso debitore, vel ab alio, debitoris nomine, de eo vere dici non potest eum debitum gratuito remisisse.*

§. CCCLV.

Respondemus α. SOCINUM quidem asserere at non probare Remissionem illam peccatorum absque respectu Satisfactionis Christi vel præstandæ vel jam præstitæ factam esse, unde ipsius objectio nullis plane fulta argumentis nihil valet. β. Licet gratuita dicatur Remissio, neutiquam sequitur, illam sine Satisfactione factam, optime hæc secum invicem subsistere possunt, unde illa etiam Apostolus conjungit. Rom. III. 24. Nam א. à parte Dei mera Gratia est, quod Satisfactionem æquivalentem substituere, neque eam à nobis ipsis exigere voluit, id quod in æternum præstare impossibile nobis fuisset. ב. A parte nostri pro mera Gratia totum Gratiæ Negotium est, dum nihil aut industria nostra, aut labore nostro paravimus; Non nos sumus qui sponsorem & redemtorem sistere potuimus, sed Deus solus est qui ex mera sua id fecit gratia, ut omnia sint gratuita, licet satisfactio intervenerit. γ. Adversarii *Creditoris* & *Debitoris* inter homines simile adhibent; & nos adhibeamus aliquod: Supponamus subditos Regis alicujus citra om-

nem Regis culpam tot Monarchæ ſuo obſtrictos eſſe debitis, ut impoſſibile ſit illos unquam ex hoc æris alieni labirintho elabi poſſe, ita vero res hæc comparata eſt ut per Regis honorem ac virtutes debita illa ſine ſolutione remittere non liceat; Declarat tamen Rex Filio ſuo pro munifica ſua clementia, ne miſeri ſubditi pereant, ſe remiſſurum ſubditis debita ſi Filiis pro iis ſpondere velit; Conſentit Filius, omnia Patri ſua debita ad ultimum quadrantem usque pro certo ſubditorum numero exſolvit. Quis vero diceret non meram Regis gratiam fuiſſe qui Filii ſui bona ac ſolutionem pro ſubditorum accipere voluit. Ultra ſcopum vero ſimile hoc extendendum non eſt. Remittere vero Rex dici poteſt debita, licet Filius ſolvat, dum ſi rigide voluiſſet agere ea à ſubditis exigere potuiſſet; remittit dum Filii ſui bona aliqua ratione ceu Patris bona conſiderari poſſunt.

§. CCCLVI.

Objectio vero omnium longe difficillima illa eſt, quæ à Chriſti pro peccatoribus ſubſtitutione deſumitur, ut Deus non ipſum peccatorem ſed ejus loco quenquam puniat, qui non peccavit, & qualis proportio eſſe queat inter Chriſti ſacrificium & pœnam peccatoribus intentatam?

§. CCCLVII.

Primum quod attinet, SOCINUS ita argumentatur Part. III. Cap. III. *Pœna peccato ipſius Dei Voluntate conſtituta æterna mors eſt quæ cum corporalis pœna ſit, à nemine præterquam ab eoipſo, qui peccavit, præſtari poteſt. Pecuniariæ quidem pœnæ, unius delicto debitæ ab alio præſtari queunt*, &c.

At

At mors unius, sive alia quæcunque corporis vexatio alterius effici non potest, neque unquam vel lege, vel consuetudine receptum fuit, ut pœnam, quam quis Corpore luere teneatur, alius, quisquis tandem ille sit, pro eo pendere posse. Citat deinde locum *Ezech.* XVIII. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris; neque pater portabit iniquitatem filii.* Addit deinceps: *Quænam vindicta aut peccati punitio est hæc, eos qui peccaverunt, impunitos dimittere; eum vero, qui nihil mali fecit, gravissimis pœnis subjicere?*

§. CCCLVIII.

Respondemus tenendum *α*. Satisfactionem, de qua hic agitur, esse *compensationem æquivalentem dissensus per legis violationem orti* (Cap, III. §. 901. 902.); Sapientia vero divina requirit *æquivalentiam* hujus *compensationis* (l. c. §. 904.), eamque præstari ipsi sufficit, si modo ordinis ab ipso instituti turbatio exactissime compensetur; hanc æquivalentiam compensationis dum Creaturæ præstare non possent, Deus pro infinita sua clementia ac bonitate erga creaturas hac in re ipsemet providet, & æquale æquali substituit, id enim facere per sapientiam ipsi licuit (Cap. III. §. 904.), si modo generalis hujus Universi finis obtineatur. *β*. Si ergo Deus æquale æquali substituere & potuit & voluit, rationem habuit solum omnium suorum Attributorum & totius Universi, sive an cum generali Universi fine conveniat (Cap. III. §. 914.)? Neque igitur opus fuit ut respiciat, quid inter homines in usu futurum sit; an inter illos pœna Corporalis unius hominis pœnæ Corporali alterius substitui possit? Hoc enim plane nihil ad rem, & res plane dissi-

nilis est; Deo sufficit ut substitutio hæc Attributis suis non modo non repugnet, sed ea in majori luce collocet; & ut finis generalis hujus universi melius hac quam illa ratione obtineatur, quod demonstratum (Cap. III. §. 923. 924.) Unde plane nihil valet SOCINI *objectio*: in casibus particularibus in homines nulla substitutio pœnæ corporalis unius loco alterius hominis obtinet: Ergo & Deus compensationem æquivalentem alii compensationi substituere nequit, ad patefaciendas suas Perfectiones & ad finem Universi obtinendum. γ. Falsum etiam quod inter homines pœna unius loco alterius non substitui possit; non modo enim pœnæ pecuniariæ sed & corporales ab alio præstari possunt, modo lex id permittat ex qua pœna illa fluit; & Dominus velit, & alius inveniatur qui sponte pœnam illam alterius loco in se suscipiat; ad quid enim obsides, nisi ut, si ab altero ea quæ debet non præstentur, pœna ab obsidibus sumi possit. δ. Eos impunitos dimitti qui peccaverunt, eum vero qui nihil mali fecit pœnas subire gravissimas, fieri potuit tam *à parte Dei*, quam *à parte hominis*, sive ejus qui hominis loco pœnam subeundam in se suscepit. *A parte Dei id* fieri potuit, dum in hac actione ratio habeatur finis ultimi & generalissimi totius Universi; *à parte ejus* qui pœnam in se suscepit, dum non coacte sed summa spontaneitate id fecit. Quenquam ad pœnam quam non meruit subeundam cogere omnino divinis Perfectionibus contrarium fuisset, sed ad Sapientiam summam reliquasque perfectiones in majori lumine collocandas atque Filio summa cum lubentia id in se suscipienti

pienti demandare, qui hoc negotio non minus ac Pater summam suam gloriam ostendere rationalibus creaturis potest, hoc; inquam, ne minimam in Deo imperfectionem arguit, neque Legi ipsius universali, juxta quam omnes rationes particulares in hoc Universo tendere debent ad finem universalem, ullo modo contradicit.

§. CCCLIX.

At à ratione absonum SOCINO videtur, quod unus solus pro æterna pœna tanti hominum numeri satisfecerit; ita enim inter alia argumentatur: *unum autem*, ait, *quempiam, qui morti æternæ, utpote qui nihil deliquisset, minime obnoxius inventus fuerit, pro omnibus satisfacere potuisse, plane ridiculum est cogitare, nedum asserere. Nam perinde est ac si quis diceret, unum qui nihil ipse debeat, & centum tantummodo aureos nummos habeat, quos dare possit, pro innumerabilibus aliis, qui singuli aureos nummos centum debeant, posse satisfacere; cum vix pro uno tantum vere satisfaciendi habeat facultatem.* Addit Parte III. Cap. IV. pag. 259. *Jam dictum est, pœnam, quam unusquisque nostrum propter delicta sua pendere tenebatur, mortem æternam esse. Hanc profecto Christus non subiit; & si eam subiisset, universa salutis nostræ & liberationis à peccatorum pœna spes & ratio funditus eversa fuisset.* Hoc id ipsum est quod etiam *Catech. Racov.* urget Sect. VI. Cap. VIII. p. 270. *Id quidem hinc perspicuum est, quod sequeretur, Christum æternam mortem subiisse, si Deo pro peccatis nostris eo modo satisfecisset, cum constet, pœnam, quam homines peccatis meruerant, æternam mortem esse: ut taceamus, unam per se mortem, etiamsi tandem æterna fuisset;*

nedum adeo brevem, innumeris aeternis mortibus, aequalem non esse.

§. CCCLX.

Concedimus *primo* quod passio & mors merae Creaturae haudquaquam suffecisset, sed cum persona infinitae dignitatis fuerit quae haec praestitit, etiam ea quae fecit infiniti pretii sunt, quod personarum numerum compensat. *Secundo* verum equidem est, personam illam non aeternam mortem ratione durationis perpessam esse nec etiam perpeti potuisse; at substituamus solummodo aliud vocabulum, & loco poenae aeternae dicamus hominem infinitam meruisse poenam, uti revera nostra doctrina se habet; nam docemus simpliciter poenam illam, quae peccatori ferenda, esse *infinitam*; cum vero Creatura finita unico momento vel brevi temporis spatio non possit subire poenam infinitam rationis *intensionis*, illam compensare debet per *durationem*, unde fit *aeterna*; haec igitur formanda est quaestio, an persona infinitae Potentiae ac dignitatis brevi temporis spatio sufferre possit poenam infinitam? Nos respondemus quod id fieri possit propter potentiam ac attributa personae illius infinita, quae *intensione* passionum compensare potest *durationem*. Deus enim nihil aliud requirit quam aequivalentiam compensationis; unde per illam aequivalentiam compensari potest quidquid magnus Creaturarum numerus per infinitum temporis spatium pati debuisset; supponamus igitur omnem poenam simul sumtam, quae omnibus redemtis perferenda fuisset, habere certum gradum, ut absolute infinita dici nequeat, tunc sufficit, satisfactionem sive compensationis aequivalentiam eundem habere gradum,

gradum, si non extensione & duratione tamen intensione & pretio; supponamus vero, quod revera est, pœnam illam infinitam esse; tunc opus est ut à Salvatore per æquivalentiam compensationis etiam pœna perferatur infinita, qualis esse potest licet ratione durationis non sit æterna, duratio enim ad rem nihil facit, modo sit æquivalens ut id quod durationi deest alio modo suppleatur. Per se ergo SOCINI objectio cadit quando dicit: *Et certe si finiti ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio, quænam pœnarum Christi, quæ tempore finitæ fuere, ad pœnas nostris peccatis debitas nunquam tempore finiendas proportio esse potest?*

§. CCCLXI.

Regerunt tam *Catech. Racov.* quam SOCINUS, hac ratione infinitum Deum pati debuisse quod absurdum: ita enim *Cat.* Sect. VI. Cap. VIII. pag. 271. *Nam si dicas Christi mortem; quia is Deus, natura infinitus fuerit, infinitis infinitorum hominum mortibus æqualem fuisse; præterquam quod eam de natura Christi sententiam supra refutavimus, sequeretur ipsam infinitam Dei naturam mortem subiisse. Alioquin enim, sicut mors ad naturæ divinæ infinitatem, sic neque naturæ divinæ infinitas ad mortem proprie loquendo (sicut hic fieri necesse est, ubi de vera compensatione & solutione agitur) quicquam pertineret.* SOCINUS vero ait; *Nunc de vi illa, quam Adversarii adferunt, infinita, eorundem, quæ passus est Christus, dispiciamus. Certum est nulla alia ratione posse vim istam infinitam iis quæ passus est Christus, attribui, nisi quia æternus Deus sit. Sed Christus non potuit, quatenus æternus Deus, quidquam pati. Ergo ad infinitam vim ejus perpessionibus tribuendam nihil momenti habet, quod Christus æternus Deus sit.*

§. CCCLXII.

At quid opus est ut statuamus id quod impossibile, ipsam scilicet divinam naturam passam esse; sufficit vinculum illud inter divinam humanamque naturam tam arctum esse, ut unica tantum sit persona quæ omnia præstitit; unde fit ut de tota persona dici, & illi tribui possit toti, quod alterutra fecit natura, ad quod sufficit ut dici queat Deum nos sanguine suo redemisse; Persona mediatoris passa est, licet non divina natura abstracte considerata passa sit.

§. CCCLXIII.

Excipit SOCINUS parte III. Cap. IV. sibi valde suspectum esse, quod pro concessio sumitur, Principis scilicet viri levem pœnam ejusdem pretii esse, cujus est gravissima hominis plebeji: quinimo inquit, crediderim, injustam esse eam legem, quæ idem delictum in viro Principe leviter puniat, in plebejo autem homine gravissime.

§. CCCLXIV.

At negamus ex Doctrina nostra hoc sequi, nempe quod Christus leviter tantum fuerit punitus; æquivalentes enim ejus passiones iis fuisse statuimus, quas redemti subire debuissent; non modo ratione dignitatis personæ, sed etiam ratione magnitudinis, ut intensio suppleverit id quod durationi defuit.

§. CCCLXV.

Si igitur, ut ipso SOCINI simili utar, Rex subditum ad perpetuum exilium condemnaret, aut aliam pœnam huic æquivalentem dictaret, subditus vero posteriorem solvere impotens prio-

rem

rem, scilicet exilium, sufferre teneretur; fit interea ut Vir Princeps aliquis posteriorem, sive sit mulcta pecuniaria sive aliud quid, solvere potens pro subdito spondeat, propter sufficientes quas habet rationes, & solvat etiam poenam perpetuo subditi Exilio æquivalentem; an quæso hoc in casu dici potest, Virum principem leviter tantum subditi loco punitum fuisse?

§. CCCLXVI.

Excipit porro, quod, licet statuatur Christum infinitam subiisse pœnam, inde minime sequatur eam pro tanto hominum numero sufficere, quorum quilibet æternam meruit pœnam. *Nonne*, inquit SOCINUS, *& id quoque, quod unusquisque nostrorum propter delicta sua pati tenebatur, infinitum quiddam erat &c. Infinitas igitur pretii, quæ in Christi perpessionibus, quia divina Natura passa fuisset, reperiri posset, pro uno quopiam persolvi potuisset, & unus tantummodo ex nobis, ejus vi, à mortis æternæ reatu liberari. Si quidem, ut dictum est, quilibet ex nobis per se eam pretii infinitatem debeat. Quare totidem pretii pœnarum infinitates existere opus fuisset, quot nos omnes sumus, non unicam tantum, si omnes, id per alium solvendo, quod non debebamus, eo nexu liberandi fuissemus.*

§. CCCLXVII.

Ad Æquivalentiam vero illam compensationis quam Christus præstitit recte concipiendam infinitates illæ non in varias dividendæ sunt, quod necesse minime est; alium enim possumus ostendere modum quo concipi potest quomodo Infinitas pœnæ, quam Christus pertulit, tot infinitatibus, quas SOCINUS distinguit, compen-

fandis sufficiat. Attendendum nimirum ad proportionem, quæ à divina Sapientia inter filii sui passiones & mortem, ac inter innumerorum fidelium pœnas quas meruerunt, instituta est; ac ad pactum illud quod inter Patrem ac Filium intercessit. Summa nimirum Lex atque regula, quam Deus in totius Universi gubernatione observat atque sequitur, hæc est, ut in omnibus quæ facit *ratio habeatur omnium suorum attributorum atque totius Universi*, ut in illo omnes rationes particulares tandem resolvantur in universalem, scilicet manifestationem Gloriæ sive Perfectionum suarum; juxta hanc Regulam aut peccator sustinere debet omnia mala physica quæ nexu perpetuo ex malo morali fluunt, ut fiat compensatio ordinis per peccatum turbati; aut oportet in Nexu rerum per miraculum aliquid substituatur, quod Attributis divinis conforme & per quod Universi finis magis quam per priorem rerum nexum obtinetur. Hoc sola divina Sapientia facere potuit. quæ sola omnes rationes particulares hujus Universi ad universalem dirigit; id ergo quod loco pœnæ peccatorum, nempe passio & mors Filii Dei peccatorum loco, ita penes Deum comparatum sit oportet, ut, ratione proportionis, æternæ redimendorum pœnæ æquipolleat, & ut finis Universi magis obtineatur. *Posterius* sic se habere suo loco demonstravimus; *Prius* ergo hic ut clarum fiat superest; nempe an passiones & Mors unigeniti & charissimi Filii tantum apud Deum polleat, quantum æterna omnium redimendorum pœna? Nos hoc asserimus hac fulti ratione, quod Deus mortem ac passiones Filii sui consideret ceu infinitum quid propter infinitatem

tem

tem personæ; cum vero redimendi, qui à Deo ceu unica massa considerantur, sive ceu unicum aliquod totum, (uti etiam post redemtionem ceu unicum Corpus mysticum habentur,) infinitam meruerunt poenam, poena illa ceu aliud quiddam infinitum considerandа est; cum vero Mors & passio Filii Dei sit aliquid infinitum, & Mors totius massæ redimendorum infinitum quid, unum vero infinitum altero majus esse nequeat, hinc ambo infinita sibi sunt æqualia, æqualia vero æqualibus substitui possunt, E. Deus infinitatem mortis & passionum Filii sui infinitati poenæ Massæ redimendorum substituere potuit; proprer hoc scilicet motivum, quod Universi finis per hanc substitutionem magis quam sine illa obtineatur. Ad quid vero necesse est, plures infinitates in infinita poena, quam tota redimendorum Massa meruit, distinguere, dum nonnisi unum infinitum efficiat; si hoc modo vellemus distinguere in eodem individuo iterum plurimas inveniremus infinitates, nempe anima meruit poenam infinitam, Corpus meruit poenam infinitam, & in Corpore iterum varia membra, & sic magnum iterum in unici hominis poena infinitorum Numerum inveniremus.

§. CCCLXVIII.

Neque aliter res in Sacris Litteris exponitur quam nos eam explicavimus. *Adamus* nempe in foedere illo, quod Deus cum eo ante lapsum pepigit, cum toto genere humano ceu unicum aliquod consideratur; ut integro Adamo manente tota humani generis massa ex illo oriunda integra maneret; Ipso vero legem transgrediente, malum hoc ad omnes suos posteros dimanaret, dum

cum

cum Adamo nonnisi unum sunt. Nec ergo tot infinitates in primi hominis transgressione distingui possunt; sic etiam in pacto quod Deus Pater cum Filio inivit, tota redimendorum massa nonnisi unum est, quod semen vocatur, unde de Christo dicitur, si posuisset animam semen illum visurum esse; neque propterea opus ut in uno toto plures distinguantur infinitates.

§. CCCLXIX.

In alterum fere extremum *objectione* sua *Catechesis Racoviensis delabitur*, loco citato dicens: *Deinde sequeretur, non opus futurum fuisse, ut Christus tantos Cruciatus, ac tam diram mortem sustineret, & Deum, quod absit, injustum fuisse, qui cum una ut loquuntur, gutta sanguinis Christi contentus esse jure posset, eum atrociter excruciari voluerit.*

§. CCCLXX.

Fatemur nos sententiam illorum nequaquam approbare, si qui sint, qui statuunt, unicæ sanguinis guttæ effusionem suffecisse, siquidem Sapientia divina longe dignissimum est ut æquivalentiam compensationis exactissimam substituerit, ut nec quid excedat nec quidquam deficiat, nihil enim sapientissimus frustra facit.

§. CCCLXXI.

Excipit denique SOCINUS *Prælect. Theol.* Cap. XVIII. Quod, cum Christus dicatur Verus Deus, sequatur ipsummet sibi ipsi satisfecisse, ut simul sit offensus Judex & Mediator, quod contradictorium sit.

§. CCCLXXII.

At tam absurdum aut impossibile hoc non est, ac SOCINUS sibi imaginatur, siquidem in

histo-

historiis etiam ejusmodi reperiuntur exempla, ubi ipsemet Judex ac Legislator pro aliorum transgressioni sibi ipsi, sive legi à se latæ, satisfecit; Historia de *Zaleuco* Locrensium Judice notissima est, qui Judex & Mediator fuit, dum Filius legem à se latam transgrederetur. Ita VALER. MAX. Lib. VI. Cap. 3. hoc narrat: *Urbe Locrensium à se saluberrimis atque utilissimis legibus munita, cum filius ejus adulterii Crimine damnatus, secundum Jus ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet, ac tota Civitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit. Ad ultimum populi precibus evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto usum vivendi utrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem Patrem & justum Legislatorem partibus.* Nec hoc tamen simile ultra Scopum suum extensum volumus. Hoc solum illustrare volumus, quod Christus Passionibus suis pro aliis, ne Justitia divina quidquam pateretur, Legi divinæ ipsemet satisfacere potuerit; ut Deus judicans justus inveniretur.

§. CCCLXXIII.

Æqualitatem substitutionis sacrificii Christi adversus Socinianorum Sophismata nunc vindicavimus; superest adhuc *similitudo* ejus; licet enim probatum sit *Æquale* Æquali per Christi sacrificium; *simile* tamen simili substitutum esse non sequitur. Fit propterea ut etiam hinc Adversarii Argumenta desumant, idque a passionum genere quas Salvator pertulit; Ita enim SOCINUS Part. III. Cap. IV. *Quamvis enim,* inquit, *non defuerint, qui, Christum damnatorum pœnas passum fuisse,*

affir-

affirmare sint ausi, *explosa tamen est sententia ista* ; *& merito quidem*, *cum propter alia multa*, *quæ ad eam refellendam afferri solent*, *tum maxime propter hoc*, *quod de divina gratia & auxilio desperatio*, *quæ propria damnatorum est pœna*, *quam longissime semper à Christo absint*. Porro hoc etiam urgeri potest, quod illud supplicii genus, quod Christus perpessus est, ab eo quod damnatis perferendum, plane diversum sit ; affixio nempe cruci & dolores quos prius in aula præcipuæ Pilati in corpore suo passus est, quali supplicii genere redimendi in inferno afficiendi non fuissent, unde hæ duæ res quæ sibi invicem substituuntur sibi valde dispares sunt.

§. CCCLXXIV.

Respondemus α. Substitutionem per omnia *similem* esse impossibilem, nam si illa per omnia *similis* esse deberet, tantus aliorum hominum numerus creandus esset, qui horum qui peccarunt loco æterna subire deberent supplicia. β. Neque necessaria est substitutio *similis*, modo sit *æqualis* dum requiratur *æquipollentia Compensationis*. Duæ res autem sibi invicem æquipollere possunt, licet non sint similes. Nummus aureus, & tanta monetæ summa sibi invicem æquipollent, licet sint dissimiles. Judex duas pœnas constituere potest, quarum eadem censetur proportio, ut æquivaleant licet, valde dissimile sit earum genus, una tamen salva lege & judicis Justitia loco alterius substitui potest. γ. Sufficit ergo ut Passiones ac Mors Christi Filii Dei unigeniti ac charissimi æquipolleat æternæ redimendorum pœnæ, licet per omnia *similis* non sit. δ. Quod externas Christi passiones attinet, quæ cum damnandorum supplicii

pliciis nihil commune habere videntur, ipsius scilicet flagellatio, crucis portatio ac crucifixio; observandum quod & hoc sapientissimas ob rationes fieri debuerit; si nimirum Christus præsente maximo hominum numero dolores infernales, uti in Monte præcipue Oliveti, internos tantum perpessus fuisset, paucissimi extitissent qui huic rei fidem adhibuissent, fuissent qui dixissent nonnisi simulati quid corporis ipsius, propter violentissimos dolores, contorsiones esse; Fanaticum hominem illum esse alii perhibuissent, ut nonnisi vis imaginatrix hunc in ipso effectum produxerit; iterum incredulorum alii Medicamentorum ope sudorem sanguineum hunc excitatum fuisse assererent; ut millia hominibus fuissent subterfugia, ne rei veritati fidem adhibere tenerentur. At externis illis Passionibus optimus Salvator publice omnium hominum oculis expositus, testimonium dedit, se dirissimos ac intensissimos pati dolores, & morte maledictissima mori; Rex hæc, hoc modo, tam evidens fuit, ut nemo sit qui de ea dubitare possit; Imo ea quæ externe Christus ante hominum oculos passus est, iis etiam fidem fecerunt quæ interne passus est, iis etiam inquam est qui negari potuit, salvatorem intensissimos dirissimosque perpessum fuisse dolores, & modo quammaxime solenni maledictissimam subiisse mortem, & innocentem eum esse per hoc supplicii genus publice, ab ipso Judice, præsente toto Populo, & in ipsa cruce, nec minus à centurione, declaratum fuit; quod factum non fuisset, si non tam solenni modo Justitiæ divinæ satisfecisset. Plures adhuc hujus rei afferri possunt rationes, quas ut afferamus necesse non est, dum allatæ sufficiant.

§. CCCLXXV.

Ab omni etiam Ratione alienum & absurdum propterea *Adversario videtur*, quod divina natura cum humana arctissime se univerit, ut omnem pro tempore divinam Majestatem seponens ad infimum usque gradum, imo infra communem hominum sortem, se humiliaverit & dirissimum crucis supplicium hominum loco subierit.

§. CCCLXXVI.

Respondemus α. Quod omnino hæc incredulo non possint non absurda videri; qui non tantum divinas actiones ex suis dijudicat, sed qui nec absolutam infinitæ Satisfactionis necessitatem, nec summam Dei Justitiam ac Sanctitatem agnoscit. Omnia ea in divinis rejiciunt quorum rationem perspicere nequeunt, neque cogitant, se in rebus etiam Physicis paucissimorum eventum rationem penetrare, licet ipsius rei veritatem admittere teneantur. Quam absurda, hominibus insciis, multa Mathematicorum & Astronomorum dogmata videntur, cum illorum rationem perspicere nequeant, licet sint verissima, & evidentissima, ut nullus plane dubitationis scrupulus summo Mathematico superesse possit.

§. CCCLXXVII.

β. Inde præcipuæ difficultates ejusmodi, quas Increduli in Salutis Negotio quærunt, originem suam ducunt, quod abstracte omnia considerare solent; neque ita uti cum toto Universi nexu cohærent; & quomodo ad ultimum omnium rerum finem tendere possunt; ubicunque totum aliquod Systema occurrit, ibi multa etiam depre-

hen-

henduntur, quæ si abstracte à reliquis cum quibus cohærent considerantur, absurda apparent, cum verum illorum usum, rationem ac finem non perspicimus; si vero in connexione cum reliquis ea spectamus, sapientissime illa disposita ac cum reliquis composita facillime perspicimus. Ita si salutis negotium non sic à nobis consideratur uti cohæret cum toto Universo, ejus fine generali, & cum omnibus divinis Attributis; sed si abstracte ab his omnibus, omnino multa sunt in hoc etiam divino opere, quorum rationem perspicere non valemus; Si vero Universi finem, si universum rerum nexum, si divina Attributa, si Satisfactionis necessitatem absolutam simul perpendimus, apparebit, Christi Personam, gesta, passiones, mortem reliquaque omnia sapientissime cum his cohærere. Repetenda etiam hic, quæ ad §. 1237. Capitis III. adnotavimus.

§. CCCLXXVIII.

Unicam adhuc his *Objectionem* addimus, à Justitiæ per Christum partæ imputatione desumtam, quam plane ridiculam atque absurdam Adversarii dicunt; Ita enim SOCINUS Parte III. Cap. III. *Nihil, ait, magis ridiculum excogitari potest, quam, si quis dicat, unius justitiam alterius, qui plane injustus fuerit, justitiam censeri. Parcere quidam Deus multis injustis propter paucos justos consuevit; ut colligitur ex verbis ipsius cum Abrahamo loquentis paulo ante destructionem Sodomæ; ne scilicet una cum impiis pios quoque perdat, aut puniat. Non tamen idcirco injustos, justorum caussa, justos censet.* Et *Autor* Epistolarum Gallicarum *sur la Religion Essentielle à l'Hommé*, qui ubique se fidelissimum CHRISTIANI DEMOCRITI Discipulum esse

autem illam *emere*; quod hauddubie *Autor Anonymus* non dixiſſet, ſi veram Doctrinæ noſtræ rationem bene perſpexiſſet. Quod vero Adverſarius omnia ex hominum actionibus explicare vult, & inde ad actiones divinas argumentari, nihil plane contra nos probat, propter rationes §. præced. allatas; & quæ de vindictæ Cupidine habet illa Deo adſcribi nequaquam poteſt, eo quo hominibus adſcribitur modo. Et licet in Societate Civili innocens puniri non ſoleat, minime tamen inde ſequitur Deum in Univerſi Gubernatione ad finem generalem obtinendum, innocentem ultro ſe ad id offerentem, punire non poſſe, cum rationes infinitæ ſint quæ hoc ſuadent.

§. CCCLXXXI.

Reliquas Socinianorum objectiones, cum mera ſint Sophismata, ſtudio prætermittimus.

§. CCCLXXXII.

In *Doctrina de Juſtificatione* Adverſarii ſtatuunt, propter obedientiam præceptorum Chriſti, minime vero propter imputatam Chriſti juſtitiam, nos juſtificari; Cum vero Pelagianorum & Pontificiorum Armis hic contra nos militent, ea ad locum ſuum remittimus.

§. CCCLXXXIII.

Quæ porro afferunt Argumenta, ad probandum quod vera Probitas ſit naturalis & naturaliter acquiſita, deſumta ab hominis Libertate adhuc ſuperſtite, apud VOLKELIUM Lib. IV. Cap. I. CRELLIUM Ethic. Chriſt. Lib. II. Cap. II. ex Hebr. III. 7. 8. 12. ex Joh. VII. 17. apud VOLKELIUM. l. c. & SOCINUM Part. IV. de Servat. Cap. XII. pag. 406? nec non ex

Act.

Act. X. 1. 2. apud SOCINUM Prælect. Cap. XIII. pag. 67. Pelagianorum etiam Arma sunt, unde in illo capite de iis agemus.

§. CCCLXXXIV.

Veram etiam Probitatem à Spiritu Sancto esse & singulari ejus efficacia hominem actu convertente, negant, argumentis etiam Pelagianis utuntur, quæ quidem hic allegabimus, demum vero in capite de Pelag. ad ea respondebimus.

§. CCCLXXXV.

Objectio prima nimirum à Liberi Arbitrii Natura desumta est, quo Argumento omnes Pelagiani perpetuo utuntur, ita nimirum ratiocinantur: Liberum id demum est, quod in hanc sese partem flectere potest & non flectere. Cæterum si non possit non eo sese flectere, liberum non est. Quemadmodum ignis non libere, sed naturali necessitate urit. Non potest enim non urere. Quocirca si voluntas non necessario, sed libere ad mala sese flectit; poterit etiam sese non eo flectere, id est, potest abstinere, abstinere autem à malo seu peccato, est obtemperare præceptis Christi. Ea enim transgredi peccatum est. Non transgredi est illis obtemperare. Ergo si à transgressione libere abstinere homo potest: libere obtemperare potest. *Altera objectio* communissima etiam Pelagianorum Cantilena est, nempe, nisi in hominis potestate positum sit, credere vel non credere, tolli usum omnis prædicationis, admonitionis, comminationis, virtutis, culpæ, præmii denique & pœnæ. Vide SOCINUM Cap. V. Prælect. *Catech. Racov.* Sect. VI. Cap. X. ab initio. SOCINUM de Servat.

Lib. IV. Cap. XII. pag. 405. OSTOROD. instit. Cap. XXXIV. VOLKELIUM Lib. V. de Relig. Cap. XVII. SCHLICHTINGIUM contra Meisnerum pag. 59. EQUITEM POLONUM in Apologia.

§. CCCLXXXVI.

Tertio objiciunt Doctrinam nostram ita esse comparatam ut omnem per se Religionem ac Pietatem pessundare possit: Ita enim SOCINUS in libello, *de officio hominis Christiani*, Cap. II. Quomodo, inquit, fieri potest, ut religiosus & pius is esse curet, qui persuasum habeat, sibi ne hoc quidem liberum esse, ut religiosus & pius esse velit? Quis porro, ut ad rem propius accedamus, operam daturus est, ut in nullo eorum vitiorum sive peccatorum hæreat, quæ Christi disciplina damnat, si credat, se, in hoc rerum genere, ne liberam quidem voluntatem habere? Addit: annon quotidie audimus, eos, qui ita credunt, cum propter peccata, quibus sunt obnoxii, reprehenduntur aut monentur, respondere, humanas Vires, in vitandis peccatis, nullas esse, & propter primi hominis peccatum atque inobedientiam, universum humanum genus, ipsius Voluntatis libertate, in bene agendo, Deoque obediendo, privatum esse? Cui argumento SCHLICHTINGIUS contra Meisnerum addit: Sic subsumo: qui persuasum habet, se non posse efficaciter & cum conatu velle pium & religiosum esse, is nequaquam efficaciter & cum conatu volet, sive curabit esse pius. Cur enim illud facere coner, quod facere non possum? Ita etiam pag. 94. irregenitum loquentem introducit: Non sprevi, salutis media scilicet, non

non neglexi: Verbum diligenter audivi, consideravi, Sacramentis usus sum. Nec tamen arbitrii Libertatem habeo, non viribus novis armatus sum, nimirum quia Deus peculiari Spiritus Sancti gratia nondum me implevit.

§. CCCLXXXVII.

Objectio quarta apud SOCINUM, *de Libero Arbitrio* pag. 26. ita habet: Quicunque, sunt ipsa SOCINI verba, jam à se receptam Dei gratiam efficacem potest abjicere, is eandem sibi oblatam respuere potest. Homo jam à se receptam Dei gratiam efficacem potest abjicere. Ergo homo sibi oblatam Dei gratiam efficacem respuere potest.

§. CCCLXXXVIII.

Cum de Hominis perfectione in hac vita eadem Socinianis cum omnibus Pelagianizantibus sit Doctrina, nempe quod ad eum perfectionis gradum pervenire possint ut non amplius peccent homines, objectionum refutationem differimus, ut quodlibet suo tractemus loco. Nihilominus tamen illorum Argumenta hic allegabimus.

§. CCCLXXXIX.

Prima nimirum *Objectio* à conatu & studio desumta est, quo homines ad eam adspirare tenentur; Ita enim CRELLIUS *Ethica Christiana* Lib. II. Cap. VI. Verum, inquit, quia plerique hodie vel saltem magna Christianorum pars negant existere hunc ultimum perfectionis gradum, id nobis demonstrandum est. Patet autem id primum ex iis, quæ jam diximus, nempe adspirandum nobis esse ad hunc pietatis gradum. Atqui ad ea, quæ nullo pacto fieri possunt, nemo ad-

 spirat,

ſpirat, aut adſpirare debet. Fruſtra enim id fieret; fruſtra autem ſuſcipere aliquid ſapientis non eſt.

§. CCCXC.

Secunda objectio eadem eſt, qua COELESTIUS olim, quem AUGUSTINUS refutabat, uſus eſt; nempe quod ſequatur, neceſſario nos peccare ſi hic perfecti eſſe nequeamus. Unde ita CRELLIUS loc. cit. præterea, inquit, ſi non poſſemus illum pietatis gradum aſſequi, neceſſe eſſet, nos aliquando peccare. At nunquam eſt neceſſe peccare; alioquin peccatum non eſſet peccatum. Peccatum omne libere admittitur. Si neceſſarium eſt, non amplius eſt peccatum. At quod prorſus neceſſarium eſt, id pœnam non meretur, nec cuiquam Jure imputari poteſt, nec Deus æquitatis amantiſſimus unquam id facit. At vero lapſus, qui piis interdum obrepunt, peccata eſſe, & iis imputari, ſi Deus Jure ſuo uti velit, poſſe; id oſtendit, quod remiſſionem eorum à Deo petant ac petere debeant, quemadmodum omnes fatentur. Cujus autem remiſſio impetranda eſt, id imputari jure poterat. Poterunt ergo ab his etiam paucis lapſibus pii abſtinere, & ſic non peccare; quod id ipſum eſt, quod quærimus.

§. CCCXCI.

Addit tertio CRELLIUS petitionem tertiam Orationis Dominicæ, ubi petimus ut tam perfecte in hac terra divinam Voluntatem exequi poſſimus ac eam Angeli in Cœlo exequuntur: Quo accedit dictum Joh. I. Epiſt. V. 14. *Quicquid petierimus ſecundum Voluntatem Dei, id nos accepturos.*

Quarto

§. CCCXCII.

Quarto *urgent* loca ubi Apoſtoli fidelibus perfectionem optant: præcipue 1. Theſſ. V. 23. III. verſ. ult. 2. Epiſt. II. 17. Philip. I. 10. Col. I. 10. Heb. XIII. 21.

§. CCCXCIII.

Quinto denique *hoc* etiam *argumento* contra nos *utuntur*, quod juxta noſtram Doctrinam omnis imperfectionis noſtræ culpa in Deum recidat.

§. CCCXCIV.

Ita nimirum CRELLIUS l. c. Niſi, inquit, id admittatur ſtatuendum erit, divinum illum Spiritum, eaque adjumenta, quæ nobis ad pietatem colendam per Chriſtum ſuppeditavit Deus, adeo eſſe imbecillia & invalida, ut quantumcunque conemur, non poſſimus tamen peccatum devincere, atque in nobis extinguere; quod ſine magna divini Spiritus ignominia, atque adeo in ipſum Deum injuria, affirmari non poteſt: Neque ſane ulla juſta oſtendi poteſt cauſſa, cur, cum Deus omnino vellet, ut peccati jugum excuteremus, & ſancte in hoc ſæculo viveremus, & nobis adjumenta ad eam rem perficiendam ſubminiſtraret; noluerit tamen tantum opis nobis ferre, ut ab omni prorſus peccato abſtinere, & ſanctitatem quam perfectiſſimam colere poſſimus.

§. CCCXCV.

De Sanctorum in Gratia divina perſeverantia eadem Socinianis cum omnibus Pelagianizantibus Doctrina eſt, iisdem propterea argumentis ex Sacra Scriptura deſumtis utuntur, ad quæ ſuo loco reſpondebimus.

§. CCCXCVI.

Cum Sociniani Religionem universalem sive communem statuunt, per quam omnium Religionum confessores salvari possunt, hoc ipsis etiam statuendum fuit; Non necessarium, imo quodammodo inutile esse, quærere quæ, & apud quos, sit vera Ecclesia; ut ei nos adjungamus.

§. CCCXCVII.

Objiciunt sufficere ad salutem, si quis veritatem salutarem sciat & amplectatur, nil insuper interesse ut inquiramus quinam alii etiam sint, qui salutarem confiteantur Doctrinam, aut ubi commoretur Societas aliqua fidelium; ita enim NICOLAIDES Cap, I. pag. 11. Nihil enim ei, quod ad cognitionem attinet, deesse ad salutem æternam necessarium potest, qui salutarem Christi Doctrinam teneat: & pag. 12. Nobis autem satis est docuisse, sufficere, si cognoscatur vera & salutaris Doctrina, & hoc ipso in Ecclesia eum esse, qui illam tenet & profitetur. Et Cap. II. Docuerat SOCINUS, quod per se non necesse sit, inquiri & agnosci verám Ecclesiam Hoc rursus comprobaverat, quod ad salutem. consequendam satis sit, Christi præcepta servare. Hunc vero nusquam præcepisse, ut Ecclesia inquireretur. Adde his quæ habet OSTORODUS Instit. Cap. XLII.

§. CCCXCVIII.

Respondemus α. Nos etiam obligatos esse ad commune Societatis Sanctæ sive Civitatis Dei bonum promovendum (Cap. III. Sect. XX. XXI.), & ad publice Deum colendum, unde communio

nio cum reliquis fidelibus necessaria est. β. Adversarii non probant solam veræ fidei confessionem etiam extra Ecclesiam sufficere, sed SOCINUS potius in libello quem hunc in finem scripsit, Ecclesiæ nostræ suadere conatus est ut sese cœtui suo adjungat. γ. Concedimus quod, si quis in talibus versetur circumstantiis, ut impossibile sit, ut veræ Ecclesiæ sese adjungere possit, hoc in casu id ipsi respectu æternæ salutis detrimentum nullum afferre queat.

§. CCCXCIX.

Ut Errori huic faveant Ecclesiam sui habere notam, præsertim veræ Doctrinæ professionem, negant. Nota vero ut Ecclesiæ competat, necessarium esse patet ex §. 1523. Cap. III. Restant objectiones solvendæ.

§. CCCC.

α. Sequentibus verbis VOLKELIUS Lib. VI. Cap. XVII. pag. 700. *Objicit.* Puram & incorruptam Verbi divini prædicationem Ecclesiæ propriam notam minime esse inde constat, quod Ecclesiæ constituit essentiam: cum Ecclesia aspectabilis, de qua hic agimus, nihil sit aliud, quam is hominum cœtus, qui salutarem Christi veritatem tenet ac profitetur. Salutaris autem Doctrinæ professionem, divini Verbi, quod hic oratione persequimur, prædicatione contineri; inque ea includi, apertissimum est. Quod cum ita sit, quomodo, quæso, salutaris Doctrinæ prædicatio, citra principii petitionem, cum de Ecclesia ex notis cognoscenda agitur, proferri potest? Id est, quomodo id, quod Ecclesiæ continetur essentia, & sic ipsa aliqua ex parte essen-

essentia est, suum ipsius signum dici potest? Intelligendum enim est, de istiusmodi signis hic agi, quæ essentiam Ecclesiæ nondum cognitam ostendant ac patefaciant, adeoque non ex ipsa essentia, sed ex ejusdem propriis adjunctis sumenda esse. Aliter enim, ut diximus, turpissima petitio principii nequaquam vitari poterit.

§. CCCCI.

Quanticunque vero ponderis Argumentum hoc Adversario videatur, nihil tamen contra nos probat, si modo ad sequentia attendamus, α. distinguendum esse inter *Ecclesiam internam* & *externam;* quænam præcise sit *interna* & quinam ad eam pertineant Deo soli notum est; *externa* vero necessario ex Characteribus quibusdam externis & observabilibus cognosci debet. β. Omnino Nota nobis prius cognita esse debet quam Ecclesia quod Sect. XX. Cap. III. demonstravimus; & admodum naturale hoc est, nam si in id allaboramus ut res nobis ignota nota fiat, oportet prius sciamus quid illa res sit, hoc est, oportet sciamus notas characteristicas, per quas res illa ab omnibus aliis distinguitur, γ. Id vero per quod res ab aliis rebus distinguitur, & quod primum de re cognoscitur, efficit rei alicujus essentiam; unde patet omnino nobis primum cognitum esse debere, quænam rei illius sit essentia, antequam scire possumus, cuinam ex omnibus, quæ existunt, rebus, hæc essentia competat. δ. Liquet inde absurdum minime esse quod alicujus rei essentia sui ipsius nota sit, neque alia dari potest nota quam vel talis, quæ ad ipsam rei essentiam pertinet, vel per descriptionem, talis, quæ à circumstantiis quibusdam externis desumta est.

ε. Ne-

δ. Neque proptérea turpissima petitio principii vocari potest, si dicimus alicui prius notam esse debere veræ Ecclesiæ Essentiam; hoc vero si sciamus, quærendum cuinam ex omnibus quæ existunt Ecclesiis, hæc essentia competat. ε. Scire nimirum possum, tam ex Principiis Rationis quam ex Principiis Revelationis, quænam vera ac Salutaris Doctrina sit, antequam sciam in quonam cœtu ea pure doceatur; per cognitionem vero illam Salutaris Doctrinæ etiam ad veræ Ecclesiæ cognitionem pervenire possum, dum inquiro, quænam eam pure doceat Ecclesia, quam cum invenio, judico prædicatum hoc antea mihi cognitum ipsi ceu subjecto competere. ζ. Ita Sociniani à nobis petunt ut illorum cœtui nos adjungamus; quis vero ipsorum cœtus est? Haud dubie is, qui Sociniana profitetur dogmata; antequam ergo cœtum aliquem Socinianum esse cognosco, prius mihi illorum Doctrina nota esse debet, aut ex illorum Libris aut alia ratione; Hanc vero si sciam, scire vel judicare etiam possum, num homo aliquis vel integer cœtus sit Socinianus nec ne? Hæc ipsa autem Doctrina cœtus illius Sociniani constituit essentiam; Unde patet cœtus Socinianorum essentiam ex ipsa illius essentia ceu nota cognosci. Idem de vera etiam Ecclesia absque absurda principii petitione dici potest. η. Hoc ipso nos ab Ecclesia Pontificia differimus, illi volunt Doctrinam cognosci debere ceu veram ex Ecclesia, nos vero docemus Ecclesiam ex Doctrina cognosci debere.

§. CCCCII.

Objiciunt 2. Notam omnem clariorem & certiorem esse debere re notificanda; æque autem incer-

incertum esse, quænam sit vera doctrina, ac quænam sit Ecclesia. Ita SMALCIUS *contra Frantzium* Disp. VIII. de Ecclesia pag. 282. *Tam enim*, inquit, *incertum est, ubi sit vera Christi Ecclesia, quam incertum est, ubi sit vera & salutaris doctrina. Nota autem semper notior esse debet eo, cujus nota est.* Et NICOLAIDES, *de Ecclesia*, Cap. V. pag. 41. *Haud enim cogitandum est, adeo rudem fuisse Socinum, ut statueret, rem dubiam & obscuram posse cognosci, ex re, non minus obscura & dubia. Nam quod attinet hanc disputationem, non solum æque dubium est, quænam sit salutaris Christi Doctrina, ac, quænam Ecclesia: Verum etiam hoc illud ipsum est, quod quæritur.*

§. CCCCIIII.

Ergo ad merum tandem Scepticismum Sociniani prolabuntur; omnia incerta esse perhibent; incertum quænam sit vera Ecclesia; incertius adhuc quænam vera Doctrina sit; nihil ergo certi in Religione cognosci potest, si ex illorum principiis judicare velimus; unde contra *Naturalistas* hos *Theologicos* iisdem Armis, quibus contra *Naturalistas Philosophicos* pugnandum; unde eos qui de Doctrinæ revelatæ certitudine ac claritate dubitant ad Caput X. remittimus.

§. CCCCIV.

Universam porro in mundo Ecclesiam deficere posse cum omnibus Pelagianizantibus statuunt, ita ut nulla usquam supersit; ubi enim singuli fideles sive regeniti deficere possunt, ibi etiam tota Ecclesia pedetentim deficere potest.

At

§. CCCCV.

Ad *objectiones* inde desumtas quod singuli fideles deficere possint ergo etiam omnes; apud VOLKELIUM Lib. VI. Cap. XVIII. Quod tempore Antichristi tota Ecclesia defecerit. Apud THEOPHILUM Cap. III. pag 25. Quod denique vera Religio debeat esse libera, unde homines ideo & Ecclesiæ omnes ab ea deficere possint, apud VOLKELIUM l. c. suo loco respondebimus.

§. CCCCVI.

De Sacramentis in genere Sociniani docent: nihil nobis in legitimo illorum usu conferri, neque confirmari fidem, neque obsignari & nil ibi fieri nisi solemnem fidei professionem & Christi commemorationem.

§. CCCCVII.

Argumenta quibus *contra nos* utuntur sequentia sunt. *α*. De Baptismo SOCINUS *in Paræneſi* Cap. IV. dicit: *Ad obsignationem requiritur rei probatio & documentum aliquod, cujusmodi nihil præstat cærimonia & ritus iste, quantumvis sacer, quod ad peccatorum remissionem attinet, sed tantum illam, verbis jam expositam, ablutione illa sua adumbrat; ut dictum est, & quodammodo delineat.*

§. CCCCVIII.

Ita Adversarius argumentatur: *Quod Remissionem peccatorum tantum adumbrat, id eam non obsignat; sed Baptismus eum tantum adumbrat, E. non obsignat.* Negamus autem majorem & minorem. Minorem ita probat: *Quod nullum præstat remissionis peccatorum probationem & documentum, id eam*

nulla

nulla ratione obsignat: Baptismus nullam præstat hujus rei probationem & documentum. E. negamus iterum minorem, quem vero Auctor minime probat; unde nulla amplius responsione opus est, alias ostendere possemus, eo ipso, quo ex mandato divino aliquid adumbrat & delineat, idem etiam confirmare.

§. CCCCIX.

Alterum argumentum hoc est, quod Sacramenta fidem in homine prærequirant, ac proinde eam non confirment; ita contra nos argumentatur SOCINUS l. c. SCHLICHTINGIUS *contra Meisnerum* pag. 106. ut & VOLKELIUS Lib. IV. Cap. XXII. pag. 319.

§. CCCCX.

Potius vero ita argumentari possemus: Sacramenta fidem prærequirunt E. eam confirmare possunt; nam ut fides confirmetur, adsit oportet, unde prærequiritur; deinde licet adsit, non sequitur illam summo gradu adesse, infirma confirmatione quammaxime indiget.

§. CCCCXI.

De Baptismo in specie statuunt illum Cærimoniam non necessariam, sed liberam ac indifferentem esse.

§. CCCCXII.

Objicit α. SOCINUS *de Baptismo* Cap. XVI. pag. 136. Totam Christi Disciplinam Spiritualem esse & nonnisi interiorem respicere hominem, proptereaque in universum ab externis, iisque certis & constitutis ritibus tantum non abhor-

horrere, eaque propterea solum facta externa requirere, quæ ab interiore novo homine necessario proficiscuntur.

§. CCCCXIII.

Respondemus α. Cærimoniarum usum, finem ac necessitatem à nobis demonstratam Cap. III. Sect. XXII. XXIII. quo lectorem amandamus; inde enim patet Religionem & cultum posse esse Spiritualem, licet nonnullæ obtineant cærimoniæ *β.* Ipsimet Sociniani Sacræ Cœnæ administrationem esse præceptum Christi cærimoniale statuunt, si vero hæc Cærimonia Religionis Christianæ Spiritualitati nihil derogat; ita nec Baptismus ut adeo SOCINI argumentum aut ambas has cærimonias feriat aut neutram.

§. CCCCXIV.

Secundo SOCINUS *objicit* Cap. X. Nullum ex Novi Fœderis Scriptis exemplum proferri posse Baptismi aquæ iis ministrati, qui vel in Christiana religione alti atque educati essent, vel postquam adolevissent, se Christianos esse publice ac perpetuo professi fuissent; nec ullum item locum ostendi, ex quo ejusmodi homines baptizandi morem ab Apostolis Ecclesiæ per manus (quod ajunt) traditum fuisse vel appareat, vel saltem conjecturam ducere liceat.

§. CCCCXV.

Respondemus α. Præceptum, quod Christus de Baptismi administratione universale dedit, sufficere, neque opus esse ut omnium illorum qui baptizati fuere catalogus exhibeatur, quod nullius fuisset usus, neque propterea à personarum, quæ baptizatæ fuere, silentio argumentum duci

potest hunc vel illum non baptizatum fuisse. β. Idque eo magis cum historiarum in Libris N. T. contentarum finis sit, Ecclesiæ solum initia ac fundationem ostendere, unde omnia, quæ in Ecclesia jam plantata contigerunt, ibi narrari non potuerunt. γ. Si Baptismi significationem & veram rationem respicimus, nulla plane dari potest ratio, cur non omnibus sine discrimine Christianis administrari debeat, sed potius contrarium patet.

§. CCCCXVI.

Contra Pædobaptismum in Anabaptistarum gratiam sequentia afferunt Argumenta, quæ ad tria referuntur in *Catech. Racov.* Cap. III. *de Bapt. Aquæ*, his comprehensa verbis. Qu. *Num ergo ad eum ritum infantes pertinent? Siquidem Veteris Apostolicæ Ecclesiæ morem spectes, & finem, in quem hic ritus ab Apostolis institutus, ad infantes non pertinet: Cum in Scripturis nec mandatum, nec exemplum ullum, hac de re habeamus; nec ipsi, ut res indicat, fidei in Christum quæ hunc ritum debet antecedere, & eorum quæ per hunc ritum fiunt, adhuc capaces sunt.* Hæc ulterius explicantur à SOCINO Epist. III. ad *Radeçium.* pag. 155. & SCHLICHTINGIO pag. 951, *Aliud Argumentum* addit MOSCOROVIUS adversus *Smiglecium*, Cap. VII. pag. 124. Denique, inquit, nulla pars Religionis Christianæ est, quæ non sit arbitraria. At Infantibus Baptismum nescientibus quid illud sit, obtruditur. Fit igitur id, contra omnem Religionis Christianæ Naturam. Addit denique SCHLICHTINGIUS *aliud* adhuc *argumentum* inde delumtum, quod in Ecclesia Veteri non in usu fuerit Infantes baptizari, priusquam adolescerent, fidem in

in Chriſtum profiterentur, ac peccatis renuntiare poſſent. *In præfat. Diſp. adverſus Meisnerum de Trinit.* pag. 92. Ad omnia autem hæc Argumenta in Cap. de Anabaptiſtis reſpondebimus.

§. CCCCXVII.

In gratiam porro Anabaptiſtarum etiam docent Magiſtratui Chriſtiano non licere gladio uti, & è medio tollere ſontes, ſive decreto in eos capitali ſupplicio, ſive bello.

§. CCCCXVIII.

Objiciunt α. præceptum de non fundendo ſanguine in V. T. quod nunquam in N. T. mutatum fuiſſe legitur. Vide SOCINUM *in Parænesi* Cap. III. *β.* Jus gladii contra charitatem hoſtium etiam in N. T. toties commendatam pugnare perhibent, quem in finem afferunt dictum Chriſti Matth. V. 44. Vide SOCINUM *contra Palæologum* Part. III. pag. 426. Et OSTORODUM Inſtit. Cap. XXVII. Ad quæ ſuo loco reſpondebimus, reliqua refutationem non merentur.

§. CCCCXIX.

Ea Argumenta, quæ Adverſarii afferunt ad probandum Animas, quidem immortales, poſt mortem ante reunionem cum corpore nec vivere nec ſentire, nullius plane momenti ſunt, unde ea omittimus.

§. CCCCXX.

Negant eadem numero reſurrectura corpora idque his probant Argumentis *α.* ex 1. Cor. XV. verſ. 44. & 50. ubi dicit Apoſtolus: *Seminari Corpus animale, ſuſcitari Corpus ſpirituale, eſſe Cor,*

pus animale: esse & Corpus spirituale. Et vers. 50. *Hoc autem dico, fratres, quod caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio possidere incorruptionem.* Vide SMALCIUM Lib. I. *De Erroribus Arian.* Cap. XIV. pag. 151. seq. SCLICHTINGIUM *adversus Meisnerum de Trinitate* pag. 96. seq. VOLKELIUM, Lib. III. Cap. XXXV. pag. 139.

§. CCCCXXI.

Respondemus nos non negare Corpus nostrum magnam subiturum mutationem, alias maxima in Cœlo perfectione frui non posset, unde cum ipso Apostolo statuimus, quidquid ad vitam hanc animalem pertinet abrogandum esse, ut nec accrementum nec decrementum per cibum & potum variaque accidentia locum habeat; ut talibus qualibns nunc corpus subjectum est mutationibus non amplius obnoxium futurum sit; neque ulla amplius corruptio locum habere possit. Si igitur corpus spirituale futurum dicitur, non intelligitur ejus substantia, alias non corpus sed Spiritus foret, sed opponitur simpliciter animali, ad significandum quod nullis amplius defectibus ac infirmitatibus obnoxium Vita plane spirituali gavisurum sit; ideo caro & sanguis, hoc est, Corpus Vitæ animalis infirmitatibus subjectum Regnum cœleste non occupaturum dicitur. Cœterum ad sensum integri hujus ad Cor. Capitis recte percipiendum adtendendum, quænam illorum fuerit sententia, quos Apostolus hic refutat.

§. CCCCXXII.

Altera objectio ab Impossibilitate resurrectionis

eorun-

eorundem corporum desumta est; quæ à variis, variis etiam modis urgetur, nonnullis Argumentum ab Antropophagis petentibus, in quorum sanguinem ac substantiam caro comesta vertatur; aliis ex particularum corporis dissolutione ac per omnes Mundi plagas dissipatione, cum rebus ac plantis ex terra crescentibus commixtione, ab hominibus comestione & in illorum etiam substantiam conversione argumentantibus.

§. CCCCXXIII.

Talem vero resurrectionem non esse impossibilem, nec in se (Cap. III. §. 1699.), nec à parte intellectus & potentiæ divinæ (Cap. cit. §. 1700.), neque à parte etiam illius sapientiæ (l. c. §. 1701.), demonstravimus. Addimus hic verba MINUTII FELICIS *in Octavio* dicentis: *Tu perire Deo credis quod oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive crescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in Cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo Elementorum custodia reservatur.* Et ATHENAGORAS *de Resurrectione* ita habet: *Atqui neque possibile est ut Deus ignoret vel ex parte vel ex particula naturam corporum resurrectioni destinatorum. Neque enim latere potest quo singula ex tabidis membris abierint, & quæ in se elementorum partes putrefacta, receperint, & in cognatam naturam admiserint: tametsi omnino apud homines id quod rursum Universitati Elementorum affusum est; insecernibile videatur & indeprehensibile.* Et TERTULLIANUS: Hujus, *carnis*, interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur, habet & caro suos sinus iterum: in

aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis. Cum in hæc dissolvi videtur, velut in Vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa præsentetur.

§. CCCCXXIV.

Ultima tandem *Controversia* circa damnatorum pœnam versatur, de qua Adversarii statuunt, illam non in dolorum sensu, sed in annihilatione consistere, sequentibus nixi Argumentis. *α.* Quod supplicium peccatorum sempiternum in S. Scriptura Mors dicatur, adeoque in totali hominum perditione illud consistere.

§. CCCCXXV.

Qua in re mortis Spiritualis natura consistat, de qua hic quæstio est, demonstratum à nobis (Cap. III. §. 866.), ex quo patet objectionem hinc nihil plane valere.

§. CCCCXXVI.

β. Immortalitatem singulare Christi beneficium esse perhibent; Sed non distinguunt inter simplicem immortalitatem & beatam ac cum felicitate conjunctam; posteriorem Christi singulare beneficium esse & nos statuimus, priorem vero ex ipsa Animæ natura ac fine, nec non Dei justitia fluere, suo loco demonstravimus.

§. CCCCXXVII.

γ. Tertia objectio, quam maxime urgent, à Justitia Dei desumta est, cum qua non convenire putant, ut peccata æternis puniantur doloribus;

quod

quod ita probant: Justitiæ Dei convenire, ut Deus, uti in præmiorum distributione, & pœnarum, servata æqualitate secundum proportionem factorum, homines puniat; Nullum autem esse proportionem inter æterna impiorum supplicia & creaturarum delicta. cum finiti ad infinitum nulla sit proportio.

§. CCCCXXVIII.

Respondemus α. Proportionem peccati quærendam non esse in illius duratione, sed in illius qualitate & effectis; Non in duratione, hoc enim ne inter homines quidem fit, nam propter delictum aliquod brevissimo tempore commissum per totam vitam haud raro justissime puniuntur; unde ad peccati potius enormitatem, quam vero ad temporis diuturnitatem, respiciendum, & ad effectus qui ex illo sequantur. β. Talis inter peccatum & pœnam est proportio, qualis inter caussam & effectum naturalem (Cap. III. 577.). Si igitur effectus physicus sive pœna ex malo morali fluens continua serie duret, neque aliter quam per miraculum impediri possit (l. c. §. 650.); Sequitur divinæ Justitiæ nihil plane derogari, si eum rerum nexum durare sinat, quem homo ipsemet instituit; Deus enim hominem puniendo nihil aliud facit, quam quod illius existentiam conservat, (l. c. 590. 594. 650.) & nexum ab ipso homine institutum non impedit.

* * *



